DE TERTIO-QVÆSITIS

Per Epiſtolas Clarorum Virorum,
MEDICINALIA POTISSIMVM, ET ALIARVM
Diſciplinarum arcana poſtulantium,

RESPONSA

FORTVNII LICETI GENVENSIS
EX L. COM.
In Archigymnaſio Patauino Medici Theorici
Supremæ Cathedræ:

Illuſtriſſimis & Excellentiſſimis D.D.D.

PETRO FVSCARENO
PETRO SAGREDO D. M. P.
IOANNI GRIMANO EQ.

Ampliſſimis Senatoribus Venetis Dicata.



BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. ROMA
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VTINI, Ex Typographia Nicolai Schiratti. M DCXLVI.
ANNVENTIBVS SVPERIORIBVS.

Digitized by Google

Illuſtriſſimis ac Excellentiſſimis D.D.D.

PETRO FVSCARENO
PETRO SAGREDO D. M. P.
IOANNI GRIMANO EQ.

AMPLISSIMIS SENATORIBVS VENETIS

Fortunius Licetus B. A.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QVos omnigena virtus eximia, ſtudiumque ſemper vnum & idem coniunxit in exornanda mirifice ſimul & heroice gubernanda Maieſtate Venetæ Reipublicæ: Quoſque mihi fauorabiles vnanimi voto munificentiſſimos Triumuiros Literarios habui Promotores ad ſupremam Theoricæ Medicinæ Cathedram ſeſſitandam in Archigymnaſio Patauino: Vos ego, Præſtantiſſimi Senatores, neque debeo, neque poſſum in actione gratiarum de ſuſcepto beneficio maximo ſeiungere. Te quidem, PETRE FVSCARENO, quem in magna Procerum celebritate, atque in oculis omnium heroica virtute præſtantem apices gloriæ ſublimioris ea laude iam adeptum agnoſcimus, quæ nec obſcurari poteſt aliena viuentium vlla quantumlibet illuſtri dignitate, nec obliuione quantumvis longę poſteritatis extingui, ſicut omnes admirantur de Republica domi foriſque Summos apud Orbis Terrarum Dynaſtas in arduis quibuſque negotijs optime meritum; Sic ego ſpeciatim iſto publico ſigno Literario

a 2 ve-

Digitized by Google

veneror Patronum meæ fortunæ Tutelarem. Te vero, PETRE SAGREDO, de quo nihil a ſumma laude ſeiunctum quum commemorari poſſe iampridem agnouerit Sereniſſima Politico-phœnix Hadriaca, tam in rectitudine voluntatis, morumque probitate, quam in altæ mentis perſpicacia, miraque prudentia: ſicut inter plures tantæ Dignitatis non indignos Vnum elegit ad proximum Supremo Principatui Procuratorium Decus; ita cliens ego peculiaris Magni Tui Patrocinij publicum hoc extare volui ſymbolum obligationis meæ ſummam erga tuam in me beneficentiam, quam pigra deſesque nunquam obliterabit aqua Lethæa. Te autem, IOANNES GRIMANO, ſuprema qui cluens eloquentia pariter & ſapientia, flectis ad arbitrium animos hominum quocumque perducere lubet, aureis catenis aures intimasque voluntates omnium deuinciens in obſequium Herculeę virtutis, ac eximiæ prudentiæ tuæ, quæ vitans quæcumque vulgo placent, cum alta cunctorum admiratione ſupremis honoribus optimo iure ſuſpicitur: Te inquam venerabundus iſta meæ maioris obſeruantiæ teſſera colere non dubitaui; ſperans humaniſſimum Heroa meam vtcumque leuidenſis muneris oblationem non aſpernaturum; quod eſt plane diuinum, humilia ex alto benigne reſpicere.

Valete diu Vobis, Inclyti Senatores; Vrbi Veſtræ Dominanti, cuius eſtis altiſſima culmina: Totique Reipublicæ, in qua micatis præclariſſima lumina: & mihi Veſtræ benignitatis alumno, cuius fortunarum atque dignitatis eſtis firmiſſima Columina. Sic Veſtrum vnumquemque ſoſpitet Deus Optimus ad annos Neſtoreos feliciter.

Dabam Patauij e meo Scalumnæ Muſæo. Prid. Non. Septembris M DC XLVI.

Digitized by Google

INDEX, ET SERIES CAPITVM in hoc Opere contentorum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Præfatio. pag. 1

De morbo, qui ſi repat in mentem, facit Menlacholicos; ſi in corpus, Epilepticos; deque Diuino in morbis apud Hippocratem. Cap. I. 1

Reſp. Liceti ad primum Quæſitum de Melancholicis, & Epilepticis ad inuicem viciſſim mutatis, quia morbus vel in corpus, vel in mentem irrepat, ex Hippocratis doctrina, qua nomine Mentis organum phantaſiæ, ſenſusque communis ſignificatur. Cap. II. 3

Altera Quæſiti declaratio, qua probatur, Hippocratem per Mentem *intelligere ſpirituoſam ſubſtantiam inſiti calidi: per* Corpus *autem, ſolidiorem Cerebri ſubſtantiam. Deque Spiritu Calidi connati placita pulchra Ariſtotelis explicantur. Cap III.* 8

Eadem ſententia confirmatur ex alio theoremate, quo dicit Hippocrates, Calidum intelligere cuncta, & videre, & audire, & ſcire omnia, tum præſentia, tum futura. *Cap. IV.* 18

Idipſum oſtenditur, explicata cerebri ſententia, qua dicit Hippocrates, Anima hominis ſemper producitur vſque ad mortem; ſi autem igne excanduerit, ſimul cum morbo & anima corpus depaſcitur. *Vbi multa recondita de ſubiecto proprio & principali febrium. Cap. V.* 19

Eadem ſententia confirmatur ex eo, quod alibi dici Hippocrates, Inſitum a natura ignem non eſſe in dextro, ſed Animam hominis eſſe in ſiniſtro ventriculo Cordis: reliquæ animæ imperare: nutririque ſanguine arterioſo puriſſimo. *Cap. VI.* 27

Galeni, Platonis, Auerrois, & Viri Cl. placita de propoſito conſiderantur. Cap. VII. 35

Ad ſecundum Quæſitum de Diuino in morbis præuoſcendo ex Hippocratis iuſſione Reſp. Liceti. Cap. VIII. 38

Opinio propria introducitur, qua decernitur, diuinum huiuſmodi multiplicis eſſe generis, & primum quidem eſſe Prognoſticum, quod vere eſt Diuinatio Medica. Cap. IX. 41

Somnium diuinatorium multiplex eſſe quoque Diuinum in morbis

obſer-

Digitized by Google

obſeruandum ex Hippocratis præcepto. Cap. X. 45
Studioſam Ecſtaſim eſſe tertium diuinum, quod in morbis a Medico præcognoſcendum propoſuit Hippocrates. Cap. XI. 49
Afflatum, Furoremve diuinum numerari quoque debere inter obſeruanda Medicis ex Hippocratis iuſſu in Prognoſticis. Cap. XII. 65
Animi pathema vehemens generatim ab Hippocrate comprehendi ſub nomine diuini in morbis obſeruandi, & prænoſcendi. Cap. XIII. 67
Terror a ſpectro viſo ſextum habere debet locum inter Hippocratica diuina Medicis obſeruanda. Cap. XIV. 71
Cacodæmonis maleficium ſeptimo loco ſignificari ab Hippocrate per diuinum in morbis. Cap. XV. 76
H. Mercurialis de Dæmonibus, a priſcis Medicis cognitis, placita in propoſito conſiderantur. Cap. XVI. 85
Amoris impotentis affectum octauo loco ſignari pro diuino prænoſcendo in morbis Hippocratis iuſſione. Cap XVII. 90
Ira Dei, ſontes punientis, nonum eſt Diuinum in morbis obſeruandum a Medicis ex Hippocratis iuſſione. Cap. XVIII. 101
Galeni contradicentis huic nono Diuinorum generi dubitationibus occurritur. Cap. XIX. 119
Enumeratio Diuinorum in morbis, ex Hippocratis iuſſu prænoſcendorum. Cap. XX. 122
Superiorum Reſponſionum approbatio Citeſiana. Cap. XXI. 123
De Febre Syncopali humoroſa, num a bile poſſit eſſe ſecundum Arabes Medicos, & ex Doctrina in Patauino Collegio recepta: & quæ prouenit a bile Syncopalis, num minuta dici debeat. Cap. XXII. 124
Reſp. Liceti De febris appellatæ Syncopalis differentijs: & humoroſæ non minutæ ortu ex bile, ſecundum Arabum doctrinam, & Iuniorum, in almo Collegio Patauino receptam. Cap. XXIII. 125
De duplici ſanguinis Euripo a corde ad partes, & a partibus ad Cor: deque numero ventriculorum Cordis. Cap. XXIV. 132
Reſp. Liceti ad Quæſitum de duplici ſanguinis Euripo. Cap. XXV. pag. 135
De triplici ventriculo Cordis, Ariſtotelis opinio explicata, & ab oppoſitionibus vindicata. Cap. XXVI. 137

De

De Sapientia, num ſit habitus humanæ mentis, an Diuinæ ſolius: & vtrum hominis natura ſit ſerua, an libera. Cap. XXVII. 144

Reſp. Liceti Ariſtotelem ſibi non aduerſari, ſapientiam, & naturam ſeruilem hominibus modo neganti, modo concedenti. Cap. XXVIII. 145

De vulgato dogmate, Elementa ſecundum totum eſſe incorruptibilia, ſecundum partes autem corruptibilia. Cap. XXIX. 151

Reſp. Lic. Elementa vt corruptibilia ſint ſecundum totum, & vt non. Cap XXX. 152

Vtrum eadem numero anima ſucceſſiue perficere valeat varia ſubiecta: ſimiliterque num idem numero lumen illuſtrare ſucceſſiue queat varia diaphana, necne. Cap. XXXI. 155

Reſp. Lic. Eadem anima numero varia ſubiecta ſucceſſiue perficere vt valeat, & vt non. Cap. XXXII. 156

Lic. Reſp. ad alteram difficultatem: ac oſtenditur, vt idem numero lumen in varijs diaphanis, deinceps in eundem locum ſibi ſuccedentibus, ineſſe valeat, & non ineſſe citra contradictionem. Cap. XXXIII. 159

De nomine Litheoſphoros, *vtrum apte conueniat Lapidi Lucifero. Cap xxxiv.* 166

Reſp. Lic. Nomen Litheoſphorus, *apte ſignare Lapidem Luciferum oſtendentis. Cap. xxxv.* 168

De eodem nomine, Litheoſphorus, *iudicium Cl. Viri Naudei, & aliorum inſignium virorum. Cap. xxxvi.* 170

Reſp. Lic. Nouas iſtas ad Litheoſphori nomen obiectiones expendentis. Cap. xxxvii. 172

Petrarchæ cognomen an aſpirandum ſit, necne: deque pleriſque vocibus alijs, bene, maleve aſpiratis. Cap. xxxviii. 178

Petrarchæ cognomen aſpirandum eſſe: ratioque plurium aliorum nominum tam aſpirandorum, tam non aſpirandorum aperitur. Cap. xxxix. 180

Quomodo corpus agere valeat in ſubſtantiam incorpoream: dum ponitur ignis infernus torquere Dæmones, & animas a corpore ſeparatas: & Sacramentum gratiam ſupernaturalem in anima producere. Cap. xl. 194

Reſponſio Liceti de propoſitis Quæſitis. Cap. xli. 194

De

De Succini generatione, atque viribus. Cap. XLII. 199

Reſp. Liceti de multiplici generatione Succini, Eboris, Ebeni, & Ligni: deque viribus Electri. Cap. XLIII. 199

De eo, quod eſt a Plinio dictum: pueri, qui celeriter fari capere, tardius incipiunt ingredi. Cap. XLIV. 206

Reſp Lic. Pliniani dicti explicatur phyſica ratio, cur pueri tardius ingredi incipiant, qui celerius fari cœperint. Cap. XLV. 207

De Sepulchro Bianoris Quæſitum. Cap. XLVI. 210

Liceti Reſp. Bianoris Sepulchrum prope Mantuam extitiſſe, non in ditione Bononienſe: Bianorem ab Ocno diuerſum fuiſſe. Cap. XLVII. 211

De Magnetis & Allij antipathia, num vera ſit, an commentitia. Cap. XLVIII. 216

Magnetis & Allij antipathiam aliquando veram eſſe, aliquando non haberi demonſtratur: aſſignata diuerſorum experimentorum ratione. Cap. IL. 217

De Apologetico: de Magnete, num ſit vena ferri præcellens: de puella, quæ poſt caſum, ſine læſione oculorum cuncta ſingularia videbat duplicata: De ſaxo magno in corpore piſcis: Deque ſaccharo in tenebris micante, Quæſita propoſita. Cap. L. 223

Reſp. Lic. de nupero libello famoſo iudicium: deque proxima magnetis & ferri materia: de viſione deprauata illæſis oculis: de lapide magno in corpore Rayæ: deque ſcintillante ſaccharo in tenebris confracto. Cap. LI. 229

Peroratio. Cap. LII. 236

FORTVNII LICETI
AD SVVM LIBRVM
De Tertio-Quæſitis per epiſtolas a Cl. Viris
PRÆFATIO.

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

*Q*Va Reſponſa de Secundo-Quæſitis per epiſtolas a Claris Viris in vnum volumen congeſſeram, adeo multa fuerunt, adeoque longam meditationem contexuerunt, vt vnico tomo comprehenſa primi magnitudinem nimia proportione ſuperare viderentur: Quare cenſui tres in libellos primo propemodum æquales ſigillatim, dirimenda. Iam ergo rem aggrediamur auſpice ſummo Deo.

De morbo, qui ſi repat in mentem, facit melancholicos; ſi in corpus, Epilepticos: Deque Diuino in morbis apud Hippocratem Quæſita duo. Cap. I.

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

Illuſtriſſimo Viro D. Fortunio Liceto in celeberrima Bonon. Academia Eminenti Philoſophiæ Profeſſori S.

EGregius & eruditiſſimus D. Gabriel Naudæus renunciauit mihi Veſtram Excellentiam meditari pro ſua incredibili diligentia Centuriam alteram de Quæſitis per epiſtolas: Vnde non putaui moleſtum aut ingratum ei fore, ſi modum ab illa quæram, quo ſatisfacere poſſim dubitationi, quæ iam pridem animum meum inceſſit ſuper Hipp. tex.6. Epidemiorum, vbi diuinus ſenex ait, Melancholicos ſæpe fieri Epilepticos, & Epilepticos melancholicos, prout in alterutram partem irrepſerit *to arroſtima*, ſiue in corpus, ſiue in mentem: & ſi in corpus, Epilepticos: ſi in mentem, melancholicos. *morbus* Scio Galenum ita hunc locum interpretari, vt *tys dianoias* nomine temperamentum inaudiat, & corporis loco partem organicam obſtructionis capacem, vt aliquem ex cerebri ventriculis, intelligat. *mentis* At *tyn dianoian* aliter affici non poſſe quam per hæreſim teſtatur Plato; quum alias ſit *analloiotos ca aphthartos*. *mentem* *inalterabilis & immortalis.* Nihilominus etiam metu percelli poſt Hippocratem Galenus aſſerit ea ratione, quod velut in rebus externis nihil magis nos terret, ſaltem pueros, aut ex adultis indoctos, quam tenebræ: ita ſi quidpiam tenebris ſimile rationali parti animæ obuerſetur, omnes ferme homines, præterau-

A da-

Digitized by Google

daces, vel edoctos, timere neceſſe eſt; vt qui ſemper timoris cauſam in intimo corpore circumferant, vel ipſo terræ & atræ bilis colore, vel vapore quopiam melancholico mentis ſedem occupante. Sed hanc rationem infirmat Auerroes hoc modo, Color nihil poteſt efficere, niſi ſentiatur; non enim eſt qualitas actiua, neque rem quampiam generat; ſed tantum poteſt ſui ſenſus inſtrumentum alterare, & alterando dolorem, aut voluptatem afferre. Nam neque lumen externum exhilarat, inquit, neque obſcuritas contriſtat, niſi videatur. Aut enim ſentiretur a viſu, aut ab ipſa mente: non a viſu, quia quæcunque videntur, obiecta ſunt humori cryſtallino: non ab ipſa mente, quia nihil eſt in ea, neque in ſenſibus internis, quod non fuerit in ſenſu externo. Aliquid ergo aliud eſſe debet, quod metum incutere poſſit melancholicis,
euaporatio quam illa terra & atra *anathymiaſis*, vnde tenebræ, quæ ſunt mera priuatio; cuius, vt omnis non entis, nullæ ſunt qualitates. De ſpiritibus animalibus fortaſſe potior eſſet ratio, vt pote qui ſplendore, vel obſcuritate animi functionibus aliquo modo conferre videntur. Sed vereor ne eorum tenuitas non admittat colorem, aut vaporem dictum. Quocunque tandem feror, labyrinthum inuenio, quo tu ſolus (Vir Excellentiſſime) tanquam alter Theſeus me extricare potes. Hanc gratiam a te expeto & expecto

FRANCISCVS CITESIVS MEDICVS REGIVS.

Interim aliud dubium mihi memoria ſuggerit, quod Hippocratis Prognoſtica legenti occurrit eo loci, vbi diuinus vir iubet Medicum obſeruare vtrum ſit in morbis aliquid diuinum. Omnes Interpretes varie luſerunt in
Diuini dictione *tu theiu*. Alij putauerunt, vt ait Galenus in com. ob iram Deorum accidere quoſdam morbos, & ideo diuinos vocari: alij diuinum morbum Comitialem dixerunt: alij Eroticum: alij Decretorios dies diuinos. Quas omnes ſententias refellit ibi Galenus. Sed vix ille meliorem profert, ambientis nos ſcilicet aeris conſtitutionem: Neque enim res eſt ita mirabilis
inopinabilis *paralogos*, vt diuina dici mereatur, ſaltem quoad primarum qualitatum temperiem; quum ea ſæpe ſit notior ignaris agricolis, quam Philoſophis & Mathematicis. Neceſſe eſt ergo aliquid abſtruſius inueſtigare. Idcirco Fernelius ad occultas qualitates & totius ſubſtantiæ proprietatem iſtius diuinitatis cauſam referre mauult. At neque hoc viro Medico & Philoſopho ſatisfacere poteſt, niſi introducendo doctrinam ſoli Fernelio placitam, ab omnibus fere Scholis Medicis improbatam, aut ſaltem in controuerſia poſitam. Occulta illa proprietas multorum Medicorum animos ad eam ignauiam
fluxus, & refluxus adduxit, vt ſibi ſufficere exiſtiment, ſi quærentibus maris *plimmyridos, ca ampotidos* cauſam, reſpondeant occultæ proprietati hoc deberi. Par iudicium ferunt de acu nautica Polum Arcticum reſpiciente, de Succino paleas rapiente, & ſic de ceteris. Ac ne ab inſtituto recedam, plerique Medici morborum peſtilentium cauſam totius ſubſtantiæ proprietati acceptam referunt. Idem de circuitibus febrium intermittentium iudicium ferrent, niſi Galenus ex profeſſo eum nodum ſoluiſſet ſub finem libri 2. de differ. febrium. Tibi acutiſſimi ingenij viro eximio ambages iſtas & tricas pro tuo ſingulari iudicio expedire fas eſt, poſteaquam res maioris momenti, quas ampliſſime & dili-

gen-

Digitized by Google

gentiſſime tractaſti, Sole clariores toti Orbi literario exhibuiſti, & mille libris complexus es. Sic perge artem Medicam, & ipſam Philoſophiam illuſtrare, ac viros artis Medicæ cupidos deuincire, meque imprimis qui doctrinæ tuæ & nominis tui cultorem me profiteor, atque obſequentiſſimum ſeruum

Dat. Lutetiæ Pariſior. 25. April. 1643.

FRANCISCVM CITESIVM Medicum Regium & facult. Med. Pictauienſ. Decanum.

Reſp. Liceti ad primum Quæſitum de Melancholicis & Epilepticis ad inuicem viciſſim mutatis, quia morbus vel in corpus, vel in mentem irrepat, ex Hippocratis doctrina, qua nomine mentis organum phantaſiæ, ſenſusque communis ſignificatur. Cap. II.

Illuſtriſſimo Viro D. FRANCISCO CITESIO Med. Reg. & fac. Med. Pict. Decano Fortunius Licetus B. A.

NÆ, doctiſs. Vir, Oedipus iſte tuus, ænigmatibus in omni facultate tenebricoſiſſimis elucidandis omnino par, Dauum meum impetit propoſito duplici difficillimo problemate; quorum vtrumque non recentiores tantum etiamnum angit, ſed antiquos itidem Medicinæ Philoſophiæque proceres, Galenum, Auerroem, & alios, vt oſtendis, miris modis torquere potuit. Quid auſim in hoc ego ſtadio currere, in quo tot Athletæ ſummi brauium non habuiſſe tibi videntur? Sed vt inglorius non curram, etiamſi metam forte non attigero: ſic inciuile fuerit, me tua prima iuſſa non capeſſere; viri nempe magni, cuius voluntati morem gerere debeo pariter & cupio. Dicam ergo de propoſitis quid ego ſentiam; libertate philoſophica mihi familiari mea cogitata referens, & omnia tuo prudentiſſimo iudicio ſubijciens; a quo ne latum quidem vnguem mihi recedendum puto.

Profecto primæ difficultatis cardo conſiſtere videtur in eo, Quomodo morbus in mentem irrepere poſſit, & homines melancholicos efficere; qui corpus obſidens, eoſdem reddat Epilepticos, Hippocrati. Solutio nodi non aliunde petenda, quam ex intellectione rei, quæ nomine mentis ab Hippocrate ſignificatur, dum ait, (a) *Melancholici magna ex parte comitiali morbo afficiuntur: & contra, morbo comitiali laborantes efficiuntur melancholici: Atque horum vtrumlibet magis accidit, prout vel in hanc, vel in illam partem infirmitas repit; ſi enim in corpus, epileptici: ſi vero in mentem, melancholici redduntur.* Aegrotare mentem alibi quoque ſcribit Hippocrates, aſſerens, (b) *Quicunque dolentes parte aliqua corporis omnino dolorem non ſentiunt, ijs mens ægrotat.* Quo quidem in loco Galenus *mentem* interpretari videtur *cogitationem*: ego vero potius intelligo *ſenſum-communem*; cuius proprium munus eſt, animaduertere functiones omnium aliorum ſenſuum particularium, vt edocet (c) Ariſtoteles.

a 6. epid. t. 40. f.

b 2. ſect. aph. 6.

c 2. de an. t. 136. & ſeqq.

At vero ſenſus-communis ægrotantis nomine, non intelligimus puram animæ facultatem, & ſimpilicem animæ ſubſtantiam, vt eſt quid ab organo ſuo corporeo contradiſtinctum; ſed aggregatum quid ex organo, & facultate; ſiquidem non ægrotat anima, ſed corpus in quo eſt anima: ſicut ait Ariſto-
d 1. de an. t. 65. teles ita, (d) *Intellectus autem videtur innaſci, ſubſtantia quædam exiſtens, & non corrumpi. Maxime enim corrumperetur vtique ab ea, quæ eſt in ſenio debilitate: Nunc autem quemadmodum in ſenſibus accidit. Si enim acciperet ſenex oculum talem, & videret vtique ſicut & iuuenis. Quapropter ſenium non eſt quia ſuſtinuit aliquid anima, ſed id in quo, ſicut in ebrietatibus, & morbis*: quum ebrietates, & morbi ſint affectiones, non animæ, ſed corporis animam in ſe habentis: paſſionesque ſint, non facultatis, ſed organi facultate pollentis. Quoniam autem Hippocrates, antiquiorum more, non ſecernebat ſenſus internos ab in-
e 2. de an. t. 150. 151. tellectu: ſiquidem (e) Ariſtoteli Veteres *definiunt maxime animam ipſo intelligere & diſcernere & ſentire: videtur vtique intelligere & ſapere veluti ſentire quoddam eſſe: in vtriſque enim his anima diſcernit & cognoſcit aliquid eorum quæ ſunt. Et antiqui ſapere & ſentire idem eſſe aiunt, ſicut Empedocles dixit*:

„ Ad præſens enim ſapientia augetur hominibus, & in alijs:
„ Vnde eis ſemper & ſapere diuerſa præſtat.

Idem autem his vult & illud Homeri,

„ Talis enim mens eſt terreſtrium hominum,
„ Qualem indies inducit pater hominumque deorumque.

Omnes enim hi intelligere corporeum, ſicut & ſentire existimant: & ſentire & ſapere ſimile ſimili. Tertius his addendus eſt Hippocrates, qui poſt Homerum cum Empedocle floruit Artaxerſis æuo: nam apertiſſime puellis recens natis, an-
* 7. polit. c. 15. te rationis vſum, (qui procedente fit ætate vt (*) Ariſtoteles ait) conceſſit ſapientiam, & intelligentiam, quam a ſenſu minime diſtinguit, inquiens,
f de ſept. part. f. (f) *Alter quadragenarius eſt, in quo circa octauum menſem fœtus in vtero ægrotant: de quibus hic totus ſermo inſtitutus eſt. Tertius eſt in quo vbi naſcuntur pueri, etiam male afflicti: ſi effugerint quadraginta dies, apparent magis robuſti & ſapientes, intelligentesve: nam & ſplendores clarius vident, & ſtrepitum audiunt; quod prius non potuerunt: tanquam incrementum habeat hoc tempus, cum iuxta alia, tum iuxta ſapientiam, intelligentiamve, ex corpore eluceſcentem. Peculiarem quidem intelligentiam, ſiue ſapientiam, in corpore ineſſe manifeſtum eſt prima ſane die: nam in ſomnis, ſtatim vbi nati ſunt, pueri ridere, & plorare videntur. Vigilantes quoque non ſponte ſtatim rident ac plorant, priuſquam quadraginta dies tranſeant. Nec ridere autem, etiamſi titillentur ac irritentur, priuſquam hoc ipſum tempus tranſeat: hebetantur enim vires in muccis.* Nomine vero ploratus Hippocrates eiulatum cum lacrymis intelligit; quas non emittunt pueri vigilantes, ante quadraginta dies ab ortu; qua ſine lacrymis vociferantur etiam natiuitatis exordio, tenerrimi de loco ſumme calido tranſeuntes ad inclementias ambientis valde frigidioris. Verum enim vero riſus atque ploratus eſt ex notitia rei iucundæ, atque moleſtæ, tunc in pueris ante omnem rationis vſum, (tam dormientibus in primo quadragenario a natiuitate, quam vigilantibus eo tempore tranſacto) habita per ſenſum communem, & phantaſiam. Hippocrates ergo pueris ab ortu ſtatim, ex riſu atque ploratu pro-

Digitized by Google

baos ineſſe ſapientiam & intelligentiam, cum antiquioribus alijs intellige-
re ſapereque cenſet eſſe corporeum quid, & opus phantaſiæ, ſenſusque com-
munis; non autem mentis proprie dictæ, quæ facultas eſt animæ rationalis,
prout a ſenſitrice contradiſtinguitur; etenim eo primo tempore non edunt
pueri functiones intellectus proprie dicti, ſed ſenſuum tantummodo. Quo
nomine de puerili ætate ſcribit Ariſtoteles, (*g*) *Nihil per id tempus animam* g 8. hiſt.
hominis differre a belluarum anima prope dixerim. Sicut ergo vetuſtiores paſſim cap. 1.
non ſecernebant intellectum a ſenſu: & intelligere ſapereque pariter atque
ſentire corporeum quid eſſe cenſebant; ſic inter eos Hippocrates nomine
Mentis indicauit ſenſum communem, & phantaſiam tum in (*h*) Aphoriſmis, h 2. ſec.
tum in opuſculo de (*i*) Septimeſtri partu, tum maxime in (*k*) Epidemijs aph. 6.
abſte propoſitis Cl. Vir: etenim hoc eodem tuo contextu, quam dicit *Men-* i ad fin.
tem, appellat etiam *partem*, corporis videlicet, ab alia corporis parte con- k 6. epid.
tradiſtinctam, aiens, *prout vel in hanc, vel in illam partem infirmitas reſiit: ſi enim* t. 40. f.
in corpus epileptici: ſi vero in mentem melancholici redduntur: Quum certum ſit,
infirmitatem, quæ paſſio materialis eſt atque corporea, repere non poſſe niſi
in partem corporis materialem itidem atque corpoream: Mens autem pro-
prie dicta, quæ immortalis eſt, & infirmitatibus non obnoxia, neque pars
corporis eſt, neque parte corporis vlla velut organo vtitur; nam Ariſt. docto-
re, (*l*) *Dubitabit autem aliquis & de ipſius partibus, quam potentiã habeat vnaquaq.* l 1. de an.
in corpore. Si n. tota anima totum corpus continet, conuenit & partium vnamquamq. t. 92.
continere aliquid corporis: hoc autem aſſimilatur impoſſibili: Quam enim partem, aut
quomodo intellectus continebit, difficile eſt etiam fingere. Sic ergo partem illam
corporis, in quam irrepit ægritudo melancholicos homines efficiens, ab
Hippocrate *mentem* appellatam, intellectricem animæ partem interpretari
nequeo, neque debeo, ſed phantaſiam, ſenſumve communem. Ceterum
quomodo pars corporis appelletur hac ratione *mens*, ideſt phantaſia, ſen-
ſusve communis, ex Ariſtotele dignoſcitur, cui (*m*) *A fine appellare omnia iu-* m 2. de an.
ſtum eſt. Quum igitur & anima generatim ſit in viuente corpore cauſa t. 49.
(*n*) finalis; & ſpeciatim facultas animæ quælibet ſit finis cuius gratia pri- n 2. de an.
mum inſtituta fuit a natura pars illa corporis inſtrumentaria, quæ deſeruit t. 36.
illi facultati ad functiones vitæ obeundas, vt Ariſtoteles aperte docuit, aſ-
ſerens, (*o*) *Manifeſtum autem eſt, quod & cuius gratia cauſa anima; vt enim In-* o 2. de an.
tellectus gratia alicuius facit (in artibus nimirum, quæ ſunt eius habitus) *eo-* t. 37.
dem modo & natura: & hoc eſt ipſius finis: huiuſmodi autem in animalibus anima,
& ſecundum naturam: omnia enim naturalia corpora animæ inſtrumenta ſunt, ſicut
animalium, ſic & plantarum, tanquam gratia animæ exiſtentia. Hac itaque ra-
tione ſenſus communis organum, & inſtrumentum phantaſiæ nuncupatur
a fine cuius gratia eſt, Mens ab Hippocrate, hoc eſt phantaſia, ſenſusve
communis: adeoque, dum mentem ægrotare ſcribit, organum ſenſus-com-
munis, aut phantaſiæ, morbo laborare ſignificat ipſe Cous, qui mentem a
ſenſu-communi, phantaſiave non ſecernit, antiquiorum more, ſicuti viſum
eſt. Quin & huiuſcemodi locutio frequens eſt apud Platonem, qui dicens
Animam, intelligit Hominem. Nec Ariſtoteles abhorret ab iſto tropo, p 4. de part.
dum ait, (*p*) *Solus enim animalium omnium* homo *erectus eſt, quoniam eius natura* c. 10.

atque

atque ſubſtantia illius eſt; officium autem diuini eſt intelligere atque ſapere; quod non facile eſſet, ſi vaſta corporis moles aſſideret; pondus enim tardiorem reddit &
q 9. ethic. cap.4. mentem, & ſenſum-communem. & alibi ſcribit; (q) Intellectus ſiquidem patris gratia, quod eſſe vniuſquiſque noſtrum videtur. & mox: Vniuſquiſque verò id quod
r 10. ethi. cap.7. intelligit eſſe videretur; vel præcipue. & infra: (r) Neque verò oportet, quemadmodum nonnulli monent, vnumquemque, quum ſit homo, humana; & quum ſit mortalis, cogitare mortalia; ſed quatenus licet, immortalem ſe reddere, omniaque efficere, vt ex præſtantiſſimo omnium, quæ in ipſo eſt, vitam traducat; nam licet id mole ſit paruum, potentia tamen & pretio omnia longo interuallo excellit. Id autem eſſe etiam vnuſquiſque videretur, ſiquidem præcipuum, & melius eſt; quocirca abſurdum eſſet, ſi non ſuam quiſque, ſed alicuius alterius vitam expeteret. Sed & Ariſtoteles alibi clare pro eodem accipit animam, & animæ inſtrumentum, ſeu potius vtitur animæ nomine ad ſignificandum animæ inſtrumentum, dum de viſionis organo loquens, & oſtendens id eſſe perſpicuum, & a prædominio aqueum;
*de ſenſ.& ſenſ.c 2. inquit, (*) Perſpicuum igitur oportet eſſe; atque neceſſe eſt aquam eſſe; quia non eſt aer: non enim in vltimo oculi anima, aut animæ ſenſorium eſt; ſed manifeſtum quod
ſ 2. phyſ. t.70.74. interius. Igitur Antiqui non raro nomine formæ, quæ (ſ) coincidit cum cauſa finali, totum compoſitum ſignificant; adeoque nomine animæ, &
2. de an. t.36.37. nomine mentis aggregatum ex animæ facultate principe, quam ſenſum-communem, phantaſiamque dicimus, & inſtrumento corporeo, illi facultati ſubſtrato, deſignant. Inter quos in præſentia locum habet Hippocrates, qui dum in melancholicis mentem ægrotare dicit, nihil aliud intelligit, quam eam cerebri partem, quæ phantaſiæ, ſenſusve communis organum eſt, habere morbum in ſe, quo fiunt homines melancholici. Profectoque licet epilepſiam plurimum efficiat humor pituitoſus obſtruens vtcumque cerebri meatus ſpiritibus animalibus, inde fluere libere geſtientibus ad partes alias
t 3. aph. com.6. omnes mouendas, & ſenſu donandas, Galeni (t) decretis; attamen eodem (u) autore, vbi epilepſia tranſit in affectum melancholicum, vel illum con-
u 3.loc.aff. cap.7. ſequitur, ab atra bile ſemper habet originem; quia nonniſi ab huiuſmodi ſucco peccante melancholici fiunt. Qui quidem humor atrabilarius, nedum in adultis, verum etiam in pueris & melancholiam, & epilepſiam facile procreat: quod poſt Hippocratem, & ante Galenum, aperte fatetur Ari-
x 30.ſect. probl. 1. ſtoteles, (x) cui Homines, qui ingenio claruere, vel in ſtudijs Philoſophiæ, vel in Republica adminiſtranda, vel in carmine pangendo, vel in artibus exercendis, melancholicos omnes fuiſſe, certum eſt; & alios ita, vt etiam vitijs atræ bilis infeſtarentur, vt inter Heroas de Hercule fertur: hic enim ea ipſa fuiſſe natura putatur; & morbum Comitialem, ſatrum ab illo, & Herculeum priſci nominauere. (quicquid in oppo-
y 6. in 6. epid.t.7. ſitum dicat alicubi (y) Galenus, nulla ſui dicti ratione propoſita.) Puerorum quoque motio mentis idem hoc explicat, & eruptio vlcerum, quæ mortem interdum antecedit; id enim pleriſque atra bile conſiſtit. Et Lyſandro Lacedæmonio proxime ante obitum genus id vlcerum emerſit. Adde Aiacem, & Bellerophontem, quorum alter penitus ad inſaniam prorupit: alter loca perſequebatur deſerta. Vnde illud
z 6.Iliad. v.200. (z) Homeri:

„ Aſt hic quando etiam gratior Dijs omnibus errat
„ In campos ſolus latos, inque auia rura,

„ Ipſe ſuum cor edens, hominum veſtigia vitans.
Quin etiam pleroſque alios ex Herouum ordine morbo eodem laboraſſe, compertum eſt. Annis vero poſterioribus Empedoclem, Socratem, Platonem, & alios complures viros inſignes hoc fuiſſe habitu nouimus, atque etiam partem ordinis poetarum ampliorem. Nam & multos id genus hominum morbi ob eiuſmodi habitum corporis exercent; & aliqui ſuapte natura in eos ipſos affectus perſpicue vergunt; omnes tamen fere, vt dictum iam eſt, natura huiuſmodi extitere. Bilis igitur atra cum epilepſiam, tum melancholiæ morbum in pueris pariter & in adultis efficit. Afficit autem Hippocrati, Galeno, & Medicis omnibus vterque morbus iſte cerebrum. Sed quoniam in cerebro variæ partes inſunt; quarum aliæ ſunt organa propria ſenſuum interiorum, phantaſiæ nimirum, atque ſenſus communis appellati; aliæ vero nulli facultati cognitrici nobili tanquam inſtrumenta deſeruiunt; ſed ſoli generationi ſpirituum animalium famulantur, aut eorundem fluxui ad inferiora membra, parteſque degentes extra cerebrum, ſenſus motuſque capaces: Quando bilis atra partes iſtas poſterius dictas occupauerit, & animalium ſpirituum ad alia membra liberum a cerebro tranſitum impediuerit, epilepticos homines efficit: Quando vero ſenſus-communis, aut phantaſiæ teter hic humor inſtrumentum obſederit, melancholicos homines reddit: Quando autem ex organo phantaſiæ, ſenſusve communis atra bilis morbum faciens transferiut ad alias partes cerebri corporeas, nulli cognitrici facultati principi deſeruientes; tunc ex melancholicis homines euadunt epileptici: viciſſimque, quando bilis atra morbum vehit ex hiſce partibus corporalibus, facultatem cognitricem nobilem in ſe non habentibus, ad organum ſenſus communis, atque phantaſiæ, tunc ex epilepticis homines fiunt melancholici. Quapropter aſſerens Hippocrates, *Melancholicos fieri frequenter epilepticos, & epilepticos euadere ſæpe melancholicos, prout in alterutram partem irrepſerit morbus* ab atra bile productus, *vel in corpus*, hoc eſt in partem corporalem cerebri, quę nulli facultati principi ſubſtrata ſit, vt inſtrumentum, ſed merum corpus eſt, cognitionis expers: *vel in mentem*, hoc eſt in partem eam cerebri, quæ proprium eſt organum phantaſię, ſenſusve communis, adeoque *mentis*, vt antiqui loquuntur, & ſpeciatim Hippocrates; a qua mente, tanquam a ſui forma, cauſaque finali, ſumit iſtud organum appellationem: hæc inquam Cous aſſerens, indicat homines epilepticos fieri, quando morbus ab atra bile proueniens, obſederit partem cerebri nulla prę ditam cognitrice facultate principe; ſed ſolum in ſe meatus habentem, vel eos circumambientem, per quos ipſe ſpiritus animalis a cerebro ſolet influere ſemper ad alia membra corporis omnia, quibus motum & ſenſum impertitur: Melancholicos autem effici, dum infirmitas ab eodem atro ſucco naſcens, infeſtauerit cerebri partem pollentem aliqua facultate cognitrice præcipua, ſenſu communi ſcilicet, aut phantaſia: cui quidem vtrique facultati nomen *Mentis* indidit Hippocrates more ſuo cum alijs antiquis, & ſe vetuſtioribus etiam communi. Quæ quidem pars cerebri, deſeruiens vt inſtrumentum phantaſiæ, ſenſuique communi, ſedem obtinet in intima ſolidaque cerebri ſubſtantia, procul ab ea parte, quæ ductus habet animalium ſpirituum ad alia membra corporis extra cerebrum collocata; & omnino

pro-

Digitized by Google

procul a cerebri ventriculis, in quibus velut in cloacis nunquam non coacervantur excrementitij ſucci pituitoſi; dicente propterea diuino ſene, (a) cerebrum eſſe metropolim ac ſedem frigidi, & glutinoſi: necnon etiam, (b) a muccis impediri ſenſuum interiorum operationes, quas in pueris intellectiones appellat, & ſapientiam eſſe ſtatim enatis; in quibus mucci tum e ventriculis cerebri vapores immittunt ad vniuerſam ſolidiorem ac intimam cerebri ſubſtantiam facillime: tum ipſimet ad eandem ſeſe inſinuant mucci, vbi nimium abundent in cerebro puelli.

a lib. de carnib.
b de ſept. part.

Altera Quæſiti declaratio, qua probatur, Hippocratem per mentem intelligere ſpirituoſam ſubſtantiam inſiti calidi, per corpus autem ſolidiorem cerebri ſubſtantiam: deque ſpiritu calidi connati placita pulchra Ariſtotelis explicantur. Cap. III.

CEterum lubet aliam etiam Hippocraticæ ſententiæ nunc explicationem afferre, diuerſam a propoſita quoquopacto, ſed tamen illi non aduerſam, vallatam non vnis alijs dogmatibus in Hippocratis officina cuſis, innixamque ſolidis theorematibus Ariſtotelicis. Nimirum, vt in corde, atque quouis alio membro ſolido corporis, ita pariter in cerebro, duplicem obſeruo partem corpoream: altera quidem eſt craſſior, & denſior ſubſtantia, ſecundum prædominium terrea & aquea, naturæ diſſimilaris, heterogenea, quæ poſt obitum remanet in cadauere cum ſuis conformationis differentijs, figura, numero, ſitu, colore, meatibus, & id generis: diciturque nomine priſtino cor, cerebrum, hepar, caro, neruus, & huiuſmodi, ſed æquiuoce, vt ait Ariſtoteles non vno in loco dicens, (a) *Igitur ſi animalium membrorumque vnumquodque figura, coloreque eſt, recte Democritus diſſerit, qui ex ijs ipſis putaſſe animalia conſtare videtur; quippe qui perſpicuum eſſe dicat, qualis forma ſit homo, quaſi ſua ipſe homo figura, coloreque pateat. Atqui mortuus homo, quanquam figuræ formam habet eandem, tamen homo non eſt. Ad hæc fieri non poteſt, vt manus ſit quocunque modo conſtans, vt ænea, aut lignea, niſi æquiuoca nominis communione: ſicut quæ picta eſt, vtpote quæ ſuo fungi officio nequeat; quomodo nec lapidea tibia ſuum aſſequi munus poſſunt, neque Medicus pictus artem medicinalem exercere poteſt; Pari ratione membrorum quoque hominis vita functi nullum id eſſe inſuper poteſt, quod erat, quum viueret, vt oculus, manus, pes, reliqua.* & alibi, (b) *Conſiderare autem & in partibus oportet, quod dictum eſt. Si enim eſſet oculus animal, anima vtique ipſi viſus eſſet; hic enim eſt ſubſtantia oculi, quæ ſecundum rationem; oculus autem materia viſus eſt; quo deficiente non eſt amplius oculus, niſi æquiuoce, ſicut lapideus, aut depictus. Oportet igitur accipere quod eſt in parte, in toto viuente corpore: proportionabiliter namque habet, ſicut pars ad partem, totus ſenſus ad totum corpus ſenſitiuum, ſecundum quod huiuſmodi.* & alio loco, (c) *Non eſt enim facies, niſi animam habeat, neque caro, ſed corrupta æquiuoce dicetur facies, aut caro, perinde quaſi lapidea, aut lignea facta ſit.* & adhuc infra, (d) *Nec fieri poteſt, vt vel facies, vel manus,*

a 1. de part. cap. 1.
b 2. de an. t. 9.
c 2. de gen. an. c. 1.
d cap. 5.

nus, vel caro, vel alia pars ſit, niſi anima ſenſualis inſit, aut actu operans, *aut potentia: & aut aliquatenus*, aliunde ſcilicet participata, *aut ſimpliciter; erit enim & mortuus, aut pars mortui*. Sic igitur in vnoquoque membro viuente pars vna, ſiue ſubſtantia vna quædam eſt craſſa, denſa, & diſſimilaris, a prædominio terreſtris & aquea, remanens in cadauere cum priſtina ſua figura, colore, meatibus, ceteriſque conformationis propriæ differentijs, æquiuoce retinens appellationem, qua vocabatur in viuente. Altera vero pars in cerebro, & in quouis alio ſolido membro viuente inexiſtens, inſitaque, ſubſtantia quædam eſt ſpirituoſa, rara, tenuis, a prædominio ignea & aerea, ſimilaris, & homogenea, quæ ſicut in ſenectute per decrementum ſenſim conſumitur; ita per mortem, quocunque tempore mors obrepat, aboletur omnino, euaneſcens in halitus inſenſibiles vniuerſa; nec in cadauere permanet: ob cuius partis diſſipationem & abſentiam, cadaueris corpus totum, & in eo membrum vnumquodque remanet flaccidum, & minoris etiam magnitudinis ad aſpectum: ſed tamen maioris ponderis aliquandiu, propter diſceſſum ſubſtantiæ leuitatem habentis, & coniuncto ſibi corpori conciliantis & communicantis quomodocunque; licet breui mox euaporante quoque portione ſubſtantiæ aqueæ, pondus imminuatur in cadauere. Quæ quidem ſpirituoſa pars a Medicis appellatur apte calidum inſitum, connatum, ſubſtantificum, fixumque cuique membro viuenti, pariter & ſpiritus implantatus vnicuique parti ſolidæ, contradiſtinctus a calido, ſpirituque influente per arterias & venas a corde ad membra cetera ſingula. Quam quidem diſtinctionem partium atque ſubſtantiarum in quouis animato corpore cognouit etiam Ariſtoteles; & primum quidem in ſemine, quod inanimatum eſſe negat, inquiens, (e) *Conceptum enim inanimatum eſſe nemo ſtatuerit vita omnibus modis priuatum; quippe quum nihilominus ſemina viuant, quam ſtirpes, & aliquandiu prolifica ſunt: ergo animam in ijs haberi vegetalem palam eſt*. & mox: *Inest enim in ſemine omnium, quod facit vt fecunda ſint ſemina, videlicet quod calor vocatur; idque non ignis, non talis facultas aliqua eſt, ſed ſpiritus qui in ſemine ſpumoſoq. corpore continetur: & natura, qua in eo ſpiritu eſt, proportione reſpondens elemento ſtellarum*. & adhuc infra: *Corpus autem genituræ, in quo ſemen animalis principij contentum vna prouenit, partim ſeparabile a corpore in quibus diuina pars comprehenditur, qualis eſt qua mens appellatur, partim inſeparabile: hoc inquam genituræ ſemen diſſoluitur, verſumque in ſpiritum euaneſcit; quum naturam humidam aquoſamque habeat*. Deinde vero ſpeciatim de iſta ſpirituoſa ſubſtantia fixa, calidoque ſpirituoſo inſito & implantato noſtræ cuique parti ſolidæ, non remanente poſt obitum in cadaueribus, agit Ariſtoteles (f) alibi ſcribens, Animantis *Generatio igitur eſt prima participatio cum calido nutritiua anima: Vita autem manſio huius: Iuuentus autem eſt prima refrigeratiua particulæ augmentatio: Senectus autem huius decrementum: Status autem horum medium: Mors autem & corruptio, violenta quidem calidi extinctio, & marcor (corrumpitur enim vtique propter ambas has cauſas) quæ autem ſecundum naturam, eiuſdem huius marcefactio propter temporis longitudinem, & perfectionem: in plantis igitur ariditas, in animalibus autem vocatur Mors: Huius autem, quæ quidem in ſenectute mors, marcor particulæ propter impotentiam refrigerandi, a ſenectute*. Quibus

e 2. de gen. an. c. 3.

f de vit. & mor. c. 14.

B Ari-

Ariſtoteles illud inſitum calidum ſpirituoſum, cuique parti ſolide fixum, deſcribit apte *Primam particulam refrigeratiuam*: & ſane *primam*, quia ſpirituoſa ſubſtantia calidi fixi cuique membro prima eſt cum dignitate, tum origine; quum portio craſſior poſterius animetur, & illi ſpirituoſæ ſubſtrata ſit, veluti materia formæ perficienti. *Particulam*: quia mole longe minor eſt, licet virtute maior, quam ſit portio craſſior; & propterea cadauer, e quo tota prorſus abijt inſiti calidi ſpirituoſa ſubſtantia, valde parum imminutum eſſe conſpicitur a priſtina magnitudine viuentis; imminutum tamen aliquantulum conſpicitur. *Refrigeratiuam*: Græce quidem legitur, *catapſyticu*, *refrigeratiua*; quod niſi ſumatur per tropum in contrario fere ſenſu pro *refrigerabilis*, ſiue *refrigerationis indiga*, difficilem habet explicationem; etenim calidum inſitum in vnoquoque membro particula eſt a prædominio ignea, ſemper indiga refrigerij; quo dum abſolute priuatur, cito depaſcitur humidum radicale ſibi ſubiectum; quapropter & ipſum calidum inſitum marceſcit, & mortem arceſſit. Et reuera *refrigeratiuum* hoc loco ſumendum pro *refrigerabili*; nam frequenter apud Claſſicos autores habemus huiuſcemodi

L.18.c.12. tropum; quod adnotauit A. Gellius inquiens, *Id quoque habitum eſt in oratione facienda elegantia genus, vt pro verbis habentibus patiendi figuram; agentia ponerent: ac deinde hac vice inter ſe ſe mutua verterent*. & mox: *Verba autem patiendi pro agentibus in omnibus ferme veterum ſcriptis reperiuntur*. Ariſtoteles ergo,

h 4. Acad. quem Cicero fundere flumen orationis aureum (h) dixit, & Iſocratem ip-

i in orator. ſum orationis (i) ornatu laceſſiuiſſe, & Rhetoricæ plurima (k) ornamenta at-

k 1. de Inuen. que adiumenta ſubminiſtraſſe, non omiſit eam elegantiam, qua pro voce paſſiuam ſignificationem habente, ſumeret vocabulum actiuæ ſignificatio-

l de vit. & mor. c. 14. nis, non ſolum hic (l) *refrigeratiuam* dicens pro *refrigerabili* particula; ſed etiam alibi vocans eandem animam modo (m) vegetatiuam, modo (n) vege-

m 2. de an. t. 34. talem, modo (o) vegetabilem: & eandem aliam animam modo (p) ſenſitiuam, modo (q) ſenſualem, modo ſenſibilem. Quam elegantiam imitatus

n 2. de gen. an. c. 3. Virgilius nomen paſſiui ſenſus *penetrabile* poſuit in actiua ſignificatione, dum ipſi (ſ) *Penetrabile frigus adurit*; aſſumit enim *penetrabile* pro *penetratiuo*. Ve-

o 2. de gen. an. c. 4. rum enimvero forte ſine tropo dicere potuit Ariſtoteles actiua ſignificatione calidum inſitum eſſe primam particulam *refrigeratiuam*. quia per conco-

p 3. de an. t. 41. ctionem, quam vbique molitur, eſt effectiuum alimenti, quod reuera eſt refrigeratiuum; quum abſentia nutrimenti ſiccitatem inducat, quæ ceu lima

q 2. de gen. an. c. 3. calidum innatum exacuit. Quam doctrinam in hoc eodem opere colligimus ex Ariſtotele dicente, (t) *Concoctio, per quam alimentum fit animalibus, neque*

ſ 1. Georg. *ſine anima, neque ſine caliditate eſt: igne enim operantur omnia*. & antea, (u) *Quo-*

t de vit. & mor. c. 10. *niam autem omne viuens habet animam: ipſum autem non exiſtit ſine naturali caliditate, ſicut diximus: plantis quidem per alimentum, & continens fit auxilium ad*

u cap. 3. *naturalis calidi conſeruationem: etenim alimentum facit refrigerationem ingrediens, ſicut & hominibus, qui primum cibum ſumpſerunt: Ieiunia autem calefaciunt, & ſitim faciunt: immotus enim exiſtens aer ſemper calefit; alimento autem ingrediente refrigeratur motus, donec vtique aſſumpſerit concoctionem*. Sed & aſſumpta concoctione duplici priore, tam in ſtomacho, quam in hepate, vel corde, nutrimentum eadem ratione ad partes alendas accedens, ab earundem inſito ca-

lore

Digitized by Google

lore tertiam & vltimam concoctionem ſubiens, fit alimentum actu, ſicut ait
(*x*) Hippocrates: & humiditate, quam itidem ſecum affert duplicem, pro- *x* lib. de
priam ſcilicet ſibi ſubſtantialem, & extrinſecam ichoroſam, quæ vehiculum alim.
alimenti dicitur a (*y*) Coo, temperat æſtum inſiti calidi, retundẽs ipſius acu- *y* ibid.
men; alioqui ſiccitate, propter abſentiam vtriuſque humiditatis huius, acu-
mine ſumpto maiori, ferociens depaſcitur ocyus humidum ſolidarum par-
tium radicale; quo conſumpto marceſcens, interitum accerſit. Vnde plane
conſtat Ariſtoteli calidum inſitum cuique parti viuenti ſimul eſſe primam
particulam tum per ſe refrigerationis indigam, tum etiam ſuimet ipſius re-
frigeratricem miniſterio nutrimenti, quod per concoctionem efficit alendis
partibus idoneum: quarum calor illud alimentum cum ſuo vehiculo ſeroſo
trahit ad ſeſe temperandum & refocillandum. Quæ loci tenebricoſi dilu-
cidatio prætereunda non videbatur. Quoniam vero multa ſuppetunt ex
alijs dogmatibus Ariſtotelis in eodem contextu propoſitis, argumenta ne-
ceſſario conuincentia ſubſtantiam ſpirituoſam implantati calidi natiui par-
tem eſſe reapſe diſtinctam a ſubſtantia denſiore craſſioreque cuiuſque mem-
bri; qua differentia maxime nititur Hippocratici noſtri Quæſiti difficilioris
explicatio; propterea fuerit operæ pretium ea diligentius introſpicere.
Porro ſi *Generatio* viuentis apte definitur *prima participatio animæ nutritiuæ* *Idea gene-*
cum calido; quando in omni participatione diſtinctum eſſe debet participa- *rationis a-*
tum a participante; nihil enim ſeipſum participare poteſt; quumque quod *nimati de-*
animam cum calido participat, nihil aliud eſſe valeat quam organica ſub- *claratur.*
ſtantia denſior ſolidarum partium: anima ſiquidem generatim definitur eſſe
actus primus phyſici (*z*) corporis organici: iam craſſa ſolidarum partium *z* 2. de an.
ſubſtantia reapſe diſtinctum quid eſt a ſubſtantia nedum animæ, ſed etiam t. 7.
inſiti calidi. Prima vero iſta participatio eſt illa prima mutatio ſenſitiui,
quam (*a*) alibi dicit Ariſtoteles a generante fieri; nimirum in animalibus *a* 2. de an.
perfectis, quæ generantur interuentu ſeminis, quando femineum excremen- t. 59.
tum, quod eſt a prædominio terreum & aqueum, primo ſuſcipit a ſemine fe-
cundo ſpirituoſam ſubſtantiam innati calidi ſimul cum anima, tunc fieri di-
citur animal: cuius corpus quoad partium ſolidarũ terreſtrem magis aquo-
ſioremq. ſubſtantiam conſtituitur ex materia maxime feminei excrementi;
quoad ſubſtantiam vero connati fixique calidi, conſtituitur ex fecundi ſemi-
nis ſubſtantia ſpirituoſa, ſecum animam in conceptum deferente: Quod
aperte ſatis edocet Ariſtoteles, cui (*b*) *Semen vbi vterum ſubijt, conſtituit & mo-* *b* 2. de gen.
uet excrementum feminæ eodem motu, quo & ipſum mouetur, & menſtrua ſemen an. c. 3.
ſunt, quamquam non purum; vnum enim illud non habent, originem & principium
animæ; ſed principio carent; quapropter animatum non eſt menſtruum; *id enim a*
ſemine maris affertur: quod principium vbi feminę excrementum receperit, conceptus
fit: qui eſt vere prima participatio animæ nutritiuæ cum calido natiuo inſi-
to primigenioque in excremento femineo; proindeque primordialis gene-
ratio animalium; cui proportionabiliter reſpondet generatio viuentis alius
imperfectioris cuiuſque, conſiſtens in participatione conſimiliter animæ nu-
tritiuæ cum calido facta in materia denſiore ſecundum prædominium terre-
ſtri & aquea; quum calidum illud natiuum (animæ veluti vehiculum Ari-

ſtoteli, ſed anima Coo ſeni) ſit ſpirituoſa ſubſtantia ſecundum prędominium ignea. Dein vero, ſi *Vita eſt manſio huius* animæ cum calido fixo in corporis organica ſubſtantia, cuius anima eſt actus primus; quod (*c*) antea quoque dixerat Ariſtoteles, *Si viuere* (quod eſt viuentibus (*d*) eſſe) *eſt anima habitus cum caliditate quadam*: Quum inter corpora (excepto Vniuerſo; quod tamen potius in Deo eſt, vt ait (*e*) Philoſophus, quam in ſe) nullum maneat in ſe ſe, nullumque ſemetipſum habeat; ſed ſemper habens ab habito diſtinctum ſit, & manens ab eo in quo manet: iam calidum inſitum oportet eſſe corpus diuerſæ naturæ a ſubſtantia craſſiore ſolidarum partium, in qua manet, quæque illud in ſe habet. Inſuper ſi *Iuuentus eſt prima refrigeratiua particula*, hoc eſt inſiti calidi *augmentatio* formaliter atque præciſe per ſe ſumpta, ſicuti ſumitur omnis definitio: certe differre debet inſiti calidi ſubſtantia realiter a ſubſtantia craſſiore ſolidarum partium, in quarum augmine non conſiſtit idea & eſſentia Iuuentutis, hic ab Ariſtotele definitæ; quæque craſſior & denſa ſolidarum partium ſubſtantia ſimpliciter non in omni Iuuentute augetur. Quod ea ratione fit, quia licet in Iuuentute plerumque ſimul cum ſubſtantia ſpirituoſa calidi connati, creſcant etiam ſolidæ partes quoad ſui ſubſtantiam craſſiorem; attamen eſſentia Iuuentutis vniuerſa conſiſtit in robore virium & facultatum operatricum, non in magnitudine partis organicæ, vitæ functionibus inſeruientis: Vnde dicit (*f*) Ariſtoteles, Hominem ſenem viſurum, ſicut iuuenis videt, non quidem ſi ſuſcipiat oculum tam magnum, ſed ſi talem, præditum nempe ſpirituoſa ſubſtantia calidi fixi, quæ ſatis abundat in oculo iuuenis, deficit multum in rugoſo ſenis; qui tamen habere poteſt ampliores maioresque partes denſas a prædominio terreas & aqueas, quam habeat oculus iuuenilis. Et ſi quando ſenex recuperaret amiſſam inſiti calidi ſubſtantiam ſpirituoſam, profecto citra augmentum ſubſtantiæ terreſtrioris & aqueæ in partibus organicis, ad ſolam augmentationem calidi fixi ſpirituoſi, virium robur acquirens, vere reiuueneſceret: Quod aliquando, procul a Medeæ figmentis accidiſſe ſuperiori ſeculo, Hiſtoriarum Indicarum Scriptor fide digniſſimus teſtatur elegantiſſimus ille Maffeius inquiens, (*g*) *Dum hæc parantur, quidam e Gangaridarum gente, quam hodie Bengalam vocant, ad Prætorem adijt, natus, vt ferebatur, annos trecentos triginta quinque, neque mendacij ſuſpicio ſuberat: nam & ſeniores, qui tum erant, ſe de hoc eodem grandæuo audiuiſſe aiebant a maioribus accepiſſe; & ipſe filium habebat nonagenarium: & quum literam noſſet nullam; quæ referebantur ab eo de veterum geſtis rebus, ad fidem annalium optime congruebant. Huic aliquoties iam deciderant dentes, alijs continuo ſubnaſcentibus: & barba vbi prorſus incanuiſſet, in atrum denuo colorem, idque paulatim ſemetipſa vertebat. Ante centeſimum annum idola coluerat: inde atque miſerabili errore ad noſtram Mahometis tranſierat ſectam. Is propter miraculi nouitatem Sultani ſtipendijs ali conſuetus, idem vitæ ſubſidium ab Nonnio petijt: Nonnius haud grauate aſſignauit.* In ſecunda, tertiaque iuuentute corpus huic nihil increuit quoad partes craſſas & ſolidas a prędominio terreas & aqueas; at ſolum auctum fuit calidum inſitum, partiumque ſolidarum incrementum ſuſcepit ſpirituoſa ſubſtantia; cuius robore ſenſim genitæ fuligines excrementitiæ calidiores, & per aduſtionem atræ, priſtinas frigidiores

albas

Vitæ ratio in quo ſita.

c de vit. & mor. c. 10.

d 2. de an. t. 37.

e 7. Eu dem. cap. 18.

Iuuentutis eſſentia in quo ſita.

f 1. de an. t. 65.

g 11. hiſt. Ind.

albas impellentes ab radice ad cutis poros, iiſdemque viſciditatis glutino iunctæ, pilos barbæ canos paulatim de radice increſcentes in atros mutare facile potuerunt. Sed ne cui fucum facere, fideque firma carere videatur longinquæ vnitas hiſtoriæ; præter hoc inſigne de ſe teſtimonium, Torquemada ſcribit, anno M D X X X I. Tarenti fuiſſe centenarium ſenem capularem; qui pilis, cute, vnguibus, & ſitu, atque ſquallore ætatis decidentibus, & in melioris ętatis omnibus mutatis, de ſene iuuenis prodierit, & quinquaginta poſt annis ſuperuixerit. In Caſtella quoque Rioia alteri cuidam viro ſimilem contigiſſe ſortem; idque vulgi fama notiſſimum fuiſſe, & ab Ammira Caſtellæ ſedulo exploratum. Valeſcus itidem Terentafius ait, (*h*) ſe viuo fuiſſe Moruedij, quod Regni Caſtellæ opidum eſt, olim Saguntus, Monialem Abbatiſſam, cui iam ſiliceraio, ſubito menſtruis fluoribus iam renouatis, dentes renati, comæ denigratæ, rugæ & ſulci cutis adæquati, mammæ pendulæ atque pannoſæ ad inſtar virgunculæ ſororiarunt: ſic denique ſe vultu, facie, totoque corporis habitu iuuenculam exhibuiſſe, vt rei nouitate percuſſa, præ verecundia ſe cunctorum oculis ſubtrahere niteretur. Autor Dialogi (*i*) *Horti floridi* ſcribit, mortales multos ex ſenibus ad iuuentutem redijſſe. Denique vetuſtiores inter Athenæus (*k*) appellat *Neſtorem trium ætatum*, forte quia ter ſenium depoſuerit redintegrata iuuentute: Idipſum dicas de tortiſſimo pugili Starchatero, quem Ioannes Magnus in ſua hiſtoria rerum Septemtrionalium ait, (*) *Dignum admiratione hominem, natum fuiſſe parum poſt Chriſtum natum: peregiſſeque trium hominum ſecula.* Quod & (†) Olaus frater reperit, & ante vtrumque Saxo confirmauerat. ne huc alia teſtimonia multa veterum afferam de propoſito, quorum in opere (*l*) *De Arulis Antiquis* mentionem habeo. Sic igitur Iuuentutis Idea tota conſiſtit in augmento ſubſtantiæ ſpirituoſæ calidi fixi, vt ait (*m*) Ariſtoteles, non autem in augmine partium terreſtrium & aqueatum craſſiorum; licet illi coniungatur in iuuentute prima ſolummodo. Quum autem in iſtis ſenibus reiuuenеſcentibus non ſemel inſiti calidi ſubſtantia ſpirituoſa creuerit, abſque ſubſtantiæ ſolidæ terreſtrioris augmento; neceſſario dicendum eſt, inſiti calidi ſpirituoſum corpus a corpore craſſiore ſolidarum partium realiter eſſe diſtinctum. Neque vero me turbat hic ſolidæ terreſtriſque ſubſtantiæ dentium reſtitutio & augmentum in ſenibus iſtis reiuueneſcentibus; quæ multum turbare poteſt Medicos negantes paſſim reſtitutionem ſpermaticarum partium amiſſarum: tum quia pro nihilo reputatur hæc vna pars exigua dentium præ tot alijs multo pluribus, multoque maioribus, & oſſibus, & neruis, & membranis, & chartilaginibus, & tendinibus, & muſculis, alijſque viſceribus, propriam ſibi ſubſtantiam denſam atque terreſtrem cum priſtina magnitudine conſeruantibus in vnoquoque ſene iuuentuti reſtituto; nam (*n*) Ariſtoteli, *Quod parum diſtat, tanquam nihil diſtare videtur*: &, (*o*) *&c neque vna hirundo, neque vnus dies facit.* Tum quia nobis habenda ratio cauſæ finalis, ſine qua nihil operatur (*p*) vſpiam natura; & ad cuius aſſecutionem, vt impedimenta ſuperet, aliquando natura conſuetum ordinem deſerens, admirabilia molitur; non ne fugiens vacuum, & vitans inuiſam ſibi penetrationem corporum, natura præter morem ſuum ducit in altum gra-

h 6. Philo. cap. 12.
i dial. 1.
k l. 10. c. 11
* l. 4. c. 6.
† l. 5. c. 4.
l cap. 22.
m de vit. & mor. c. 14.
n 2. phyſ. t. 56.
o 1. ethic. cap. 7.
p 1. cæl. t. 32.

grauiſſima pondera, & ab aere flammaque molli repente facit effringere duriſſima ſaxa ?. Sic, vt iuuentuti reſtituti ſenes perfrui valerent alimento ſolidiori, ſuæ debito complexioni nouiter acquiſitæ, natura dentes ipſis iterum impertitur. Tum maxime, quia mihi nunc ad oſtendendam varietatem ſubſtantiæ ſpirituoſæ calidi connati a terreſtriori ſolidarum partium corpore, ſatis eſt in allatis antea ſenibus reiuueneſcentibus auctas non fuiſſe partes alias omnes ſolidas quoad ſui terreſtrem atque denſam conſiſtentiam, ſed ſolum increuiſſe ſpirituoſam inſiti calidi ſubſtantiam. Deinceps hoc ipſum partium diſcrimen in vnoquoque membro ſolido conuincitur apertius ex natura *Senectutis*, quæ definitur *huius* eiuſdem inſiti calidi *decrementum*; anima namque per ſe non decreſcit, ſed per accidens; ea vero, quæ per accidens, in definitionibus non aſſumuntur; quippe definitiones internam rei definitæ ſubſtantiam explicantes, per (r) eſſentialia traduntur, non autem per accidentalia. Modo ſenectus eſt proprie decrementum implantati calidi, non item ſubſtantiæ ſolidarum partium denſioris atque terreſtris inſito calido ſubſtratæ; ſiquidem euidentiſſime ſenes vt amittunt multum de ſpirituoſa ſubſtantia calidi connati, vnde fiunt macilenti, flaccidi, pallidi, & rugoſi; ſic nihil omnino deperdunt per decrementum de terreſtri & aquea ſubſtantia ſolidarum partium, quæ proinde per diminutionem in ſenibus priuatæ corpore ſpirituoſo calidi fixi, flacceſcunt quidem, & incuruantur, vt ait Hippocrates (ſ) & ex eo Galenus; (t) ſed propriam ſibi magnitudinem priſtinam retinentes, toto decrementi tempore, nihil amittunt de priſtina proceritate, denſitate, latitudineque. Quum igitur aperte conſtet, ea reipſa differre inter ſe, quorum vnum imminuitur, altero non decreſcente, ſed ſuam ſibi priſtinam magnitudinem conſeruante; nemo certe non colliget ex allatis, inſiti calidi ſubſtantiam ſpirituoſam reipſa diſtinctam eſſe a ſubſtantia craſſa denſaque ſolidarum partium, ſecundum prædominium terreſtri & aquea; quæ remanet in ſenibus; temperamento naturali propterea frigido ex Hippocrate; quibus abſumpta fuit maxima portio ſpirituoſæ ſubſtantiæ calidi natiui fixi; dicit enim, (*) *Nam id probe noſſe oportet, quod homo primis diebus calidiſſimus eſt ſui reſpectu, vltimis frigidiſſimus. Neceſſe eſt enim augeſcens & ad vim procedens corpus calidum eſſe. Vbi autem inceperit marceſcere corpus, delabens in ocium, frigidiſſimum euadit. Et iuxta hanc rationem, quanto amplius primis diebus homo augeſcit, tanto calidior exiſtit; & quanto plus vltimis diebus marceſcit, tanto frigidiorem eſſe neceſſe eſt.* & alibi conſimiliter, (u) *Qui creſcunt, plurimum habent calidi innati; plurimo igitur egent alimento; alioquin corpus abſumitur. Senibus vero parum calidi innati ineſt; paucis propterea fomitibus egent, quia a multis extinguuntur. Hanc etiam ob cauſam febres ſenibus non ſimiliter acutæ fiunt; frigidum enim eorum corpus.* Quo loco per calidum innatum non intelligit Hippocrates hic influentem a corde per arterias & venas vna cum ſpiritu & ſanguine ad vniuerſa membra fouenda & nutrienda, ſed inſitum & fixum, ſubſtantialeque cuique parti ſolidæ viuenti; tum quia ſolum hoc inſitum alimentis indiger, quo reſtauretur, quum ſit ſubſtantia viuens; non item influens: tum quia ſolum hoc inſitum alimento priuatum abſumit corpus, depaſcens humidum radicale ſibi ſubſtratum; quod non efficit calidum influens: tum demum

quia

Senectutis eſſentia intime detegitur.

r 7. meta. t. 17. 42. & ſeqq.

ſ 2. ſect. aph. 54.

t in com.

* de nat. hominis.

u 1. ſect. aph. 14.

Digitized by Google

quia ſolum hoc inſitum calidum, quod viuens eſt, febris ſubiectum eſſe valet; quippe morbus omnis eſt affectio corporis animati; non item calidum influens, quod inanimum corpus eſt; qua de re latius (x) infra commodiori loco. Sic ergo ſenibus paucum ineſt calidi natiui fixi; quum tamen in ipſis multo maior, quam ijs qui creſcunt, ſit moles corporea ratione partium ſolidarum craſſiorum atque denſiorum, in quibus terra potiſſimum prædominatur & aqua. Sed hoc in loco ſicuti recte Galenus ait Hippocratem nomine calidi innati non intelligere qualitatem ſimplicem caloris, ſed ſubſtantiam corpoream calidam: Ita non poſſum ab eo recipere, huiuſcemodi ſubſtantiam eſſe aeream & aqueam a prædominio, non autem igneam; non obſtante, quod in pueris calidum hoc innatum non feriat manum ingentis acrioribus exhalationibus igneis, ast mitioribus & ſuauibus vaporibus aqueis, & aereis: tum quia corpus habens aeris & aquæ prædominium, tactui nullum omnino calorem exhibet, ne dum ſuauem atque mitem; quum aqua de ſe ſit abſolute frigida, & aer inſenſibilem habeat caliditatem, vt obſeruat etiam (y) Ariſtoteles: tum quia prædominans ignis in ſpirituoſa ſubſtantia multa calidi innati eorum qui creſcunt, non adeo viribus excellit, vt acriter ſenſum feriat, ſed aere multo temperatus, & aqua terraque, licet exigua, vapores benignos & ſuaues emittit, non autem acres halat fuligines: tum maxime quia dicit Hippocrates ab iſto calore innato conſumi corpus, niſi multis alimentorum fomitibus obiectis a corporis conſumptione reuocetur; modo ſolus calor igneus poteſt hac ratione corpus conſumere, non aereus, qui nullas obtinet conſumendi vires, de ſe propemodum inſenſilis, & ab aquæ ſocietate plurimum eneruatus. Quare potius Ariſtotelem, conſentanea rationi dicentem audio, qui ſemper fere calidum hoc innatum appellat ignem, ſecundum elementum in eo prædominans denominatione facta; potiſſimum vbi dicit, (z) *Quoniam autem dictum eſt prius, quod ipſum viuere, & animæ habitus cum caliditate quadam eſt; nam concoctio, per quam alimentum fit animalibus, neque ſine anima, neque ſine caliditate eſt; igne enim operantur omnia.* & mox: *Alias igitur virtutes animæ impoſſibile exiſtere ſine nutritiua: hanc autem ſine naturali igne: in hoc enim natura ignivit ipſam.* Certeque non poſſunt ab aereo calore, quem aquæ permiſtæ frigiditas tantum non extinxit de ſe debilem ſatis ac vix ſenſibilem, concoctiones alimentorum fieri, quæ ſunt operoſæ nimium, validaque mutationes cibariorum & potuum in alimentum ſubſtantiæ ab illis diſſimillimæ. Vt propterea plantæ, quibus calor inſitus debilis eſt, ac hebetatus a frigiditate terræ prædominantis in earum ſubſtantia, primam coctionem non efficiant in ſe; ſed alimentum concoctum ſibi de terra trahunt, qua veluti ventre vtuntur: vt obſeruat Ariſtoteles (a) aiens, *Stirpes enim, ſiue plantæ ſuis radicibus alimentum iam confectum ex terra hauriunt: quocirca nec excrementum quidem contrahi in ſtirpibus ſolet: terra enim caloreque eius perinde ac ventre vtuntur. At animalium genus omne ferè, ſed aperte, quæ incedunt, quaſi terram intra ſe continent ſinum ventris, ex quo, vt illæ radicibus, ita hæc aliquo intercedente cibum aſſumere debent, donec finem ſequentis concoctionis faciant.* Ineſt autem intra terram calor multus ab igne contento & ardente ſemper in terræ viſceribus, quo ſuccus terræ permiſtus facile coquitur in alimentum plan-

x cap. 4.

Galenus notatur de ſubſtantia caliditatis innati.

y 1. phyſ. tex. 4.

z de vit. & mort. c. 102

a de par. c. 3.

plantarum. Sed inſitum calidum in animalibus eſt ſubſtantia ſecundum prædominium (citra tamen magnum exceſſum) ignea formaliter; & aerea ratione radicalis humidi calido ſubiecti & implexi; quum aquæ terræque prædominium ſit in ſubſtantia ſolidarum partium alia, quæ craſſior & den-
Mortis intima natura phyſice explicata. ſior eſt, non in iſta ſpirituoſa inſiti calidi nomine nuncupata. Quarum duum ſubſtantiarum corporearum in vnoquoque membro ſolido viuente diuerſitatem aperte quoque demonſtrat allata per Ariſtotelem definitio mortis tam violentæ, quam naturalis; nam *violenta mors eſt*, ante tempus vltimæ ſenectutis, *calidi natiui tum extinctio a contrario frigido, tum marcor ab exſiccante quocunque radicalem humorem*; quare prorſus intacta terrena, & aquea portione partium ſolidarum; quæ duæ portiones in cadauere quandoque remanent ad multum temporis vna ſimul iunctæ: ſed tandem interuentu putredinis ab inuicem ſeparantur; & effluxa, conſumptave parte cadaueris aquea, remanet ſola terra ſub ſpecie cineris & pulueris. Iidem hoc ipſum oſtendit mors naturalis, quæ non eſt extinctio natiui calidi ab vllo contrario frigido; ſed ſolum eiuſdem inſiti calidi marcor contingens *ob temporis longitudinem, &*
b de vit. & mor. c. 14. *perfectionem*, vt ait (*b*) Ariſtoteles; etenim mors naturalis obrepit, non ab externa cauſa violentiam inferente; ſed ab interna tantum, ſecundum naturam agente, patienteve: Quoniam autem cuique mortalium in ortu ſuo contigit vnio determinata calidi fixi cum determinato quoque radicali humore; quæ quidem vnio ſecundum ſe non eſt æterna, & indiſſolubilis; ſed æui finiti prorſus, atque diſſolubilis: quia neque calidum inſitum ſuapte natura poteſt æterno tempore durare; neque radicalis humor in æternum permanere valet incolumis; aſt obtinent ambo ſtatuta tempora ſuæ durationis. Quoniam inſuper humidi radicalis aerea ſubſtantia veluti pabulum ſuſtentat innatum calidum: & hoc viciſſim actuat & perficit humidum: propterea mutuam iſta duo ſibi operam præſtantia, ſub animæ continentis (vt ait
c 1. de an. t. 39. (*c*) Ariſtoteles) regimine, niſi forinſecus occurſantia moleſtiam afferant, longo tempore iuncta perſeuerant in corpore viuentis, ab eius infantiæ principio vſque ad finem vltimæ ſenectutis: Quod quidem tempus diuturnum eſt, & perfectum æuum, debitum naturæ cuiuſque mortalis. Quare mors naturalis poſt temporis longitudinem, & æui cuiuſque viuentis proprij complementum, atque perfectam abſolutionem, aduenit per marcorem inſiti calidi, ad radicalis humoris abſumptionem. Quibus duabus ſubſtantijs, calidi ſcilicet innati a prædominio ignei, nec non humidi radicalis a prædo-
d 4. meteo. t. 4. 6. minio aerei, per mortem ablatis, remanent in cadauere pariter partium ſolidarum ſubſtantiæ, non quidem ſpirituoſæ, leues, & raræ; ſed craſſæ, den-
e Bocat. 4. de Geneo. Deor. c. 68 Niph. 4. meteo. cõ. vlt. ſæ, & graues, a prædominio terrea, & aquea: quæ poſt multum aliquando temporis, putredinis, vel ariditatis interuentu, ſeparantur ab inuicem, & (*d*) effluxa, conſumptaque aquea ſubſtantia, remanet ſola portio terrea, nonnunquam etiam priſtinam cadaueris figuram & effigiem conſeruans; vt obſeruat cum multis (*e*) alijs Ariſtoteles inquiens de carne, neruo, & ceteris partibus animalium, (*f*) *Quare, quando exiſtunt, & quando non, non facile eſt*
f 4. meteo. c. vlt. *perſpicere, niſi valde deperditum fuerit, & figura ſola fuerint reliquæ: vt inueteratorum mortuorum corpora, quæ ſubito cinis fiunt in ſepulchris*, vbi ſcilicet quis ea

ceti-

Digitized by Google

tetigerit, vel in ea inſufflauerit. Iam ergo conſtat apertiſſime, reperiri duas
naturæ diuerſę ſubſtantias in vnoquoque membro, craſſam & denſam vnam,
a prædominio terream & aqueam; quæ poſt mortem, ad longum tempus
etiam aliquando, permanere ſolet in cadauere ante putredinem cum homo-
nymia priſtini nominis, figura, ſitu, & alijs organizationis differentijs: al-
teram autem ſpirituoſam, tenuem, & raram, a prædominio igneam, quę nun-
cupatur ab (*g*) Ariſtotele, quin etiam ab (*h*) Hippocrate calidum innatum; *g* de vit. &
quæ decreſcens in ſenio, per mortem aboletur omnino: Quarum hæc in vita mor. c. 3. &
perficit & continet illam, ſicuti forma materiam, anima corpus, & omnino 10.
mens inferiorem animæ facultatem, & corpus ipſum: Quæcirca non ſunt *h* 1. aph. 14
iſtæ partes inter ſe loco, ſed natura diſcretæ; ac ſi lubet eas vtcunque loco di-
ſtinctas dicere, plane ſe ſe habuerint adinuicem, vti ſpongiæ corpus, & hu-
moream madidam replens, vel aeream ſiccam omniquaque permeans &
implens. Id plane ſenſit Hippocrates de duabus hiſce ſubſtantijs agens, cor-
pus innati calidi ſpirituoſum aliquando nuncupans (*i*) animam hominis, & *i* 6. epid.
aliquando (*k*) mentem: corpus autem ſolidarum partium craſſius & den- *k* de corde.
ſius appellans (*l*) corpus abſolute, ſicut (*m*) infra latius oſtendemus, in *l* 6. epid.
præſentia ſufficiat ex eo colligere, partem ſpirituoſam a prædominio *m* cap. 5.
igneam, quæ calidum innatum ab Hippocrate nuncupatur, eidem ſeni cen-
ſeri mentem & animam hominis; quia Cous ipſe fatetur in epiſtolis a De-
mocrito ſe ſapientiam didiciſſe, dum ita ſcribit, *Hippocrates Damageto gau-
dium. Hoc erat illud Damagete, quod coniectabamus: non inſanit Democritus, ſed
ſuper omnia ſapit; & nos ſapientiores effecit; & per nos omnes homines;* quare
ſuam doctrinam Hippocrates hauſiſſe ſe profitetur a Democrito. Demo-
critus autem animam exiſtimauit eſſe ignem, inſitumque calidum: & ab in-
tellectu non diſtingui, ſed idem eſſe cum mente; ſicuti teſtatur Ariſtoteles
inquiens, (*n*) *Vnde Democritus quidem ignem quendam, & calorem dicit eſſe ipſam* *n* 1. de an.
animam. & mox. (*o*) *Similiter autem & Anaxagoras animam dicit eſſe mo-* t. 20.
uentem, & ſi quis alius dixit quod totum mouit Intellectus: non tamen penitus ſicut *o* tex. 25.
Democritus; is enim ſimpliciter dicit idem eſſe animam, & intellectum. Hippo-
crates igitur cum Democrito pro eodem habuit mentem, & animam; cen-
ſuitque hanc eſſe calidum innatum, adeoque partem atque ſubſtantiam ſpi-
rituoſam a prædominio igneam in corpore noſtro, contradiſtinctam a ſub-
ſtantia craſſa & denſa, quæ ſecundum prædominium terreſtris eſt & aquea.
Sed iſtiuſmodi ſubſtantias duas in cerebro iam cum Hippocrate contemplę-
mur. Certum vnicuique ſatis eſt (vt demum ad Quæſiti cardinem acceda- *Quæſiti de-*
mus) epilepſiam eſſe morbum in mala conformatione partis organicæ, pro- *terminatio.*
ductum ab humore craſſo multoque, vias illas obſtruente, per quas anima-
lium ſpirituum copia ſufficiens de cerebro fluere debet ad alias corporis par-
tes, in illis motum atque ſenſum promouere conſuetorum; adeoque paſſio-
nem eſſe partis illius in cerebro, quæ ſolidior eſt, craſſior, heterogenea, diſſi-
milaris, & organica: Melancholiam autem eſſe morbum in intemperie ſpi-
rituoſæ potiſſimum fixæ ſubſtantiæ cerebri, calidique natiui implantati, &
inſiti ſpiritus in eo viſcere. Quum autem ſpirituoſa cerebri ſubſtantia, ca-
lidumque fixum, a prædominio igneum ſe habeat ad cerebri ſubſtantiam ſo-

Digitized by Google

lidiorem & craſſam a prædominio terream & aqueam, vti forma ſe habet ad materiam, quam perficit; & anima, ſeu mens ad corpus, quod viuificat; nam & in magno mundo, & in vnoquoque miſto, ignis & aer (a) Ariſtotele doctore, ſe habet vt actus ad potentiam, vt (b) continens ad contentum, vt agens ad patiens, vt perfectiuum ad perfectibile, omnino vt forma ad materiam, vt anima & mens ad corpus; propterea ſpirituoſa cerebri ſubſtantia fixa, calidumque cerebri natiuum inſitum, ſe habet ad craſſiorem cerebri ſubſtantiam vt anima & mens ad ſubiectum ſibi corpus; nam ipſum perficit, actuat, continet, atque viuificat, eique conciliat virtutem operatricem: Immo vero ſecundum Hippocratem, Democriti placita recipientem, calidum inſitum cerebri ſpirituoſaque ſubſtantia viſceris a prædominio ignea, eſt vere anima, & mens: vnde ſcribens Hippocrates in loco abſte prolato, bilem atram in cerebro morbum efficere, qui ſe repat in corpus, homines reddit epilepticos; ſin autem in mentem, eoſdem efficit melancholicos; nomine corporis intelligit craſſam cerebri ſubſtantiam organicam; quæ obſtruitur in epilepſia; nomine vero Mentis indicat inſitum calidum, ac omnino ſpirituoſam ſubſtantiã cerebri conſiſtentem & fixam, a prędominio igneam.

a 2. de gen. t. 50.
b 3. phyſ. 67.
c phyſ. 35.
d 4. cæl. 23. 35.
a de an. 39

Eadem ſententia confirmatur ex alio theoremate, quo dicit Hippocrates, Calidum intelligere cuncta, & videre, & audire, & ſcire omnia, tum præſentia, tum futura. Cap. IV.

VErum & alio loco mentem, & animam, & calidum inſitum a prædominio igneum, vnam & eandem rem eſſe in humano corpore cum Democrito poſuit Hippocrates, dum iſti calido noſtro cunctas attribuit mentis, & animæ functiones cognitrices, ipſiſſimis plane verbis, (a) *De rebus ſublimibus in aere ac cælo, neque opus habeo dicere, niſi quod quantum ad hominem, & reliqua animantia, quæ ſunt, & nata ſunt, pertinet, demonſtrabo, & quod anima ſunt, & quod ſanitas, & quod morbus, & quod in homine malum, & quod bonum, & vnde moritur. Nunc autem ipſe meas ſententias proferam. Et videtur ſane mihi id, quod calidum vocamus, immortale eſſe, & cuncta intelligere, & videre, & audire, & ſcire omnia, tum præſentia, tum futura*: Quid, obſecro, aliud eſt id, quam cum Democrito, relatu (b) Ariſtotelis, ponere animam, & intellectum eſſe vnum & idem, atque caliditatem quandam, & ignem? Hæc enim omnia eſſe opera animæ, quam in cerebro ponit Hippocrates, vbi & melancholicum affectum, alibi clare decernit ipſe Cous inquiens, (c) *Quemadmodum in libello de morbo ſacro dixi, Inſanienti neceſſe eſt præ humiditate cerebrum, in quo animæ ſunt opera, moueri*. Loco vero citato fuſius ait, (d) *Porro expedit homines noſſe, quod ex nulla alia nobis parte voluptates contingunt, & lætitia, & riſus, & luſus, quam ex cerebro. Itemque mœrores, & anxietates, triſtitiaque, ac eiulatus, & querela. Et hoc ſapimus maxime, ac intelligimus, (& videmus, & audimus) & cognoſcimus turpia & honeſta, mala & bona, iucunda & iniucunda, partim cor ſuetu-*

a de carnib.
b 1. de an. t. 20. 23.
c lib. de Inſania.
d de morb. ſacr.

dine

dine diſcernentes, partim vtilitate percipientes. Eodem voluptates & iniucunditates pro opportunitate dignoſcimus, & non eadem nobis placent. Eodem & inſanimus & deliramus, & timores & terrores nobis accedunt, partim noctu, partim interdiu, & inſomnia, & errores intempeſtiui, & curæ inanes, & vt non noſcamus aſtantes, deſuetudo, & inexperientia. Atque hæc omnia perpetimur ex cerebro, quum ſanum non fuerit, ſed aut calidius, quam ex natura ſit, aut frigidius, aut humidius, aut ſiccius, aut aliud quid perpetiatur præter naturam, & conſuetudinem. Et inſanimus quidem præ humiditate: Quum enim humidius fuerit, quam pro natura, neceſſe eſt moueri; vbi vero mouetur affectio, neceſſe eſt neque viſum quieſcere, neque auditum; ſed alias aliud videre, & audire, & linguam talia dicere, qualia ſemper ac ſingulis vitibus viderit, ac audierit. Quanto vero tempore cerebrum quieuerit, tanto etiam homo ſapit. Fit autem corruptio cerebri a pituita, & bile atra; vtriuſque cognitio ſic contingit: Qui enim a pituita inſaniunt, quieti ſunt, & non vociferantur, neque tumultuantur: (hi quidem inſani dicuntur nomine generis, non autem appellantur proprie ſpeciatimque melancholici) *Qui vero a bile, vociferatores ſunt, & malefici, & non quieti, ſemper aliquid intempeſtiuum facientes:* (hi proprie melancholici ſunt:) *Si quidem igitur aſſidue inſaniunt, hæ ipſis ſunt cauſæ.* Conſtat ex his aperte, Hippocratem in cerebro ponentem omnes fere functiones animæ cognitricis, & ſpeciatim intellectus atque mentis; eaſdemque cunctas operationes *(e)* alibi tribuentem inſito calido, no- *e lib. de carnib.*
mine mentis in *(f)* præſentia, cum Democrito, calidum, & ignem implantatum cerebri ſignificare, nempe ſpirituoſam cerebri ſubſtantiam a prædominio igneam; conſtituereque Melancholicos homines effici, quando bilis *f 6. epid. t. 40. f.*
atra morbum intemperiei fecerit in mente, hoc eſt in ſpirituoſa ſubſtantia, calidoque natiuo cerebri; fieri vero mortales epilepticos, quando bilis atra corpus cerebri craſſius obſederit, nimirum denſam ſubſtantiam in eo viſcere terream & aqueam, organicam, & obſtructionis capacem, in ea faciens infirmitatem de genere malæ compoſitionis, qua ſolæ partes organicæ conflictari poſſunt.

Idipſum oſtenditur, explicata celebri ſententia, qua dicit Hippocrates, *Hominis anima ſemper producitur vſque ad mortem; ſi autem igne excanduerit, ſimul cum morbo & anima corpus depaſcitur*. Vbi multa recondita de ſubiecto proprio & principali febrium. Cap. V.

CEterum hanc eandem doctrinam confirmare poſſumus ex alio celebri theoremate Coi ſenis in hoc eodem Epidemiorum opere, quo multo antea ſcripſerat in hanc ſententiam, *(a) Hominis anima ſemper producitur vſque ad mortem: Si autem igne excanduerit, ſimul cum morbo & anima corpus depaſcitur.* Quo in loco per animam hominis vel ipſe Galenus *(b)* intelligit recte calidum natiuum implantatum nedum in cerebro, ſed & in corde, ſimul & in toto corpore fixum: Quod quidem inſitum calidum *ſemper* in homine *pro-* *a 6. epid. t. 5.* *b 1. in 6. epid. com. t. 5.*

ducitur ab origine ſua prima *vſque ad interitum*; quoniam aſſidue nutritur; quum nutritio vere ſit quædam generatio, ſiquidem eſt noua productio ſubſtantiæ in locum eius, quæ ſemper abſumitur: Nomine vero feruoris & ignis excandeſcentis febrem indicat, recte conſtituens, ſi quando igne febrili calidum inſitum æſtuauerit præter naturæ modum, tunc vna cum febrili calore, qui morbus eſt, calidum implantatum abſumere celeriter humidum ſubſtantificum, corporisque ſubſtantiam etiam ſolidiorem; adeoque ſubſtratum ſibi corpus depaſci, atque depopulari. Sed ad pleniorem intelligentiam huius Hippocraticæ ſententię, paulo diligentius natura febrilis eſt introſpicienda.

Febris eſſentia intime detecta. Porro febris, quam omnes recte ponunt intemperiem igneam primum accenſam in corde, ac inde communicatam ſingulis partibus in vniuerſo corpore viuentibus, ita paſſio ſtatuitur animati corporis, vt in ſubiecto non inſit niſi quod animam habeat, & viuat proprie; quippe quum ægritudo quælibet via ſit ad interitum, & diſpoſitio quædam ad mortem; nihil ægrotare, febrireque poteſt, niſi quod interire valeat, & proprie mori; ſed interire, morique nihil omnino valet, niſi quod viuens eſt, & animatum; vt notat etiam
c 2. de gen. an. c. 4. (*c*) Ariſtoteles. At vero febrium ſummæ ſunt differentiæ tres, a varietate ſubiectorum, in quibus accenditur præternaturalis intemperies ignea; nam
d 7. meta. t. 17. accidentia per ſubiecta ſua propria (*d*) definiuntur ex æquo ſimul & (*e*) diſtinguuntur: Si namque ſpirituoſa ſubſtantia cordis & aliarum partium
e 1. phyſ. t. 5. omnium contraxerit igneam intemperiem actiones vitæ lædentem, oritur febris ephemera: Sin autem conſimilis intemperies obſederit humores cordis & omnium aliarum partium itidem cum læſione functionum animantis, enaſcitur febris humoralis; quæ plurimum putrida eſt, aliquando tamen etiam ſine putredine: Si vero ſubierit igneam intemperiem cum operationum offenſione, ſubſtantia ſolida cordis, & vniuerſi corporis alius, fit hectica febris appellata. Quæ quidem dogmata vera ſunt, & ab omnibus paſſim laudata. Sed quum in corde, cæteriſque partibus alijs, duo reperiantur humorum, atque ſpirituum genera; ſcilicet alij fluxiles, nondum in ſubſtantiam partis nutricationis opera conuerſi, ſed intra vaſa contenti, liquidi, ac de ſe interminati: alij vero iam in ſubſtantiam viuentis partis tranſmutati, ſtabiles, terminati, fixi, & inſiti, ac implantati; vtrique diuerſa ratione referuntur ad febres; namque ſpiritus, & humores in ventriculis cordis contenti, & inde per venas & arterias ad ſingula membra corporis influere nati, poſſunt quidem intemperiem igneam præter naturam contrahere; ſed hæc affectio morbus non eſt, neque febris; quod huiuſmodi corpora quum animata non ſint, neque proprie viuant, ægrotare, febrireque minime valent. Verum eorum calor igneus eſt diſpoſitio, quæ conſimilem ſibi qualitatem producens, productamque fouens in parte viuente, morbum febris in ea generat, atque conſeruat. Ita plane torpedo piſcis alterat rete piſcatorium certa qualitate, quæ ſibi ſimilem gignit in manu piſcatoris; quoniam vero rete, quia non viuit expers animæ, propterea morbum ſtuporis ex illa qualitate non contrahit; quem vere contrahit animata viuensque manus hominis piſcatoris. Quare ſpiritus influentes præter naturam igneſcentes, non febriunt ipſi, quod animati non ſint, nec vere partes in corpore viuentes; at

alte-

Digitized by Google

alteratione conſimilem ſuæ qualitatem igneam producentes in ſubſtantia ſpiritnoſa inſita cordi, fixaque ceteris particulis, febrem ephemeram in ea ſuccendunt, velut in proprio ſubiecto viuente ac animato. Quoniam vero ſpiritus influentes ob raritatem tenuitatemque ſuæ ſubſtantiæ concepto igneo calore facile diſſipantur; & qui de nouo gignuntur, non habent conſimilem feruoris intemperiem; propterea quam ſemel in ſpiritu fixo ſuccenderunt febrem, vltra diei terminum non conſeruant; & ipſimet vltra diem non durantes in corpore. Spiritus autem implantati, carentes cauſa conſeruatrice adſcititiæ intemperiei, ſponte redeunt ex ſe ad priſtinam naturam calidi temperati; non ſecus ac igne furni remoto redit aer clibani ſponte ad priſtinam temperiem ſibi naturalem. Conſimiliter humores fluidi contenti vel in ventriculis cordis, vel in cauis arteriarum atque venarum tubis, vel ſi placet in alijs partium quarumcunque ſinibus, vbi præter naturam incaluerint ignea qualitate, non febriunt ipſi vere, nec ægrotant, quod non ſint animatæ partes, neque viuant, neque mori queant; ſed vbi conſimilem ſuæ qualitatem intemperiei igneæ produxerint in humoribus fixis, & inſitis cordi, cæteriſque membris animatis viuentis, adeoque in partium ſolidarum portionibus a prædominio aqueis, tunc in ijs tanquam in proprio ſubiecto febrem humoralem efficiunt, & effectam conſeruant; idque præſtant tum continenter & aſſidue, ſi contenti ſint intra vaſa maiora, & multi, feruentes nimium humores præter naturæ modum: tum per interualla febrem iterant, ſi pauci fuerint, & in vaſis minoribus procul a corde, vel etiam extra venas humores feruidi; fixis humoribus partiũ, ſtatim atq; cauſam ſui caloris ignei conſeruatricem amiſerint per humorum vaporumve peccantium eductionẽ e corpore, ſe ſe ſubinde naturalem ad tẽperiem, ſtatumq. ſanitatis priſtinum reuocantibus; vt aqua feruens amoto calefaciente igne, feruoreque in ea conſeruante ſublato, mox de ſe ſponte redit ad naturalem ſuam frigiditatem. Quo reſpiciens Hippocrates alibi (f) ſapienter enunciauit, Naturas eſſe morborum medicatrices, exiſtimans Medicum artis remedijs tollere ſolummodo cauſas morborum effectrices, & conſeruatrices; quibus omnino ſublatis, naturæ partium ſe ſe vindicant in habitum priſtinæ ſanitatis. Ita ſane peccantibus humoribus euacuatis ceſſat febris, non quia materies & ſubiectum morbi remoueatur e corpore; ſed quia ſolum educitur cauſa morbum faciens atque conſeruans; quippe vulgatum eſt axioma, remota cauſa remoueri protinus effectum. Quare ſpiritus & humores fluidi vere ſunt cauſæ febrium effectrices, & conſeruatrices; humores autem ſpirituſque quibuslibet partibus inſiti & implantati, ſubſtantiam earum conſtituentes, vere ſunt ſubiecta morbos in ſe recipientia ab illis fluidis ſibi cognatis, ex quibus ortum & conſtitutionem atque (*) conſeruationem habent interuentu nutricationis. Non igitur audio Galenum (g) aſſerentem, febrium humoralium, & ephemerarum materiam, in qua velut in proprio ſubiecto calor igneus accenditur, eſſe ſpiritus, & humores, qui continentur in cordis ventriculis: *Quæ vero, inquit, a materia differentia ſumuntur, in qua hic calor præter naturam accenditur, maxime propria ſunt: ſiue quod idem calor ipſum cordis corpus occupauerit, ſiue quod eos, qui in eius ventriculis continentur humores. Reliqua*

f 6. epid. ſect. 5.

* 2. de an. t. 48.

g 1. de diff. feb. c. 1.

aliquis alterum ac tertia eſt differentia, quum ſola aerea ſubſtantia ſufficienter incaluit; humores autem & ſolida corporis caleſcunt quidem adhuc, nondum autem ſunt calefacta: neque enim parum refert, ſi caleſcere dicamus, aut calefacta eſſe. Quum humores & ipſi ſpiritus fluidi, quod animati non ſint, neque vere partes viuentes, febrire nequeant, eſſeve febrilis caloris proprie ſubiecta. Licet hiſce tantum non contradicens hoc in loco fere collaudet aſſerta Stoicorum de ſubſtantia ſpiritus ingeniti, & inſiti calidi ſecundum Hippocratis opinionem

h 5. in 6. epid. cõ. 5. inquiens, (h) *Stoicorum vero mos eſt, naturam vocare, qua ſtirpes reguntur: animam vero, qua animalia: vtriuſque vero ſubſtantiam ingenitum ſpiritum ſtatuunt: differreque inter ſe qualitate arbitrantur: nam ſicciorem animæ ſpiritum, humidiorem aiunt eſſe naturæ; vtrumque autem, vt permaneat, non alimento ſolum, ſed etiam aere indigere. Et quicunque huiuſce decreti principem Hippocratem fuiſſe opinantur: vt in libro de Septimanis dictum eſt, hoc verbum, producitur; dictum eſſe aiunt de inſtauratione, quæ in ipſis fit ex vtraque ſubſtantia, alimenti ſcilicet atque aeris, vt euidenter apparet, & vtriuſque vtilitatem cognoſcimus: aeris namque reſpirationem ingenitæ caliditatis moderationem ſeruare; ciborum vero aſſumptionem corporeæ ſubſtantiæ, quod dilapſum eſt, reſarcire declaratum eſt: Atque ſi corporis quædam forma anima eſt, iure ſane progigni vſque ad mortem diceretur. At ſi a natura, quam Ariſtoteles altricem, appetitricem Plato nominat, altera quadam ipſius ſubſtantia fit, verum ſane, quod dictum eſt, fuerit: ſed de rationali anima vero id dici non poterit: nempe quod inſitum calidum, cui maxime corporea opera Hippocrates tribuit, igneum factum, non ſolum priora munera obire non poſſit, ſed neque corpus noſtrum alere, quod ipſum erat primarium officium, immo contra perdat, atque vt ignis liquefaciat; nobis rationem contemplantibus, & corporis eliquationes a perurentibus febribus factas euidenter cernentibus apertum eſt.* Et alibi, dum inſit, (i) *Et propterea*

i 1. aph. com. 14. *febres ſenibus non ſimiliter acutæ ſunt; ſignum vero etiam eſt & hoc, quod corpora ſenum frigida ſunt; & quod ob innati caloris maxime conuerſionem ad igneam naturam accenditur febris.* Quæ ideo vera ſunt, quia calidum inſitum & innatum eſt fixum, & implantatum ineſt in ſubſtantia ſpirituoſa ſolidarum partium; in ſanguine vero, ſpiritibusque fluidis calor influens eſt a corde ad partes alias, non in corde fixus, inſitus, & innatus, nec in alio membrorum vllo. Neque vero, quod aliqui dicunt pro Galeno, febrium differentiæ propoſitæ ſumuntur a materia faciente febrem, non autem a materia febri ſubiecta: tum quia ſolida ſubſtantia partium eſt materia ſubiecta hecticæ febri, non illam faciens: tum quia varietas cauſarum efficientium non variat febris eſ-

k 1. de diff. feb. c. 2. ſentiam; etenim (k) Galeno febris ephemera eiuſdem omnino naturæ fieri poteſt a diuerſis omnino cauſis efficientibus, ira, ſole, crapula, triſtitia, laboribus, frigore, cruditate, vigilijs, ebrietatibus, & alijs: tum quia ſicut eiuſdem ſpeciei prorſus eſt ignis ardens in ligno, ſiue fuerit accenſus a radijs Solis concauo ſpeculo reuibratis, ſiue mutuo lignorum affrictu, ſiue ab antecedente flamma titionis; ita plane febris omnis hectica fuerit, ſi partium ſolidarum viuentium eſt intemperies ignea, ſiue ſolidis in partibus accenſa fuerit a ſupercalefactis humoribus, ſiue a ſpiritibus exardeſcentibus: tum maxime quia febris hectica plerumque naſcitur ex ephemera, & non raro ex

l ibid. c. 8. 9. humorali; vt ait (l) Galenus; adeoque primum accenditur alias a ſpiritibus,

alias

alias ab humoribus excalefactis præter naturam: vnde ſpiritus incenſi non ſemper ſolam ephemeram accendunt, nec humores humoralem ſolam. Ceterum aliter ſe res habet de febrium differentijs a ſubiecta materia ſumptis; quum enim & in corde, & in ſingulis ſolidis partibus alijs, triplex ſubſtantia corporea ſit, quarum vnaquæque ſibi proprium inſitum & innatum calorem obtinet; hinc ideo tria febrium genera ſuboriuntur: tres autem iſtæ partes, atque ſubſtantiæ tam in corde, quam in alio membro ſolido quocunque ſunt, prima quidem ſpirituoſa tenuis & rara, permeans vniuerſam animatæ particulæ cuiusque corpulentiam, ficuti ſiccam ſpongiam aer; quod corpus eſt halituoſum a prædominio igneum, cum ſubdominio qualicunque aeris; cuius corporis inſitus calor, vbi præter naturam incenditur, a quocunque incendatur, ephemera febris appellatur. Altera vero ſubſtantia cordis, & alius cuiuſque partis, huic ſpirituoſæ ſubſtantiæ ſubſtrata, & implexa pariter vndiquaque vniuerſæ corpulentiæ viſceris velut aqua ſpongiæ, craſſior eſt ac denſa cordis, & omnis partis alius materia corporaturaque, viſui tactuique ſenſibilis, & organica: Quæ duplici alia ſubſtantia conſtituitur; vna quidem ſolida prorſus, dura, & denſa valde, ſecundum prædominium terrea; cuius calidum inſitum & innatum, dum igneam qualitatem induit, hectica febris eſt. Tertia demum ſubſtantia in cordis, & cuiuſque membri corpoream conſtitutionem veniens, eſt inter haſce duas mediæ conſiſtentiæ, ſenſibilis, & mollis, humida cum aquæ prædominio, diciturque congenitus, & inſitus, atque ſobſtantialis partium ſingularum humor, terminatus, non fluidus: cuius calidum inſitum vbi excanduerit in igneum præter naturam, eſt febris humoralis appellata, ſiue putrida ſit, ſiue fiat abſque nota putredinis. Humor autem ille cordi, ceteriſque membris alijs inſitus eſt a prædominio aqueus, ad differentiam tum ſpirituoſæ partis, quæ ſecundum prædominium eſt ignea, cum aliquo ſubdominio aeris; tum etiam ſolidiſſimæ craſſioriſque partis alius, quæ terram habet in ſe prædominantem; eſt inquam humor inſitus cuique parti viuenti ſecundum prædominium aqueus; quoniam, vt ait Ariſtoteles, (m) *aqua eſt principium naturæ humidis omnibus,* m 1. meta.
id enim Thaletis placitum collaudat; & alibi dicit e ſuo penu, (n) *Aquæ au-* ſu.2.c.1.
tem ſpecies talia, vinum, vrina, ſerum, & omnino quæcunque nullā aut paruam habent n 4. metco.
ſubſidentiam. & mox, (o) *Quæcunque igitur non incraſſantur a frigido, ſed con-* t.31.
creſcunt, aquæ ſunt magis, vt vinum, & vrina, & acetum, & lixiuium, & ſerum; o tex.41.
ſanguis item non incraſſatur a frigido, ſed concreſcit; de quo mox ideo dicit, *ſunt autem & lac, & ſanguis, amborum quidem communia, & aqua, & terra.* Quum igitur humores partium ſolidarum ſubſtantiam craſſam & denſam conſtituentes, vtraque bilis naturalis, pituita, & ſanguis, paruam aut nullam ſubſidentiam habeant, ſingulique concreſcant a frigore, non incraſſentur, Ariſtoteli ſunt aquæ ſpecies, hoc eſt corpora ſecundum prædominium aquea: Quare in corde, ac in quouis alio membro viuente referuntur ad ſubſtantiam in ijs partibus animatis a prædominio aqueam. Quæ quidem ſubſtantia humoralis aquea (per mortem iam exhalatis & euaporatis ignea & aerea ſimul iunctis in vnam ſubſtantiam inſiti calidi & radicalis humidi ſpirituoſam) remanet in cadauere implexa cum terrea; a qua poſtea non ſolum frequen-

tiſſime

p 4. meteo. c. 4.

q 4. meteo. cap. vlt.

r 4. meteo. com. ibid.

ſ 4. Gen. Deo. c. 68.

tiſſime putredinis interuentu ſeiungitur; *quapropter humida primum, deinde ſicca tandem fiunt putreſcentia*; vt inquit (p) Ariſtoteles; verum etiam aliquando ſine putredine per inſenſibilem euaporationem diſcutitur; poſt quam denique ſola terrena ſubſtantia remanet cum figura cadaueris; vt poſt Ariſtotelem aſſerentem, & antea quoque notaui, de carne, ac neruo ceteriſque partibus animalium, (q) *Quando exiſtunt, & quando non, non facile eſt perſpicere: niſi valde deperditum fuerit, & figura ſola fuerint reliqua; vt inueteratorum mortuorum corpora, quæ ſubito fiunt cinis in ſepulchris*: Sueſſanus teſtatur hoc ipſum, & comprobat nouis experimentis, aiens, (r) Ariſtoteles *affert exemplum de cadaueribus virorum, quæ inueniuntur in ſepulchris poſt multos annos mortuis, quæ videntur dormire, propterea quia figura ex aliqua cauſa occulta non fuit corrupta in illis, & tamen caro eſt corrupta: nam quum tanguntur, in cinerem vertuntur. Veluti de Tulliola M. Tullij Ciceronis filia euenit; hæc enim poſt multos annos in ſepulchro inuenta, quum eleuata eſſet in cinerem cecidit. Sueſſæ etiam obſeruauimus de quodam viro mortuo, per multos annos, quorum non erat memoria, & in ſepulchro ſeruato: illius enim figura fere nulla ex parte mutata erat; verum quum tactus fuit, mox in cinerem verſus eſt.* Et Boccatius addit, (ſ) Aeuo ſuo ſimiliter apud Drepanum Siciliæ opidum in antro quodam grandi repertum fuiſſe cadauer hominis ſedentis, manu ſiniſtra innixum baculo, nulla ex parte corroſum, aut diminutum; qui baculus ingens tactus abijt in cinerem e veſtigio, remanente baculo plumbeo minori, olim ad pondus intra maiorem incluſo: Quin etiam poſtea hominis ſtatura tacta æque corruit, & in puluerem omnis fere verſa eſt; tribus tantummodo ſolidis dentibus remanentibus, & parte cranei anteriore firmiſſima, & oſſe alterius cruris. Quam hiſtoriam diffuſe magis multiſque pulcherrimis circumſtantijs vallatam, quiſque cum voluptate legere poteſt apud Boccatium. Sed quod ait in præſentia Niphus, occultam eſſe cauſam, cur figura corrupta non fuerit ad corruptionem carnis, explicatur ea ratione, quia figura non eſt in homine proprium accidens carnis qua caro eſt, vt ad carnis corruptionem figura tolli debeat, quaſi ad proprij ſubiecti deſtructionem: ſed quum figura vere ſit terminus magnitudinis; & in magnitudine finita velut in proprio ſubiecto conſiſtat; vbi contingat, alijs deſtructis, conſeruari magnitudinem eandem, in ea ſimul & figura propria conſeruabitur; quum autem caro conſiſtere nequeat in ſola parte ſecundum prædominium terrea viuentis; quippe caro multum obtinet in ſe prædominium humidæ aquoſæque ſubſtantiæ; propterea ſicut in recentibus defunctis, licet per mortem abierint in halitus inſenſibiles humidi radicalis aerea, calidique fixi ſubſtantia ſecundum prædominium ignea; coeuntes in vnam ſpirituoſam; eadem nihilominus fere magnitudo remanet cum priſtina figura, quæ ipſam terminat: ita prorſus in cadaueribus diuturno tempore ſeruatis intra ſepulturas in aere ſicco & non agitato; ſenſim ad euoporationem & exſiccationem humidæ aqueæque ſubſtantiæ caro vel æquiuoce dicta in mortuo corrumpitur; ſed ſola materies a prædominio terrea immota conſeruat in ſe vt priſtinam magnitudinem cadaueris, ita quoque magnitudinis illius terminum accidenſque proprium figuram. Verum enimvero tres iſtæ ſubſtantiæ, ſpirituoſa, terrea, & humoralis in corde

pa-

pariter ac in vnaquaque parte alia viuente, ſic inuicem ſibi ſunt implexæ ſin-
gulæ, vt non loco diſtinguantur, ſed natura tantum: Quæ tamen varietas
naturæ ſatis eſt ipſis ad hoc, vt vnius calor æſtuans intemperie febrili calo-
rem alterius inſitum non alteret intemperie conſimili ad gradum & condi-
tionem febris; quod illarum trium vna ſubſtantia poteſt ad febrilem calo-
rem induendum eſſe diſpoſita; non item aliæ; formæ ſiquidem omnes tam
accidẽtales, quam ſubſtantiales, & omnino actus actiuorum non fiunt niſi in
ſubiecto diſpoſito, vt ait (t) Ariſtoteles; Quare febris hectica poteſt oriri & *t* 2. de an.
eſſe ſine diaria, & humorali; viciſſimque reliquarum ſingula ſine ceteris; t. 24. 26.
quomodo ſimiliter in eadem ſanguinea maſſa putreſcere poteſt bilis efficiens
tertianam exquiſitam, vt aiunt communiter Medici prorſus intemeratis alijs
humoribus, quibus omnino bilis illa permiſcetur; quod humores diſpoſiti
non ſint ad putredinem concipiendam. Attamen aliquando contingit vt
ephemera febris in ſpiritu connato ſuccenſa terminetur in humoralem acu-
tam, aut in hecticam; vt obſeruat Galenus, cui (u) *Ocyſſime mutatur diaria fe-* *u* 8. metho.
bris in acutam: & infra, (x) Præter ephemeras, *reliqua vero quum ſint genera* cap. 8.
duo, alterum ex humorum putredine naſci docuimus: alterum, quod iam ſolidas ani- *x* 9. meth.
malis particulas occupauit, hecticum nominant. & alibi, (y) *Terminus autem ea-* cap. 1.
rum (hecticarum ſcilicet) *principij eſt, quum eo tempore, quo ſolent ephemeræ fe-* 10. meth.
bres in integram quietem deſinere, nedum iſtis tale aliquid non eueniat, ſed inſuper ſic- cap. 2.
citas manifeſte intendatur; tunc enim primum febrem euadens ephemeram, tranſcen- *y* 1. de diff.
dit ad hecticam. Differunt autem in eo diariæ febres ab humoralibus, & he- febr. c. 9.
cticis in habitudine ad ſubſtratam ſibi materiam, in relatione ve ad ſubie-
ctum ſibi corpus; quod febres ephemeræ non abſumunt euidenter corpus,
neque ſubiectam ſibi ſpirituoſam inſiti calidi ſubſtantiam; ſed eam tantum-
modo ſupercalefaciunt, abſque ſenſibili conſumptione; febres autem hu-
morales e contra, potiſſimum ardentes, & acutæ, ſolent multum & euiden-
tiſſime ſubſtantiam corporis abſumere; multoque magis, & euidentius he-
cticæ, quæ tandem ad maraſmum ac tabem deducunt ægrotantes. Cuius
quidem diſcriminis ea cauſa eſt, tum quia calor igneus accenſus in rara te-
nuique ſubſtantia ſpirituoſa calidi connati, ceu fatuus ignis apud Meteoro-
logicos ardens in exhalatione ſubtili prope terras, vim admodum actuoſam
abſumendi non habet, nec tantæ actiuitatis eſt, quantæ ſuccenſus in denſiori
ſubſtantia humorali, & in denſiſſima partium ſolidarum ſubſtantia ſecun-
dum prædominium terrea: tum etiam quia calor igneus ephemeræ breui
tempore dieculæ durans parum ſubſtantiæ corporeæ conſumere valet, ſed
humoralis febris calor igneus longiori tempore plurium dierum corpus adu-
rens, eiuſdem ſubſtantiam magis depaſcitur, & euidentius; maxime vero,
& euidentiſſime febrilis calor hecticæ, qui prouehitur ad plures menſes, in
quorum fine tandem maraſmum inducit atque tabem extenuatiſſimi corpo-
ris. Quare longe maxima fit abſumptio ſubſtantiæ corporis per hecticas
febres, paulo minor per humorales, minima & inſenſibilis per ephemeras.
De hoc ephemerarum febrium tranſitu, tam in humorales, potiſſimum acu-
tas, & ardentes; quam in hecticas: deque ſingularum actione conſumptri- *z* 6. epid.
ce corporum ægrotantium, agit Hippocrates in præſentia dicens, (z) *Ho-* ſe. 3.

minis anima ſemper producitur vſque ad mortem; ſi autem igne excanduerit (vt legit Galenus) *ſimul cum morbo & anima corpus depaſcitur*: nimirum inſiti calidi ſpirituoſa ſubſtantia (quę ſecundum Hippocratis opinionem hauſtam a Democriſo eſt anima hominis) ſingulis partibus animatis implantata, illas actuans & animans vtcumque, toto vitæ tempore fit, atq; producitur quoad ſui portionem aſſidue per nutricationis actum continuum de nouo genitam in locum alterius iugiter depereuntis & amiſſæ. Sin autem huiuſcemodi ſpirituoſa ſubſtantia, quæ anima dicitur hominis, igne febrili *excanduerit*: non quidem, dum actu excandeſcit ephemeram efficiens; nam tunc ipſa non abſumit corpus vllatenus, aut minimum & inſenſibiliter, ob rationes allatas: at vbi excanduerit; & febrilem ſuum calorem (mutata diaria febre leni & breui in diuturnam & grauem vel humoralem acutam, & ardentem, continentemque, ſicut alibi dicit Hippocrates iſta confirmans aperte, vel hecticam) impertiuerit ſolidiori ſubſtantiæ ſecundum prædominium vel aqueæ, vel terreæ cordis & particularum omnium aliarum viuentium; tunc anima iſta, quæ (a) Democrito pariter & Hippocrati (b) calidum inſitum eſt, *ſimul cum morbo* febris humoralis, aut hecticæ vigentis, in quam ephemera tranſcendit, *corpus depaſcitur* valde atque ſenſibiliter; quum calidum innatum, & anima hæc Hippocratica, quantum fit ratione ſui, conſumat corpus inſenſibiliter etiam dum excandeſcit igne febris ephemeræ. Nec enim animæ nomine ſubſtantiam incorporeæ formæ poſſumus hic intelligere; quia hęc non abſumit, ſed (c) conſeruat, (d) continet, perficit, & (e) alit corpus; nec vtitur vnquam febrili calore tanquam organo ad corpus perdendum, ſed ſemper vtitur naturali calore ac (f) igne ſalutari ad corpus vegetandum. Sic ergo nunc inſigni theoremate, ſubſtantiam ſpirituoſam inſiti calidi tam in corde, quam in quocumque alio membro viuente fixam & implantatam, Democriti documenta ſequens appellat Hippocrates *Hominis animam*; & iſti ſpirituoſæ ſubſtantiæ calidi fixi ſubſtratam partium materiam craſſiorem, denſioremque, tam humoralem a prædominio aqueam, quam ſolidam prorſus a prædominio terream, nuncupat idem Cous abſolute *Corpus*: animam autem quum ab intellectu atque a mente non diſtinxerit Hippocrates Democritum audiens, vt antea demonſtratum eſt; plane ſibi conſentiens diuinus ſenex, & ſuum loquendi morem ſeruans in alio loco Epidemiorum abſte prolato, Vir Cl. ſcribit homines epilepticos fieri, vbi morbus ab atra bile proueniens irrepat *in corpus*, nimirum in denſiorem cerebri ſubſtantiam organicam, obſtruens illius meatus animali ſpiritui fluere geſtienti ad partes alias motu, ſenſuque, donandas; quorum priuatio dicitur Epilepſia: at homines fieri melancholicos, vbi morbus ab atra bile procedens irrepat *in mentem*, hoc eſt in cerebri ſpirituoſam ſubſtantiam, quæ calidum eſt inſitum illius viſceris a prædominio igneum; in quo calido & igne naturam animæ cum Democrito poſuit Hippocrates.

de nat. homin. in f.

a 1. de an. t. 20.

b epiſt. ad Dam.

c 2. de an. t. 48.

d 1. de an. t. 92.

e 2. de an. t. 49.

f de vit. & mor. c. 10.

Ea-

Eadem ſententia confirmatur ex eo, quod alibi dicit Hippocrates, Inſitum a natura ignem non eſſe in dextro, ſed Animam hominis eſſe in ſiniſtro ventriculo cordis: reliquæ animæ imperare: nutririque ſanguine arterioſo puriſſimo. Cap. VI.

DEnique vero *Mentis* & *Animæ* vocabulo ſignificari paſſim ab Hippocrate ſpirituoſam ſubſtantiam implantati calidi cuique membro ſolido, ſecundum prædominium igneam, manifeſtum eſt ex alio notabili loco, vbi de ventriculis cordis hæc habet, (a) *Ambo autem denſi ac aſperi ſunt interna ſui parte, ac velut ſubcorroſi, magiſque ſiniſter quam dexter: Nam inſitus à natura ignis non eſt in dextro. Quare mirum eſt, ſiniſtrum aſperiorem fieri, vbi intemperatum aerem inſpirauerit. Quapropter etiam roboris caloris cuſtodiendi gratia craſſius in eo conſtructum eſt.* & mox: *Atque hæ valuulæ magis in ſiniſtri ventriculi oſculis exactius, & merito ſane ſubornata ſunt. Mens enim hominis in ſiniſtro ventriculo inſita eſt, & reliquæ animæ imperat. Nutritur autem neque cibis, neque potibus à ventre, ſed pura & illuſtri ſubſtantia ex ſanguinis diſcretione nata. Aſſumit autem alimentum ex proxima ſanguinis ciſterna, radios ſuos eo immittens, & depaſcens, velut ex ventre inteſtinorum alimentum non naturale exiſtat. Quo vero non in mira ſit, qui in arteria eſt in fluctuatione conſtitutus cibus, viam in ipſam occludit.* Quæ ſententiam auream in propoſito noſtro continentia, ſed obſcuritatem Hippocraticam referentia, paulo diligentius explicanda ſunt: Nimirum his apte comparat Hippocrates, ad cordis exquiſitam notitiam, primum quidem ventriculos eius adinuicem: deinde vero ſpirituoſam cordis ſubſtantiam a prædominio igneam, cum ſolidiori & craſſiori ſecundum prædominium terrea & aquea. Porro ventriculorum nomine, non ſinus & cauitates intelligit, ſed carneas in corde ſubſtantias intra ſe ſinum vtrumque continentes: ita namque Medici nomine ſtomachi, & veſicæ tam felleæ, quam vrinariæ plerumque ſignificant ſubſtantias nerueas, membraneasve, non autem cauitates in ijs chartilagineis partibus comprehenſas. Quod inde conſtat aperte; quia ſiniſter ventriculus dicitur craſſior conſtructus eſſe roboris caloris cuſtodiendi gratia; nam ſinus pro cauea ſumptus amplior quidem eſſe, dicique poteſt, non autem craſſior; quia craſſities eſt affectio ſubſtantiæ corporeæ, non capacitatis & loci; cuius affectio propria eſt amplitudo. Contraponens autem Cous ventriculum dextrum ſiniſtro, dicit in dextro ventriculo non eſſe connatum inſitumque a natura ignem; in ſiniſtro vero mentem hominis ineſſe; vt quod adimit ventriculo dextro, illud idem concedat ſiniſtro; quare pro eodem prorſus habet inſitum a natura ignem, & mentem hominis; adeoque nomine mentis indicat inſitum ignem, connatumque calidum; quod eſt ſpirituoſa ſubſtantia calidi fixi ſecundum prædominium ignea: Quæ multa quidem eſt in ſiniſtri ventriculi carneo corpore valde craſſo; ſed in dextri ventriculi corpore carneo ſubtili & exili valde ſubſtan-

a lib. de corde.

Digitized by Google

tia connati calidi ſpirituoſa tam exigua reperitur, vt pro nulla prorſus habeatur in comparatione ad inſitum calidum ſiniſtri ventriculi: ſic Medici conferentes cerebrum ſtomachum & veſicam cum corde iecore atque liene, tria hæc aiunt eſſe membra ſanguinea; quod multus in ipſis inueniatur ſanguis; illa vero viſcera nuncupant exanguia; non quod omnino ſanguine careant, ſed quod exiguo participent. Sic ergo quia copia magna calidi fixi, ſubſtantiæque ſpirituoſæ a prædominio igneæ vbertas non eſt in exigua carne ſubtilique dextri ventriculi; ſed e contra calidum hoc implantatum vberrimum eſt, multa ſubſtantia ſpirituoſa ignea conſiſtens in multa craſſaque carne conſtituente ſiniſtrum ventriculum; propterea dicit Hippocrates, inſitum a natura ignem non eſſe in dextro, ſed mentem hominis in ſiniſtro ventriculo inſitam eſſe: vbique Democriti ſui doctrinam ſectatus, qui cenſuit animam & mentem eſſe calidum inſitum, ac ignem. Hanc autem hominis mentem Hippocrati non eſſe ſimplicem facultatem animæ, puramve ſubſtantiam animæ contradiſtinctam ab omni materia corporis; aſt eſſe partem corporis animati viuentem, ſpirituoſam, a prædominio igneam, coniunctam cum aerea radicalis humidi, & cum craſſiore ſubſtantia cordis a prædominio terrea & aquea; ex quarum partium vnione conſurgit integra ſubſtantia cordis; in quo compoſito ſecundum Peripati quidem doctrinam ſubſtantia craſſior ſe habeat vt materia, ſpirituoſa vt forma: illa vt mens apex animæ; iſta craſſior, ſeu etiam humidi radicalis paulo craſſior ſubſtantia ſecundum prædominium aerea, vt anima deterior, nimirum ſenſitrix; valde craſſior aquea vt anima omnium infima vegetalis; atque portio craſſiſſima, terræ prædominium gerens, vt corpus, & materia inanimis; quæ ſingulæ, ac omnes vni menti, ac igneæ parti deſeruiunt, atque ſubditæ ſunt: Tale quid

b 3. de an. ſane pulchre Themiſtius obſeruat, cui (b) *Senſualis anima tanquam materia in-*
cap. 27. *tellectus potentia habetur: ſicut ipſe intellectus potentia pro materia intellectus agen-*
tis eſt. Solus enim intellectus agens proprie & maxime cenſendus eſt forma, immo ve-
ro forma formarum; inferiora autem cetera modo ſubiectorum loco, modo formarum
habentur. Sane ordo naturæ & proceſſus hic eſt, vt reſpectu inferiorum ſuperioribus
vice formarum vtatur, reſpectu ſuperiorum inferioribus loco materiæ. Summam vero
c 10. ethi. *& ſupremam formarum intellectum agentem conſtituit, quo ſimul atque progreſſa eſt,*
c. 7. *receptui canit, in eoque finem, quaſi extremam manum impoſuit, vt poſtea nullam*
2. eudem. *formam ſuperiorem aut nobiliorem haberet, cui loco materiæ ſubijceret intellectum*
c. 1. *agentem. Quamobrem nos proprie animus & intellectus ſumus.* Quippe vnum-
d 1. de part. quodque id eſſe dicitur, quod in eo eſt (c) ſummum: ſummum autem atque
c. 1. digniſſimum in vnoquoque forma eſt, cauſaque finalis; vt ex (d) Ariſtote-
2. de gen. le conſtat: cui homo ex anima & corpore, tanquam ex imperante atque
an. c. 1. ſubdito conſtituitur: quin & anima humana ex mente & ſenſu, velut ex im-
e 1. ethi. perante & ſeruo componitur; ait enim, (e) Animam humanam duas habere
c. 13. partes; alteram rationalem, cuius eſt imperare; alteram irrationalem, vt ira-
f 2. eude. ſcibilis, & concupiſcibilis, ac omnino ſenſitrix, cuius eſt munus obedire ra-
c. 7. tioni. Deinde clarius, (f) *Sunt enim humanæ animæ duæ partes, quarum vtra-*
g 1. polit. *que rationis participat, ſed non eodem modo; altera enim vt imperio; altera vt obſequen-*
c. 3. *tia auſcultationique nata.* &c. Deinceps, (g) *Animal vero conſtat primum ex*

ani-

Digitized by Google

animā & corpore; quorum alterum imperat ſecundum naturam, alterum paret. & mox: *Animus quidem in corpus dominicum habet imperium: mens vero in appetitum, ciuile & regium. In quibus clarum eſt ſecundum naturam & vtilitatem imperari ab animo corpori, & ab ea parte quæ habet rationem, ei parti quæ ſubiacet perturbationi: æqualitatem vero ac viciſſitudinem omnibus nocere.* Ac denique, *(b) Oportet igitur iuxta quod imperat, iuxtaque habitudinem & actionem imperantis vitam inſtituere, veluti ſeruus iuxta Domini; ſingulaque iuxta conuenientem ſuum principatum. Quandoquidem & homo ex imperante ſubditoque conſtituitur, ac vnumquodque neceſſum habet ad principis ſui mores accommodare. Is autem duplex eſt: aliter enim Medicina, aliter ſanitas imperat; & huic illa deſtinatur. Sic & in contemplatiuo principatus habet. Neque enim iubendo Deus imperat; ſed cuius gratia prudentia eſt; quod vero alicuius gratia iubet, in alijs determinatum eſt, quoniam ille nullo eget.* Hæc ſapienter de mente incorporea erga ſubditum ſibi corpus, & erga partem aliam animæ mente minus perfectam Ariſtoteles, atque Themiſtius: his proportionata conſentaneaque dogmata prius attulit Hippocrates de mente ſua corporali, quam ab anima non diſtinxit eſſentia, nimirum de calido natiuo fixo, ſpirituoſaque ſubſtantia connata cordis erga ſubſtantiam itidem ſpirituoſam inſitam cuicunque alij particulæ; ſiquidem Hippocrates, quod ab eo deſumpſit Ariſtoteles, exiſtimauit humanum corpus ex corde veluti Principe omnium membrorum, & ex alijs partibus veluti ſubditis conſtare; quæ reliquæ cordi ſingulæ famulantur, ſub cuius imperio conſiſtunt, atque reguntur. Propterea que Mentem in ſiniſtro cordis ventriculo degentem imperare reliquæ animæ, ſeu menti, quæ reſidet in alijs corporis vniuerſi particulis; hoc eſt inſitum calidum cordi, ſpirituoſamque ſubſtantiam a prædominio igneam cordis, imperare reliquæ ſubſtantiæ conſimili diſperſæ ac implantatæ ſingulis alijs membris; vt finis imperare dicitur ijs, quæ ſunt gratia finis; etenim alia membra omnia ſunt gratia cordis; imperat autem calidum inſitum ſpirituoſum cordis calido conſimili ceterarum partium, non iubendo, ſed vt finis; veluti ſanitas imperat abſtinendum à crapula, ebrietate, nimio coitu, & id generis, non iubendo, ſed vt finis. Verum iſta mens in corde ſita non ſolum reliquæ animæ imperat, ſed multo magis corpori reliquo ſecundum Hippocratem, nimirum ſubſtantiæ craſſioris ſibi ſubditæ in corde tam terreſtri, quam aqueæ a prædominio; nam quod imperat animæ, multo magis imperat corpori eadem ratione prorſus; etenim ſpirituoſæ ſubſtantiæ cordis implantatæ vt fini cuius gratia eſt altera ſubſtantia denſior illi ſubdita, deſeruit velut inſtrumentum agenti principali carnea materia cordis a prædominio terreſtris & aquea, ſua craſſitie ac denſitate cuſtodiens robur inſiti caloris, vt hoc in loco clare dicit Hippocrates illis verbis de corpore ſiniſtri ventriculi prolatis: *Quapropter etiam roboris caloris cuſtodiendi gratia craſſius intus conſtructum eſt*: Quare mens, quæ ſpirituoſa & ignea eſt inſiti calidi ſubſtantia in corde, non ſolum inſito calido ceterarum partium, ſed etiam corpori cordis craſſo atque denſo imperat vt finis, non iubendo: Conſulto nunc Hippocrates rationem a minori ad maius contexens, ait calidum ſpirituoſum inſitum cordi, mentis nomine vocatum, imperare ſpirituoſo conſimili calido fixo in alijs membris, quod appellat ani-

b 7. eodē. c. 19.

animam reliquam, innuens multo magis eandem igneam mentem ſub ra-
tione finis imperare corpori ſibi ſubſtrato, quod eſt craſſa moles carnea cor-
dis, a prædominio terrea & aquea, cui non competit ex Hippocrate ratio
mentis & animæ, quam ignem & calidum ponit, ſed corporis. Craſſam au-
tem corpulentiam omnium partium eſſe gratia calidi natiui, & illi deſerui-
re tanquam inſtrumentum agenti præcipuo; eidemque ſubſtratum eſſe velu-
ti materiam formæ perficienti, & corpus animæ continenti, atque viuifican-
ti, nemo Medicorum negauerit in Hippocratica Schola. Ceterum vox
archei, quæ vertitur *imperat* apte, poteſt etiam non inepte verti, *principium eſt,
& origo*; quo ſenſu recte quoque dicit Hippocrates de calido cordis inſito
tum erga ſpirituoſam aliam inſiti calidi ſubſtantiam ceterarum partium
vniuerſi corporis: tum etiam erga ſubſtratam ſibi craſſiorem cordis corpu-
lentiam; quod ſit vtriuſque principium & origo mens in ſiniſtro ventriculo
degens, ac inſita; nam in humani corporis conſtitutione cor ante partes alias
omnes efformatur, deinde vero reliquæ ſingulæ partes conſtituuntur depen-
denter a corde, cui ceu parti principi ſunt famulaturæ; dependent autem
hac ratione non a craſſa ſubſtantia cordis, aſt a ſpirituoſa, calidoque conna-
to, cuius vt agentis præcipui ſunt inſtrumentum quoquopacto, & cuius
gratia ſunt inſtitutæ; ſiquidem portio craſſa cordis ad ſpirituoſam ſe habet
vt materies ad formam; materia vero non coincidit cum fine, ſed forma
i 2. phyſ. ſolum, vt ait (*i*) Ariſtoteles non vno in loco. Similiter inſiti calidi ſpiri-
t. 70. 91. tuoſa ſubſtantia, mens appellata degens in corde, principium eſt & origo
2. de an. partis alius craſſioris atque denſioris; etenim in efformatione cordis, natura
t. 36. 37. ſemper a facilioribus factu ſumens exordium, primo format innati calidi
ſpirituoſum corpus, ob ſui raritatem atque tenuitatem facilius efformatu;
deinde craſſiorem denſioremque corpulentiam non ita formatu facilem ob
ſui duritiem, effingit: cui conſtitutæ ſub illa ſpirituoſa calidi fixi, hoc eſt
anima & mens Hippocratica, viuificat & animat partem illam aliam den-
ſiorem, ceu formaſuam materiam; ſicuti de vera mente, animaque incorpo-
k 1. de an. rea dicebat olim (*k*) Themiſtius ita, *Anima fabricatur, architectaturque ſibi*
cap. 22. *conuenientia, accommodatumque inſtrumentum, deformatq; ſibi, & præparat domici-
lium non deformatum ante, & præparatum aliunde fuit: Non enim quemadmodum
cithara dedolatur prius, & conditur, tum demum adhibetur ad muſicum, ita & cor-
pus, organumque inſtrumentumque, mox animæ ſumendum offertur*. Et multo antea Plato
dixerat in Timæo, *priusquam adultum ſit corpus, animam totam in fabrica illius
l 3. de part. *occupatam*. Quin & Ariſtoteles non (*l*) ſemel ait, Cor ante partes alias om-
cap. 4. nes efformari; eſſe principium naturæ eorum quæ ſanguinem habent: ac
m 2. de gen. (*m*) veluti filius emancipatus, ſeorſumque collocatus, ſeipſum gerere, gu-
an. c. 4. bernare, & diſpenſare debere; principiumque haberi oportere: a quo etiam
poſt ordo membrorum deſcribatur, & quæcunque ad abſoluendum animal
pertinent, diſponantur. Quæ omnia breuiſſime tetigit multo prius Hip-
pocrates hoc ſuo dicto, quo decernit animam ſeu mentem hominis inſitam
eſſe in ſiniſtro ventriculo cordis, & reliquæ animæ imperare, ſeu principium,
& originem eſſe tum aliarum partium ſolidarum omnium, tum ſpirituoſæ
ſubſtantiæ calidi natiui in earum ſingulis inſiti. Quod autem iſta mens in
ſini-

ſiniſtro ventriculo cordis a Coo poſita, non ſit ſimplex animæ ſubſtantia, vel facultas incorporea, ſed corpus inſiti calidi, ſpirituoſaque ſubſtantia fixa & ingenita in denſiore cordis corpulentia, ſtatim Senex ipſe confirmat, adijciens. Mentem iſtam nutriri pura & illuſtri ſubſtantia nata ex ſecretione ſanguinis; quam ſubſtantiam alimentarem ſibi deſumit è proxima citterna ſanguinis, ſcilicet e cauitate ſiniſtri ventriculi; nam in primis animæ ſubſtantia ſimplex incorporea, vel eius facultas vlla non nutritur; ſed alitur ſolum corpus viuens & animatum. Deinde quum omnes partes viuentis nutriantur alimento ſibi familiari, ſuæque naturæ congeneo, ſimili, & proportionato; quumque partes in corpore viuentes & animatæ, ſint omnes appellatæ ſolidæ, tum quoad ſui ſubſtantiam craſſam & denſam, a prædominio terream & aqueam; tum etiam quoad ſui ſubſtantiam ſpirituoſam, ſecundum prædominium tam igneam, quam aeream: vult Hippocrates denſiorem omnem ſolidarum partium corpulentiam, in qua vel aqua, vel terra prædominatur, ali ſanguine ſimiliter denſo & craſſo pariter a prædominio terreo & aqueo, de quo Ariſtoteles ita, (n) *Sunt autem & lac, & ſanguis amborum quidem communia, & aqua, & terra; magis autem vt plurimum terra.* n 4. meteo. t. 41.

Quin & Hippocrates ipſe ſanguinem ponit a prædominio aqueum, & ſpeciem quandam aquæ, ſcribens, (o) *Sanguis enim non eſt natura calidus; neque enim alia aliqua aqua: ſed caleſcit: multis autem videtur natura calidus eſſe.* id eſt o de corde f. igneus a prædominio; nam Hippocrates calidum fere ſemper pro igne ponit. Huiuſcemodi vero ſanguis, in quo terra multum & aqua dominatur, aptus alere partium ſolidarum craſſiorem ſubſtantiam, continetur in dextro ventriculo cordis, primam ſui generationem habens in hepate, quod locatum eſt in imo ventre inteſtinorum, ex cibis, & potibus ortus: Qui quidem ſanguis venoſus, etiam Ariſtotelis decreto non eſt calidus per ſe pariter & alibi non ſemel; ait enim, (p) *Hic ita praeſtituiſſe oportet: non enim eſt ſanguinem quodammodo calidum eſſe, videlicet eo, quale eſt ei ſanguini eſſe, perinde quaſi aquam feruentem nomine vno ſignificamus: At vero ſubiecto & quod tandem quum ſit, ſanguis eſt, non calidus eſt: & quodammodo per ſe calidus, quodammodo non per ſe calidus eſt; caliditas enim in eius ratione ineſt, quemadmodum albedo in albi hominis ratione; vt vero qua ſanguis per affectionem ſiue paſſionem eſt, non per ſe calidus eſt. Pari modo de ſicco & humido ſtatuendum eſt: quapropter in eiuſmodi rerum natura partim calida & humida ſunt: ſed ſeparata congelaſcunt, & frigida eſſe videntur, qualis eſt ſanguis: partim calida craſſioraque ſunt, vt bilis: ſed ſeparata ab corum, in quibus habentur, natura, contra afficiuntur: quippe quæ refrigerantur atque humeſcunt; ſanguis enim ſiccior redditur, bilis autem flaua humidior.* Itaque ſanguis venoſus, de quo hic agitur a prædominio terreus eſt & aqueus, proindeque ſua natura non calidus, non igneus; adeoque non aptus alere ſpirituoſam ſubſtantiam inſiti calidi cordis, quæ ſecundum prædominium eſt ignea. & infra, (q) *Iam non nullis accidit, vt cruentum quoddam excrementum ſudarent propter vitiatum corporis habitum, ſcilicet quum corpus laxum fluxumque eſſet, ſanguisque pra cruditate humeſceret imbecillitate caloris, qui exiguus venulis incluſus concoquere non poſſet: Omne enim, quod aquæ & terræ commune eſt, craſſeſcere, quum concoquitur, ſolitum eſt. alimentum autem, & ſanguis ex iis eſt.* ſecundum prædominium p 2. de part. c. 3. q 3. de part. c. 5.

ſci-

Digitized by Google

ſ 1. de ſan. tu. c. 2.

ſcilicet. Galenus etiam id aſſerere non dubitat aiens, (ſ) *In ſemine* [illegible] *ignis ſubſtantiæ, atque aereæ: in ſanguine aqueæ, terreæque: quanquam præpollet in hoc quoque calidum frigido, & humidum ſicco*. Quæ proprie vera ſunt de ſanguine venoſo, dextrique ventriculi cordis; ex quo nutritur partium ſolidarum omnium ſubſtantia craſſior & denſior, quæ pariter eſt cum dominio terræ & aquæ, in comparatione ad ſanguinem arterioſum, & ſiniſtri ventriculi cordis, qui ſanguis eſt cum ignis, & aeris prædominio; quo propterea tanquam alimento ſimili & familiari nutritur ſubſtantia ſpirituoſa innati calidi partium omnium, quod igneum eſt a prædominio, & ab Hippocrate pariter, atque a Democrito vocatur anima & intellectus, ac omnino mens. Quum tamen iſte ſanguis venoſus in comparatione ad pituitam & melancholiam ſit calidum, & collatus ad bilem vtramque ſit humidus; itidem & ad ſemen comparatus: non tamen id intelligendum eſt de ſanguine arterioſo, qui magis eſt igneæ naturæ particeps quam ſemen; quod in ſui conſtitutionem multum aſſumit venoſi ſanguinis. Ceterum quia nomine ſanguinis antiquiores venoſum fere ſolum ſignificabant, quum in arterijs non ſanguinem, ſed ſpiritum valde diuerſæ naturæ contineri dicerent; vnde Galenus volumen integrum compoſuit ſub hoc titulo, *An ſanguis in arterijs contineatur*: & Hippocrates in præſentia ſuccum in ſiniſtro ventriculo cordis contentum non appellat omnino ſanguinem, vt comprehenſum in dextro, ſed puram & illuſtrem ſubſtantiam ex ſanguinis diſc retione natam, ſcilicet humorem ſynceriorem e ſanguine craſſo terreoque ſecretum. Qui quidem humor eſt ab Ariſtotele quoque ſanguis natura ſua calidus & humidus (t) conſtitutus; adeoque nutrimentum aptum ſpirituoſæ ſubſtantiæ a prædominio igneæ; quam & ipſe nuncupat, non quidem animam, ſed ſine qua non poteſt eſſe anima, quam propterea ignitam in corde ponit aſſerens, (u) *Principium venarum* (hoc nomine complectitur & arterias) *ſanguineis cor: non enim per hoc, ſed ex hoc pendent omnes. Alias igitur virtutes animæ impoſſibile exiſtere ſine nutritiua. Hanc autem ſine naturali igne: in hoc enim natura igniuit ipſam*. Hippocrates autem cum Democrito putauit animam & mentem eſſe vnum & idem, ac eſſe calidum inſitum, & ignem natiuam ſpirituoſamque ſubſtantiam corpoream in corde fixam, & ali ſanguine puro arterioſo, qualem ſegregatum a venoſo craſſiore dextri ventriculi, ſibi trahit allicitve per arterias coronarias, e ventriculi ſiniſtri cauitate, quam ait eſſe proximam ſanguinis ciſternam, ad cauitatis dextri ventriculi diſcrimen, quæ craſſiſſimo ſepti corpore interpoſito diſtat ſatis a ſiniſtri ventriculi ſubſtantia. Sanguinem autem iſtum, quo nutriri dicit Hippocrates mentem hominis in ſiniſtro cordis ventriculo exiſtentem, optime deſcribit, puram & illuſtrem ſubſtantiam, natam ex ſecretione ſanguinis; quia ſuccus in laui ſinus cauitate ciſternave contentus, eſt arterioſus ſanguis, halituoſus, purus, floridus, defæcatus ab omni ſorde, qua redundat & inquinatur ater & craſſus ſanguis in dextri ventriculi cauea, veniſque inde naſcentibus contentus: Quæ quidem arterioſi ſanguinis materia ſubſtãtiaq. propterea claro nitore fulget illuſtris, & eſt quoquopacto ſplendida: & ortum habet ex ſecretione ſanguinis puri ab impuro, facta per tranſcolationem, tranſductionemque ſucci ſubtilioris

t 3. de part. cap. 5.

u de vit. & mor. c. 10.

e dextro

Digitized by Google

e dextro in ſiniſtrum ventriculum, ſeu ex venis in arterias, per anguſtiſſimos
ductus: de qua via ſanguinis latius in Quæſito de Duplici ſanguinis Euripo
tractamus inferius: vbi probamus etiam ex profeſſo, partium ſolidarum
omnium craſſiorem ſubſtantiam ali ſanguine venoſo ſimiliter craſſo; ſpiri-
tuoſam vero tenuiorem, quæ calidum eſt inſitum cuique membro, nutriri
ſanguine arterioſo; proindeque ſubſtantiam vtramque viuentem in quo-
que membro, conſimili nutrimento, ſuæque naturæ familiari refici & con-
ſeruari. Pulchre vero dicit Hippocrates, Mentem hominis in ſiniſtro cordis
ventriculo inſitam, hoc eſt ſubſtantiam ingeniti calidi ſpirituoſam in ea
parte fixam, ali pura & illuſtri ſubſtantia, ex ſanguinis ſecretione nata, de-
ſumpta e proxima ciſterna eiuſdem ventriculi, nobili metaphora dicens,
*Adſumit autem alimentum ex proxima ſanguinis ciſterna, radios ſuos eo immittens,
& depaſcens*. Nimirum his alludit ad illam æuo ſuo vulgatam Empedoclis
& Heracliti ſententiam de Sole, quem in Magno Mundo fontem caloris &
luminis, enutriri volunt vaporoſa ſubſtantia, ſurſum ad ſe attracta de mari,
lacubus, & alio quouis humido telluri circumfuſo, immiſſis proprijs ad
terram radijs, quibus veluti ſiphonibus, atque vaſis oblongis, cauisque ra-
mis ſambucinis, ad ſe iugiter alimentum attrahit, attrahendoque depaſci-
tur, & abſumit aſſidue maria, lacus, & flumina terræ, ſicuti de propoſito
veterum iſtorum refert (y) Ariſtoteles: Ita ponit Hippocrates in Micro- y 4. meteo.
coſmo Cor, fontem caloris, & lucidæ ſubſtantiæ ſpirituum influentium, nu- cap. 2.
triri, quoad ſui partem ſpirituoſam igneam, quam putat animam, & men-
tem appellat, halituoſo ſanguine puro & florido, quem ſibi ſumit atque tra-
hit de ciſterna ſiniſtri ventriculi, ſuis ad eam radijs immiſſis, hoc eſt ramulis
multis arteriarum duum coronariarum; quæ naſcuntur prope baſim cordis
ex aorta, in læui ventriculi caueam terminum ſuæ originis habente. Liben-
ter autem in propoſito ſumit Hippocrates radiorum metaphoram eo quo-
que nomine fortaſſe, quod Græca vox *actinas* qua nunc vtitur, homonyma
prorſus eſt ad ſignificandum & radios, & ſambuci ramos, qui detracta faci-
le medulla molliori, caui ſunt ad inſtar ſiphonum humoris attractoriorum:
& vaſa, in quæ pridem iaciebantur oboli, Pauſaniæ teſtatu. Quare cordis
implantatum calidum, ſpirituoſaque ſubſtantia ignis inſiti per arteriæ coro-
nariæ geminæ ramulos, de læui ſinus lacuna ſibi ſumit in alimentum puram
& floridam, ſiue claram halituoſi ſanguinis ſubſtantiam: *velut ex ventre in-
teſtinorum alimentum non naturale exiſtat*; nempe relicto ſanguine craſſo & atro
dextri ventriculi, qui ſanguis genitus primum ab hepate in ventre inteſtina
continente, per venam cauam veluti per tubum influxit in alteram ciſter-
nam remotiorem, quæ locum habet in dextro ventriculo; quia ſanguis hic
impurior & craſſior, vt aptus eſt alere ſubſtantiam craſſam, & denſam ter-
reſtrem & aqueam ſolidarum partium; ita diſſimilis prorſus eſt, & alienum
a natura ſubſtantiæ ſpirituoſæ calidi natiui, & ignis innati quibusque par-
tibus viuentibus inſiti; proptereaque calidum inſitum cordis non habet
ſibi naturale, hoc eſt naturæ ſuæ congeneum alimentum, & proportionatum
illum ſanguinem venoſum dextræ ciſternæ cordis, ſed ſolum arterioſum ſini-
ſtræ. Quoniam vero naſcens e ſiniſtro ſinu cordis arteria continuo motu

E con-

Valuularũ vſus in corde.

conſtrictionis & dilatationis alimentarium ſanguinem continet in perenni fluctuatione; ne dilatata totum ad ſe raperet contentum in læua ciſterna, vel ſaltem ne retardaretur influxus alimentarij ſanguinis ad ſpirituoſam cordis ſubſtantiam; quæ quo rarior eſt & calidior, eo diſſipatur aſſidue multum, fugique proinde celerique ac multa nutritione opus habet, indigetque ſanguine ſpirituoſo non pauco ſemper abundante in ſiniſtri ventriculi cauitate, iuxta (*a*) Coi doctrinam; propterea natura ſagaciſſima valuulis optime claudentibus liberum excurſum, impulſumque nimium, attractionemque immodicam halituoſi ſanguinis in aortam impediuit; eas poſtea reſerans ad opportunitatem: qua de re ſuo loco latius infra. Dum itaque conſtituit Hippocrates, mentem hominis eſſe in ſiniſtro ventriculo cordis; & enutriri ſanguine puro deſumpto de proxima ciſterna; renuereque ſanguinem craſſum & atrum, tanquam alienum a natura ſui; nomine mentis non indicat ſimplicem animæ ſubſtantiam, facultatemve illius vllam; etenim anima non alitur, nec ipſius vlla facultas; ſed enutritur ſolummodo ſubſtantia corporea viuens materialis, & omnino corpus animatum, vt ait (*b*) Ariſtoteles, & exiſtimat (*c*) Hippocrates: at nomine mentis, quæ reſidens in corde nutritur pura & illuſtri ſubſtantia ſanguinis arterioſi, ſegregati a venoſo dextri ventriculi, nihil aliud indicat quam corpoream ſubſtantiam, quæ pars eſt cordis rara & ſpirituoſa, & proprie calidum inſitum & implantatum, actuans, & perficiens, & Hippocratis opinione viuificans, & animans eiuſdem viſceris partem carneam ſubſtantiæ craſſioris & denſioris a prædominio terreſtris & aqueæ; quum ipſa ſit a prædominio ignea, & ignis connatus, quem Hippocrates appellat calidum, cum Democrito cenſeat eſſe ſubſtantiam animæ, ac mentem. Verumenimvero quia calidum hoc implantatum, vt pote pars homogenea & ſimilaris, vniuſmodi prorſus eſt in omnibus vniuerſi corporis partibus heterogeneis, quæ ſolidæ nuncupantur a Medicis, & inſtrumentales; idcirco mens eadem ab Hippocrate ponitur in ſiniſtro cordis ventriculo pariter & in cerebro, & in alijs quoque partibus animatis; quam propterea nuncupat hoc in loco *reliquam animam*; non enim diſtinguit animam a mente, Democriti ſententiam recipiens; & in ſingulis particulis agnoſcens eandem ſpirituoſam ſubſtantiam igneam inſiti calidi. Cenſuit igitur Hippocrates vna cum iſto calido fixo, ſingulisque partibus inſito, vniuerſæque corporeæ moli coextenſo, pariter etiam animam coextenſam eſſe, quam cum eo prorſus identificari iudicat, & appellat promiſcue mentem, & animam; a qua mente calidoque natiuo conſtituit in homine vitæ functiones omnes prouenire tam naturales, quam vitales, nec non etiam animales appellatas, potiſſimumque (*d*) cognitrices atque principales, vt antea vidimus. Et propterea Mens vt in corde, maximeque in eius ventriculo ſiniſtro, in quo facile valdeque ſanguis æſtuat, iraſcibilis facultatis operationes exercet; ita prorſus in cerebro functiones cognitrices omnes phantaſiæ, ſenſuſque communis edit; vt (*e*) alibi ſcribit Hippocrates. Quare mentem ipſe (*f*) quandoque ponit in corde, quandoque in (*g*) cerebro, ſemper nomine mentis, & animæ promiſcuo ſignificans calidum inſitum, ſubſtantiamque ſpirituoſam igneam in toto corpore diffuſam, illique coexten-

a 1. aph. 14

b 2. de an. t. 37. 46. & ſeqq.

c lib. de alim.

d lib. de carnib.

e de morb. ſacr.

f lib. de corde.

g 6. epid. de inſan. de morb. ſacr.

tenſam: Nomine vero corporis, ab anima menteque contradiſtincti, ſemper intelligit ſubſtantiam craſſam & denſam a prædominio terream & aqueam in omnibus particulis viuentibus a calido natiuo igneo viuificatam & animatam. Quamobrem, vt ad præcipui Quæſiti determinationem accedamus, ſenſus Hippocratici ſermonis ex Epidemijs abſte prolati, Vir Cl. mihi videtur eſſe, bilem atram efficere homines epilepticos, vbi morbus ab eius craſſitie copiaque productus, irrepat in corpus denſum & organicum cerebri, vitians eius conformationem obſtructione meatuum, per quos a cerebro debet influere ſpiritus animalis vber, expeditum ſenſum & motum partibus alijs exhibiturus. Aſt eandem atram bilem homines reddere melancholicos, vbi morbus ab ea naſcens, vel ab eiuſdem vaporibus tetra qualitate fædis exoriens, irrepſerit in mentem, hoc eſt læſerit implantatum cerebri calidum, ſpirituoſamque ſubſtantiam viſceris igneam inſitam infecerit; quam Hippocrates mentem & animam appellat & iudicat cum Democrito; ſiquidem ægritudo melancholicos homines efficiens, eſt intemperies ab atra bile proueniens. Vbi vero bilis atra cum morbo ſuo ſe transtulerit e ſubſtantia ſpirituoſa calidi naturalis ignei ad corpus cerebri craſſius terræ dominium habens & aquæ; tunc homines e melancholicis fiunt epileptici: Sed vbi viciſſim atra bilis e craſſa denſaque cerebri corpulentia ſe contulerit cum ægritudine ſua in ſpirituoſam ſubſtantiam calidi natiui inſiti cerebro, tunc homines ex epilepticis euadunt melancholici.

Determinatio Quæſiti.

Galeni, Platonis, Auerrois, & Viri Cl. placita de propoſito conſiderantur. Cap. VII.

NEque vero, ſicuti recte cenſes, inclyte Vir, audiendus eſt in propoſito Galenus, (*a*) qui nomine mentis intelligi vult ab Hippocrate cerebri naturalem temperaturam; etenim Cous agit de illa re ſub nomine mentis, quam & partem appellat, & ægrotare dicit, morbumque in ſe recipere prorſus eo modo quo corpus in ſe recipit ægritudinem; quamque mentem alibi (*b*) ſcribit enutriri ſanguine puro, & illuſtri de ciſterna cordis aſſumpto; quum certum ſit, etiam Galeno, temperaturam non ali, non ægrotare proprie, nec eſſe partem animantis; ſed horum attributorum vnumquodque conuenire ſolum corpori viuenti & animato, vel eius integrali parti, temperaturam in ſe habenti. Sed animæ, mentiſque nomine ſemper intelligit Hippocrates in allatis locis plurimis, vt viſum eſt, partem corporis, quæ phantaſiæ, ſenſusve communis eſt inſtrumentum, & omnino calidum natiuum inſitum, quod eſt ſpirituoſa ſubſtantia ſolidæ partis a prædominio ignea, craſſiorem aliam cerebri corpulentiam organicam, frigidam & humidam a prædominio, viuificans & actuans; quum a Democrito ſumpſerit Hippocrates animam & mentem eſſe rem eandem cum inſito calido & igne natiuo cuique viuenti parti congenito.

a 2. loc. aff. c. 7. & in cō. 6. epid. loc. cit.
b lib. de corde.

Platonem autem ſimiliter ego tecum audio, dum ait mentem non aliter affici quam per hæreſim, quum alias ipſa ſit inalterabilis, & immortalis: at

Hippocrates mentem illam incorpoream non agnouit, neque conſiderat in propoſito Popularium loco; ſed nomine mentis intelligit phantaſiæ, ſenſusque communis inſtrumentum corporale, ſubſtantiamque ſpirituoſam inſiti calidi ſecundum prædominium igneam, adeoque partem corporis materialem, alterabilem ad interitum, & morbis materialibus obnoxiam; vt late probauimus antea.

Nec Auerrois illa ratio, quam affers, Vir Cl. noſtras perturbat explicationes; etenim color ater atque tenebricoſus, non ſolum male afficit oculos, quos præter modum congregat; verum etiam rerum obſcurarum imagines, poſt viſus iudicium diu conſeruatæ ſub habitu memoriæ in organo phantaſiæ, mire miſereque torquere ſolent in melancholicis ambos interiores ſenſus, qui ſenſibilium omnium differentias agnoſcunt, poſt exteriorum ſenſuum functiones. Quin & melancholicus humor, aut vapor ipſius, concitatus in cerebro varias imagines & laruas in phantaſmatibus, in imaginationis organo conſeruatis, effingit non minus terribiles in vigilia melancholicorum, quam in bene valentium etiam inſomnijs. Quæ ſpectra ſenſui communi, & phantaſiæ oblata nimium percellere ſolent & angere patientes; quod luculenter edocet Hippocrates agens De Virginum morbis: Quem locum vberius tractabo reſpondens ad alterum Quæſitum inferius. Quare concedentes Auerroi, Colorem nihil efficere poſſe, niſi ſentiatur: negamus colorem, qui poteſt organum ſui ſenſus alterare, alterandoque dolorem aut voluptatem afferre, vt ait Auerroes ipſe tibi, non eſſe qualitatem actiuam, neque rem quampiam generare: non ne agit, dum alterat organum ſenſus? non ne rem aliquam generat in organo, dum vehementior ſolutionem continui procreat doloris cauſam, vel nimium congregando ſenſbrium, vt color nigerrimus in obſcuriſſimo loco diu ſpectatus, vel nimium diſgregando, vt color albiſſimus ambulantibus diem integram per niues, aut intenſiſſima lux intuentibus iubar Solis, & alia corpora luminis refractione reflexuve fulgentiſſima? Non incutit certe metum melancholicis exterior obſcuritas ſed hoc efficiunt interiora ſpectra rerum terribilium, in organo phantaſiæ conſeruata, & varie a vaporibus ex atra bile ſcaturientibus tum agitata, tum etiam efformata recens. Non ſunt autem illæ tenebricoſæ melancholicorum laruæ mera priuatio, ac omnino non entia, vt obijcitur: ſed habent fundamentum in atræ bilis fuligine tetra, quæ corporalis eſt exhalatio, qualitates proprias obtinens poſitiuas, quibus percellit inſtrumentum phantaſiæ, ſenſusve communis innixum ſpirituoſa ſubſtantia naturalis ignis, inſitique calidi; quod Hippocrates cum Democrito ſuo mentem & animam appellat, & opinatur.

Nec animales etiam illi ſpiritus, quantumvis tenuiſſimi, renuere mihi videntur admiſtionem exhalationum tenebricoſarum, in quas abierit reſoluta ſecundum partem atra bilis in cerebro. Non ne tenuior illis ignis elementaris admittit permiſtionem terræ craſſioris & aquæ in miſto? Dabo lubens, eoſdem ſpiritus, ob magnam ſui raritatem tenuitatemque, ſolitarios minime colorari poſſe. Verum exiſtimo te conceſſurum, Vir Cl. coniunctam maſſam ex animalibus ſpiritibus, qui ſunt portio ſanguinis halituoſior, & ex fuli-

liginibus atræ bilis craſſioribus, eam conſiſtentiam induere, quæ facile coloretur, atque melancholicorum imaginationi, ſenſuique communi referat atra & horribilia ſpectrorum terriculamenta; nam quotidie perſpicere potes raram tenuemque flammam, quæ fumus ardens eſt Ariſtoteli, (d) coloratam, alias rubram, alias flauam, alias viridem, alias etiam cæruleam, pro materiæ ardentis varietate: Quin & fumum infectum atro colore nunquam non inſpicies. Immo vero, quid ego tam facile concedo ſpiritus animales, ob raritatem tenuitatemque ſubſtantiæ minime colorari? non ne tenuior illis eſt aer iſte noſtras, ex quo ſimul cum halituoſa parte ſanguinis Medici plurimi cum (e) Galeno cenſent conſtitui ſpiritus ipſos? Nihilominus aerem colorari poſſe monſtrat experientia, (f) Lucretij puriſſimo carmine laudata,

d 2. de gen. t. 28. 1. meteo. ſu. 2. c. 1. 4. meteo. ſu. 3. c. 2.
e 5. de decr. c. 3. & l. 7. c. 3. & alibi paſſim.
f lib. 4.

Nam certe iaci, atque emergere multa videmus
Non ſolum ex alto, penituſque, vt diximus ante,
Verum de ſummo ipſum quoque ſæpe colorem.
Et vulgo faciunt id lutea, ruſſaque vela
Et ferrugina, quum magnis intenta theatris
Per malos volgata trabeſque trementia flutant.
Namque ibi conſeſſum caueai ſubter, & omnem
Scenai ſpeciem patrum, matrumque, Deorumque
Inficiunt, coguntque ſuo fluitare colore.
Et quanto circum mage ſunt incluſa theatri
Mœnia, tam magis hæc intus perfuſa lepore
Omnia conrident concepta luce diei.

Quod & ego non ſemel animaduerti. Sed in viridario ſæpius aerem inter herbas & parietem horti vidi viridem apertiſſime colore ſaturo in meridiano Sole. Qui quidem color, cuiuſcunque naturæ ſit, ſiue realis, vt ego cenſeo, ſiue apparens & intentionalis, vt multi dicunt, organum viſus mouet: quidni ſimiliter-affecti ſpiritus animales inſtrumentum phantaſiæ, ſenſuſque communis moueant ad atrarum rerum imaginationem? Quin & quotidie perſpicio radios iubaris per vitra colorata tranſmiſſos eodem colore prorſus infici, ac inficere aerem, per quem tranſeunt: ſic igitur & animales ipſi ſpiritus per vapores atræ bilis dum tranſeunt infici poſſunt; quum radijs ſolaribus rariores, tenuioreſque non exiſtant; & infecti tetro colore, phantaſiæ, ſenſuique communi tetras imagines repræſentare, quibus percelluntur maxime melancholici. Ceterum de ſpiritibus his influentibus nomine mentis hic non agit Hippocrates; verum de ſpirituoſa ſubſtantia ſolida calidi fixi; quam a furuis atræ bilis vaporibus, exhalationibuſve multo facilius infici poſſe, te mihi daturum arbitror. Iſtam vero ſpirituoſam cerebri ſubſtantiam implantatam in melancholicis ægrotare cenſeo morbo in intemperie cum materia: & eſſe peculiare phantaſiæ, ſenſuſque communis inſtrumentum: & ab Hippocrate nuncupari nomine *Mentis* in Epidemijs abſte propoſitis.

Hæc ea ſunt, inclyte Circeſi, quæ mihi nunc occurrunt de tuo primo Quæſito reſpondenda. Te vero rogatum velim, vt excuſatam habeas reſponſi tarditatem; namque tuas litteras habui Patauij non ante finem Octobris,

dum

dum me Bononiam verſus accingerem; quo vbi perueni, publicò docendi muneře diſtentus, alijs iſtis meditationibus vacare non potui, niſi nefaſtis diebus & paucis & interruptis. Quæ temporis anguſtia cogit etiam me nunc differre reſponſionem ad ſecundum tuum Quæſitum *de Diuino in morbis* in ferias proximas Lupercales. Vale Vir doctiſſime, meque tui ſummum obſeruatorem ama. Dabam Bononię die xxx Decembris MDCXLIII.

Ad ſecundum Quæſitum de Diuino in morbis prænoſcendo ex Hippocratis iuſſione Reſp. Liceti. Cap. VIII.

Illuſtriſſimo Viro D. FRANCISCO CITESIO Medico Regio & facult. Pictau Decano Fortunius Licetus B. A.

a 1. progn. init.

Optime ſcio (Cl. Citeſi) tibi viro ſapienti pauca ſatis eſſe ad intelligenda mea ſenſa de Diuino in morbis obſeruando ſecundum (a) Hippocratis decreta. Sed quum neque mediocribus ingenijs (quibus aliquando publici iuris factæ, communes erunt iſtæ meæ commentationes) pauca ſufficere poſſunt ad mea cogitata de propoſito percipienda: neque mihi pauca ſimiliter ſatis eſſe valent ad meam ſententiam exprimendam de multiplici diuino, quod ibi Coum indicare cenſeo: deque problemate vetuſto, controuerſo, & obſcuro apud omnes omnis æui ſcriptores, nouiter explicato; quippe, vt ait ille, nimis (b) *arduares eſt, vetuſtis nouitatem dare, nouis auctoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, faſtiditis gratiam, dubijs fidem, omnibus naturam, & naturæ ſuæ omnia*: Quæ ſingula mihi peragenda ſunt, vt iuſſioni tuæ paream, faciamque ſatis: Patere, vir eximie, vt mihi ſimul & illis conſultum vtcumque ſit longiuſcula & aperta magis meditatione. Sic igitur de ſecundo tuo quæſito multo plura quam de primo mihi dicenda ſunt.

b Plin. pręf.

Diuinum in morbis non eſſe Qualitates occultas.

In primis vna tecum ſentio, non eſſe cum plurimis noſtri ſeculi Medicis confugiendum ad occultam qualitatem, totiusque ſubſtantiæ proprietatem Fernelianam; etenim omnibus in morbis obſeruare nunquid adſit occulta qualitas, totiusque ſubſtantię proprietas, omnino ſuperuacaneum eſt; quum frequentiſſimæ ſint ægritudines naturam habentes in apertis qualitatibus. Deinde quid aliud eſt, ad occultas iſtas qualitates, & ad ignotam totius ſubſtantiæ proprietatem confugere, quam aperte fateri, ſe vere neſcire quid ſit illud diuinum, quod Hippocrates iubet Medicum perdiſcere prænoſcereque num inſit in morbis? Non ne qualitas occulta penitus eſt ignota? non ne ſubſtantiæ totius proprietas quid proprie ſit, latet auctorem ſuum, & omnes eius aſſeclas? Certe qui Medici, Philoſophique referunt ad occultas qualitates, & ad latentem ſubſtantiæ totius proprietatem Maris fluxum & refluxum, acus magneticæ conuerſionem ad polum, ſuccini vim paleas attrahentem, morborum peſtilentium originem, & alia complura cognitu difficilia, ſpecioſe profitentes ignorantiam ſuam de propoſitis problematis, antiquæ

Digitized by Google

tiquæ Scholæ dicterium, *Per verbum Neſcio ſolutur Omnis Quæſtio*, in vſum reuocare videntur, & plane confugere ad Aſylum Ignorantiæ. Deinceps autem Diuini nomen quomodo tribuere poſſunt occultæ qualitati, latentique ſubſtantiæ totius proprietati? ſic diuinum quid eſſe dicant (c) materiam primam, priuationem, motum, (d) & alia propter exilimam entitatem cognitu difficilia, mentibusque mortalium abdita plurimum, errore palmario. Recte tu Vir Cl. viam iſtam philoſophandi non ingrederis, at eam auerſatus, firmiorem doctrinam expoſtulas in explicatione ſermonis Hippocratici. Pariter a te ſum, dum diuinum in morbis obſeruandum, cenſes non eſſe morbum comitialem: tum quia, licet epilepſia ſacer morbus atq; diuinus a nonnullis appelletur; ſiue, vt ait Ariſtoteles, quod eo laborauerit Hercules, a Gentilitate pridem inter Deos relatus, & cultus; ſiue, vt inquit (f) Hippocrates, quia curaretur a Magis incantationibus; quicquid aliter (g) Galenus afferat; attamen habet cauſas, & curationes pure phyſicas: tum quia ſatis ipſum eximit Hippocrates e numero morborum diuinitatem habentium inquiens, (h) *De morbo ſacro appellato ſic ſe res habet. Nulla re videtur mihi alijs diuinior eſſe morbis, neque ſacratior; verum naturam habet, quam etiam reliqui morbi, vnde ſit. Homines vero naturam & cauſam eius diuinam putauerunt præ inexperientia & admiratione, propterea quod reliquis morbis nulla re ſimilis eſt; & per inopiam quidem quod non cognoſcunt, diuinitas ipſi conſeruatur. Per abundantiam vero & parabilem modum ſanationis medentur: exoluuntur enim aut expiationibus aut incantamentis*. & cetera, quibus fuſe demonſtrat nihil eſſe diuinum in epilepſia generatim, de qua latiſſime diſſerit in eo volumine De Sacro morbo. Quod quidem miror a Cornario ſcribi, *Non genuinum Hippocratis, ſed memorabilis tamen viri hunc librum Galenus eſſe dicit, tum quod ad dictionem, tum quod ad ſententiam attinet. Hippocratis autem neque dicendi modum, neque ſententiarum acumen in ipſo eſſe*. Nam in primis Hippocrates quum multa ſcripſerit in omni ætate ſua, qui valde ſenex obijt, non eundem ſcribendi modum, nec idem ſententiarum acumen habere potuit iuuenis, atq; grandæuus; quum dies diem doceat; & poſteriores cogitationes ſint ſapientiores, vt ex (i) Euripide (k) Tullius etiam accipit; & exercitio ſtylus, modusque dicendi perficiatur, altereturque plurimum. Addo conſitentem, hunc librum eſſe viri memorabilis, acumen ſententiarum illi non poſſe tollere: Quod tamen in toto libello paſſim animaduertitur, & ſpeciatim dum neceſſarijs plane demonſtrationibus oſtenditur, morbum comitialem non habere quidpiam in ſe diuini ſupra morbos alios quicunque pendent a cauſis pure phyſicis. Præterea Galenus, obſeruatu quoque Braſauoli, non vno in loco citare videtur hunc librum, tanquam Hippocraticum; ſed ſpeciatim vbi commentarijs librum alium Hippocratis illuſtrans, inſit, (l) *Alij ſacrum morbum falſa opinione decepti appellauerunt, ſicut in libro de ſacro morbo explicatum eſt*, & alibi, (m) *Conſtat enim vt Hippocrates nullo ſuo libro cauſam ægrotationis in Deos refundat, qui Blitus, ideſt percuſſos vnde nam ducti veteres ita vocarint, volumine de victu acutorum morborum oſtendit: hic igitur liber conſeſſe verus germanusque eſt. At libro, qui eſt de ſacro morbo, multa quoque ſcripta ſunt ad obſtirpandam ſuſpicionem eorum, qui Deum mittere ægrotationes contendunt. Non igitur comitialem putamus* di-

c 1. phyſ. 1.69.
d 3. phyſ. t.12.13.14. 15.
Non epilepſiam.
e 30. ſect. probl. 1.
f de ſacr. morb.
g 6. epid. com. 6. t. 7.
h de morb. ſac.
i in Hippolytho.
k Philip. 12.
l 6 6. epid. com. t. 7.
m 1. prog. co. 1. t. 1.

diuinum haberi morbum. Si namq. Galenus opuſculum de ſacro morbo genuinum Hippocratis non exiſtimaſſet, ab re citaret illud in confirmationem opinionis Hippocraticæ. Ceterum quid hæc moror? Hippocrates ipſe volumen de ſacro morbo ſuum agnoſcit, & citat in opuſculo de Inſania (quod locatū eſt inter eius epiſtolas) inquiens, *Quemadmodum in libello de morbo ſacro dixi, Inſanienti neceſſe eſt præ humiditate cerebrum, in quo animæ ſunt opera, moueri: vbi videlicet humidius quam pro natura fuerit.* Hanc autem ſententiam explicatiorem legimus circa finem operis de ſacro morbo, poſteaquam multis docuerat, in cerebro eſſe omnia fere animæ opera præſtantiora, vt vidimus in ſuperiore Quæſito; verbis ipſiſſimis, *& inſanimus quidem præ humiditate: quum enim humidum fuerit, quam pro natura, neceſſe eſt moueri: vbi vero mouetur affectio, neceſſe eſt, neque viſum quieſcere, neque auditum, ſed alias aliud videre, & audire, & linguam talia dicere, qualia ſemper ac ſingulis vicibus viderat, ac audierat.* & cetera. Quæ quum veluti propria citentur ab Hippocrate in genuino ſuo Tractatu *de Inſania*; certo certius eſt, librum *de morbo ſacro* germanum Hippocratis eſſe; proindeque morbum comitialem non eſſe diuinum, vt eo libro late demonſtratur a Coo. Pariter vna tecum ſentio, diuinum in morbis obſeruandum Hippocratica iuſſione, non eſſe dies decretorios; quia non erat iubendum vt obſeruaretur, ſi adeſſent in morbis; quum in omnibus morbis adſint; & vltro ſemper obſeruentur a Medicis omnibus, ex arte Medicinam facientibus: & quia reuera nihil diuini peculiariter in ſe continent critici dies. Galenicam opinionem de ambientis aeris conſtitutione nihilo magis firmam prædictis & ego cenſeo; licet aeri tribuerit antiquitas nomen diuini, dum ſub aperto degentes aere, ſub *dio* manere dicunt: & aeris apertas regiones appellant *Dias luminis oras*; & in aere, præter primas qualitates, ineſſe valeant aliæ, ſecundæ nuncupatæ, latentiores, peſtilentium, & epidemicarum conſtitutionum procreatrices. Ceterum nec eiuſcemodi peſtilentis aeris conſtitutio timeri debet in omni morbo, nec in plurimis; quum raro admodum contingere ſoleat. Nec etiam dubitandum erat Hippocrati, num Medicus aerem obſeruaret in morbis; quum aer inter ſex illas res nonnaturales numeretur, de quibus rationem non habere non poteſt Medicus in omni morbo. Neque magis de aeris conſtitutione, quam de quinque rebus alijs oportet Medicum eſſe ſollicitum, vt de hac tantum Hippocrates peculiarem prænotionem iniunxerit. Sed tandem iſtam explicationem Galeni funditus euertit Hippocrates ipſemet in calce libelli ſui de ſacro morbo, ſcribens hac ratione morbos omnes fore diuinos; quum in omnibus actiuitatem habeat aeris conſtitutio, per Solem, frigora, & ventos agitata varie; quippe ſingula iſta diuina eſſe dicit, his fere verbis, *Hic vero morbus ſacer appellatus, ex iiſdem cauſis oritur, a quibus etiam reliqui; ab accedentibus nimirum, & a decedentibus, veluti frigore, Sole, ventis; quæ & tranſmutantur, & nunquam quieſcunt: Hæc autem ſunt diuina. Quare nequaquam hunc morbum ab alijs diſcriminare oportet, neque reliquis morbis diuiniorem putare; ſed omnes diuinos, omneſque humanos*, habita ratione ambientis nos aeris. Non igitur diuinum hoc Hippocraticum in morbis, eſt occulta proprietas, non Epilepſia, non dierum criticorum idea, non aeris vlla conſtitutio.

Non dies critici.

Non aeris conſtitutionem.

Opi-

Digitized by Google

Opinio propria introducitur, qua decernitur, diuinum huiuſmodi multiplicis eſſe generis, & primum quidem eſſe Prognoſticum, quod eſt vere diuinatio Medica. Cap. IX.

EQuidem dum attente conſidero ſermonem integrum Hippocratis, in procemio Prognoſticorum aſſerentis, *Nihil perinde Medico conducibile cenſeo, quam vt prudentem ſe præſtare laboret. Si enim apud ægros præterita, præſentia, & futura, atque ea quæ ipſi inter narrandum omiſerunt, nouerit prædixeritque; nihil, quod ægris vſui fuerit, ignorare putabitur; quo fit, vt audentius homines Medico ſeſe committant. Etenim per quam ſalutarem adhibebit curationem, ſi futuras affectiones præuiderit. Nam fieri non poteſt vt omnes ægros ſanitati reſtituat; quanquam hoc multo præſtantius erat quam futura prænoſcere. Igitur quum homines intereant, alij quidem ob morbi vehementiam, antea quam vocetur Medicus: nonnulli vero, vocato licet Medico, repente moriuntur: ac alij vnico duntaxat die, alij paulo longiore ſpacio vitam extendunt, priuſquam Medicus arte ſua ſingulis morbis occurrendo reſiſtat. Proinde harum affectionum naturas noſcere oportet, quantum videlicet corporis viribus ſint ſuperiores. Quin etiam ſi diuinum quidpiam morbis ineſt, huius quoque prouidentiam perdiſcere; ſic enim optime iure & admirabilem, & bonum ſe præſtabit Medicum, quos enim ſuperſtites fore cognouerit, eos rectius quoque ſeruabit, vt pote ex multo tempore ſingula conſulto perpendens. Itaque morituros, victuroſque præſentiens, atque denuncians, omnem prorſus calumniam vitabit.* Hæc Hippocrates vniuerſalia præcepta præmiſit ad ſuos tres libros Prognoſticorum. Quod autem peculiariter attinet ad illud, quo iubet Medicum prænoſcere, *Si diuinum quippiam in morbis ineſt*, mihi ſane videtur Cous plura diuina ſupponere, quæ valeant in morbis & eſſe, & non eſſe; quum tamen hactenus omnes fere Medici cenſuerint huiuſcemodi diuinum in morbis vnius eſſe tantummodo generis. Nos autem id multiplex diuinum Hippocraticum ad nouem genera putamus eſſe referendum. Ac primum quidem eſt ipſum Prognoſticum, quod omnes norunt eſſe diuinum quid, vel ex Hippocrate, qui non ſolum nunc aperte fatetur, Prognoſticum eſſe diuinationem quandam tum de futuro morbi euentu, tum de rebus occultis circa morbum, tam præteritis, quam præſentibus, quas æger & aſſidentes Medico non indicauerint; Vt Prognoſticum facere nihil aliud ſit quam diuinare prædicereque res occultas, & præteritas, & præſentes, & futuras, ad morbum attinentes: quod Hippocrates (a) indicat allatis verbis aperte; atque clarius alibi dicens, (b) *Vaticinationi ſimilis ars Medica videtur.* & mox: *Diuinationis hoc munus eſt, vt ex manifeſtis obſcura quidem cognoſcat, & ex obſcuris manifeſta, & ex præſentibus quæ futura ſunt.* & alibi ad Philopæmen, (c) *Aeque hæc vera eſſe, mi Philopæmen, credo; & ſunt ſane. Et non contemno ſomnia, maxime vbi etiam ordinem conſeruant. Medicina autem & vaticinatio valde cognata ſunt; quandoquidem & pater ambarum artium vnus eſt Apollo progenitor noſter, & præſentes, & futuros*

1. Diuinum Prognoſticũ

a 1. prog. init.
b 1. de vict. acut.
c in epiſt.

morbos prædicens, & ægros & ægrotaturos ſanans. Igitur ex Hippocrate Prognoſticum eſt diuinatio quædam, & diuinum quoddam inuentum Apollinis circa morbos. Quam ſententiam hauſit a Coo Galenus, dum inſit,
d orat. ſuas ad art. c. 1. (d) *Homo nec diuinas artes omittit; ſiquidem in arte medendi tum Æſculapium, tum etiam Apollinem æmulatur.* & alibi: (e) *Ego vero ſum mihi conſcius, quod ſæ-*
e 2. de diff. feb. c. 7. *pius ex diuinatrice quadam arte potius, quam prænoſcendi ſcientia medicinæ propria, viſus ſum eiſdem coniectura aſſecutus futuræ acceſſionis inſultum.* & alio lo-
f de cauſ. procat. co, (f) *Cumque ceteri timerent, & faterentur ſe ignorare qualis eſſet futurus euentus morbi illius iuuenis; qui delirabat: Ego ſubridens, non multo poſt, inquam, fluorem ſanguinis e vaſo patieris, & ſic omnino a morbo liber euades. At illi ridebant, aiebantque nequaquam hæc diuinari poſſe: verum ſtatim e dextra nare ſanguis defluxit. Sed & ſudorem, qui deinde ſuperuenit prædixi; & expoſitum alui deiectionem, & vomitum, & multa etiam alia, quæ ad naturam & curationem morborum attinent. Illi autem abſunt, vt credant poſſe quippiam tale opus perfici; vt Vatum potius, quam Medicorum munus eſſe putent huiuſcemodi præſagire.* Quin & alibi, poſt multa de ſymptomatibus Medicum Siculum Romæ vexantibus, cum audientium admiratione prænunciata, *Vna,* (g) inquit, *addenda eſt*
g 5. loc. aff. c. 7. *prædictis diuinatio; etenim dicam, quam de morbo ſuo laborans ipſe habuerit ſuſpicionem. Tum Glaucus ne de hac quidem diuinatione deſperare ſe aiebat: Laborans autem incredibili hac pollicitatione in ſtuporem adductus, & acriter me intuens, quid eſſem dicturus attenta mente expectabat. Igitur dicente me, quod infeſtantem morbum pleuritidem eſſe putaſſet, ille ingenti cum admiratione huius quoque rei ſe teſtem exhibuit: id quod etiam affirmabat ex aſtantibus vnus, & qui paulo ante latus eius*
h 10. ſimpl. *ex oleo fouerat.* & alio loco: (h) *Et cauebam ne præſtigiatura opinionem merito referrem; quam iam etiam improbi quidam Medici ex diuinandi quadam arte, non ex ſpeculatione medica me in morbis ſolere prædicere, me calumniarentur:* ne conſimilia propoſitis alia multa congeram. Dum igitur Hippocrates in Prognoſticorum proœmio iubet Medicum obſeruare num inſit in morbis aliquid diuinum, ſpeciatim illud imperat, vt Medicus animaduertat, prius quam ad remediorum vſum ſe accingat, nunquid morbus ex eorum genere ſit, in quibus diuinatio Medica, nempe Prognoſticum, locum habeat, nec ne: nam vt aliqui morbi ſunt adeo graues, aut adeo mali, qui remedia non admittant, vel ijs potius exaſperentur; quique propterea ſolo Prognoſtico, ſine remediorum vſu, relinquendi ſunt: cuiuſmodi ſunt inter alios occulti cancri,
i 6. ſect. aph. 38. quos Hippocrates (i) aſſerit, melius eſſe non curare; quia curati mortales cito pereunt; non curati vero longius tempus perdurant: Quare ſolo Prognoſtico relinquendi ſunt: Et alij ſunt morbi non ita graues, qui cum Prognoſtico remediorum etiam vſum poſtulant: Ita ſunt alij leues adeo, ſalubres, & manifeſti, vt nullis omnino Prognoſticis indigeant; in quibus morbis propterea non ineſt aliquid huiuſcemodi diuinum; ſed prompte paucis, paratuque facilibus remedijs curantur; non requiſito Medico, nec ab ægroto, nec ab ægrotantis affinibus, de morbi natura, vel euentu; qui ſalutaris breuiter ab omnibus, vt optatur, ita ſecure ſatis expectatur. Hoc apertiſſime col-
k 1. prog. init. ligitur ex verbis (k) Hippocratis antea propoſitis, in quibus Prognoſticum adhibendum eſſe dicitur morbis vehementibus, & alicuius momenti. Id

ip-

Digitized by Google

ipſum ratio ſuadet, enimvero diuinare (quod eſt, vt Medici faciunt in prognoſticis, ex narratis anteacta, & omiſſa, latentiaque conijcere, futuraquè præſagire) deductum verbum eſt a nomine *diuinus*; quum diuinum quiddam, Deique, vel hominis Deo pleni, & afflati, munus proprium ſit, aut dæmonis; & omnino ſupra mortalis ſagacitatis ſortem, futura prædicere, vel occulta, tam præſentia, quam præterita, cognoſcere, ac in lucem proferre.
Certe nos apud M. Tullium legimus, (*l*) *Vetus opinio eſt, iam vſque ab heroicis* l 1. de Diuin.
ducta temporibus, eaque & Populi Romani, & omnium gentium firmata conſenſu: verſari quandam inter homines diuinationem, quam Græci Manticen appellant, ideſt præſenſionem & ſcientiam rerum futurarum. Magnifica quadam res & ſalutaris, ſi modo eſt vlla; quaque proxime ad Deorum vim natura mortalium poſſit accedere. Itaque vt alia nos melius multa quam Græci; ſic huic præſtantiſſimæ rei nomen Noſtri a Diuis; Græci, vt Plato interpretatur, a furore duxerunt. Sed tamen Plato diuinationem hominibus eſſe dicit ſemper a numine ſupra ſortem humanam cor ſtituto; nam & in Ione legimus, *Omnes itaque carminum poetæ inſignes, non arte, ſed diuino afflatu mente capti omnia iſta præclara poemata canunt*. & mox: *Res enim leuis, volatilis, atque ſacra poeta eſt; neque canere prius poteſt quam Deo plenus, & a mente alienatus ſit*. & paulo poſt: *Poetæ autem nihil aliud ſunt, quam Deorum interpretes, dum ſunt furore correpti, a quocumque tandem numine quis corripiatur*. & in Phædro; *Non verus ſermo ille eſt, qui præſente amatore non amanti magis iubet gratificari; quia amans furit, non amans vero ſanus eſt. Si enim ſimpliciter verum eſſet, furorem eſſe malum, recte a nobis dictum fuiſſet. Nunc autem maxima bonorum nobis fiunt per furorem diuino quodam munere conceſſum. Nam & quæ in Delphis futura prædicit Vates, & quæ in Dodona ſacerdotes, furentes quidem multa ac magna commoda priuatim & publice Græcis hominibus attulerunt: ſanæ vero dum ſunt, exigua, aut nulla. Quod ſi referamus Sibyllam, & alios quicunque diuino vſi ſunt vaticinio, quam multa prædicentes in futurum profuerint, prolixum nimis extenderemus ſermonem, & rem manifeſtam omnibus proferremus. Illud tamen dignum eſt teſtificari, quod veteres qui nomina rebus impoſuerunt, non turpe quiddam, neque ignominioſum putauerunt furorem. Non enim præclariſſimæ arti, qua futurum diſcernitur, hoc nomen annectentes, eam manicen, ideſt furorem nominaſſent, ſed tanquam bonum quiddam ſit furor, quando diuina ſorte prouenit; honeſtæ arti nomen huiuſmodi indiderunt. At nunc iuniores iſti interiecta, t, littera, imperite nothium manticen dixerunt.* Et in Sympoſij oratione Socratica, *Quid, inquam, eſt o Diotima? Magnus, o Socrates, Dæmon. Etenim omnis natura Dæmonum inter mortales Deosve eſt media. Quam vim habet? Interpretatur, inquit, & traijcit humana ad Deos, diuina ad homines: horum quidem preces, & ſacrificia; illorum præcepta; ſacroſque ſolennes, inſtitutiones, & ordinem. In vtroque medio conſtituta totum complet, vt Vniuerſum ſecum ipſo tali vinculo connectatur. Per hanc vaticinium omne procedit, ſacerdotumque diligentia circa ſacrificia, expiationesque, & incantationes, & diuinationem omnem, atque magicam. Deus quidem homini non miſcetur, ſed per id medium commercium omne atque colloquium inter Deos hominesque conficitur, & vigilantibus nobis, & dormientibus.* Ac demum in Timæo, *Quod autem dementiæ humanæ Deus diuinandi vim dederit, illud argumento eſſe nobis poteſt; quod nemo dum ſatis*

Digitized by Google

mortis eſt, diuinum & verum vaticinium nullum aſſequitur; ſed quum vel ſomno prudentiæ vis præpedita eſt, vel oppreſſa morbo, vel diuino aliquo raptu e ſuo ſtatu dimota, fieri diuinatio ſolet. Sic ergo Platoni diuinatio proprie dicta mortalibus ineſt munere Dæmonis, vel Dei; vnde nomen accepit: & diuinum quid eſt in homine, non ex hominis natura proueniens. Ita quoque, Plutarchi (m) relatu, *Ariſtoteles & Dicæarchus eas diuinationes admittunt, quæ furore diuinitus immiſſo, aut inſomnijs fiunt.* Et alibi ſcribit, (n) *Diuinationem vt vere a Deo profectam, in ſummo eſſe apud homines honore.* Quin & Homerum de tali diuinatione tractaſſe monet, quæ a Deo eſt, inquiens, (o) *Vtilitatem porro homines percipiunt vt ex Medicina, ita aliquando etiam ex diuinatione. Huius quandam partem Stoici dicunt artificio conſtare, vt extiſpicium, augurium, omina, ſigna; quæ vno verbo artificioſa nuncupant; aliam artis, & diſciplina expertem, vt inſomnia, & afflatus diuinos. Ne hac quidem Homerus ignorauit.* (quare nec Hippocrates Homero iunior.) *Nouit enim vates, ſacrificulos, ſomniorum coniectores, augures: & quendam in Ithaca, (p) qui aues noſſet, & futura inde vaticinaretur.* Quin *Vlyſſes (q) precatus:*

m de plac. c. 1.
n de Fato. f.
o lib. de Hom. f.
p 2. Ody. 159.
q 20. Ody. 100.
r 17. Ody. 540.
ſ 20. Ody. 351.
t 7. Iliad. 51.
u 8. ſymp. qu. 10. f.

„ *Omen nunc aliquis hominum intus mi vigilantum*
„ *Exhibeat, Iuppiterque foris ſigno omina firmet.*

Sternutatio (r) quoque apud eum inter felicia ſigna ponitur. Et procis adſtat diuino furore correptus (ſ) Vates, futura quibuſdam indicijs præſagiens. At quum (t) Helenus dicat, ſe vocem deorum immortalium auribus ſuis percepiſſe; fidem facit Socrati, qui Genij voce monitus diuinaſſe perhibetur. Ceterum Diuinationi, quæ a Deo eſt, conſimilem aliam humanam eſſe pronunciat, quæ corporis affectionibus perturbetur, dum inſit. (u) *Eſt vero neceſſe ſimul cum corporibus affici animos, & maxime denſato ſpiritu diuinandi facultatem retundi; qui quaſi ſpeculum caligine opplentur; nihil ergo euidens, nihil artus habens, nihil apertum viſis offert is, quandiu craſſus, tenebricoſus, & compreſſus manet.* Porro in hoc genere Prognoſticum Medicorum eſt, quod eſt diuinatio quædam humana, arte comparabilis, non immiſſa ſimpliciter a Deo. Sed quia cognationem habet in opere cum ea, quæ diuinitus accedit homini; quod & Hippocrates perſpicue confitetur litteris ad Philopœmenen datis; propterea per artem ab hominibus Medicis comparata ſolertia dignoſcendi, & prædicendi latentia, futuraque circa morbos, ab Hippocrate dicitur *diuinum quidpiam*, non autem diuinum abſolute. Ac ſane *diuinatio*, non apud Latinos tantum, vt ait Cicero (quod eius pace dictum ſit) ſed etiam apud Græcos diuinum quid eſt, & nomenclaturam, etymologiamque deductam habet a diuinitate, Deove; ſicuti conſtat e multiplici loco tum Platonis allato nuperrime; tum etiam Suidæ ſcribentis, *Theopropia: Vaticinium, oraculum. Et Theopropion: oraculum a Deo editum, Vaticinium, vel prædictio. Et Theopropeſis: idem; ſic enim videtur legendum, vt ſit verbale deductum a Theopropeo, pro vaticinor, oraculum edo, prædico.* & infra: *Theoſemeia: diuinatio, Dei vaticinium, q.d. Dei ſignificatio, qua res aliquas ſignificat.* Et Lexicographus, *Theſpizo: vaticinor, diuino. Theſpiſma: vaticinatio, diuinatio.* Quæ ſingula deducuntur a *Theu*, vel *Thein*. Sed & *Manteia*, quod nomen a Cicerone receptum, Græci dedere diuinationi, notatu Lexicographi, *ducitur a maneſthai,*

à furore diuino, quo correpti Vates futura prædicunt.

Itaque Diuinatio Medica, quæ Prognoſticum appellatur, eſt primo vnum ex illis diuinis, quæ ſunt à Medicis prænoſcenda in morbis, Hippocratico iuſſu, num, & quando fieri debeat, vt antea ſatis explicatum eſt.

Somnium diuinatorium multiplex eſſe quoque diuinum in morbis obſeruandum ex Hippocratis præcepto. Cap. X.

SEcundum autem diuinum in morbis obſeruandum, ex Hippocratis iuſſione, mihi videtur Inſomnium diuinatorium, tam Medici, quam etiam ægrotantis; ſiue Diuinitus immittatur, ſiue promoueatur à cauſis pure naturalibus; vt ex ipſo Coo, & ex Galeno, ac ex rei natura facile comprobari poteſt. Etenim ſomnia, ſiue à Deo mittantur, ſiue per ea, cauſis naturalibus orta, Medicus diuinet, apte præſagiens de morbi natura latente, futuro euentu, ac oportunis remedijs, recte diuina vocantur, & in morbis obſeruanda ſunt ex Hippocratis & Galeni decretis, & exemplis. De Somnijs quidem ægrotantium, per quæ Medicus prænoſcit atque diuinat morborum abditas cauſas, euentum futurum, & ſalutaria præſidia, conſcripſit Hippocrates ipſe librum integrum, in quo præter cetera leguntur iſta, *(a) Quæcunque quidem igitur Somnia diuina ſunt, & quædam euentura ſignificant, aut vrbibus, aut populo priuato, ſiue bona, ſiue mala, non ob ipſorum delictum; de huiuſmodi ſunt qui iudicant, certam artem habentes.* (ecce ſomnia diuinitus immiſſa de rebus etiam ad Medicos non attinentibus, quæ Vates atque Prophetas habent interpretes.) *Quæcunque autem corporis affectiones ſunt: & anima per ipſas repletionis, aut euacuationis rerum à natura inſitarum exceſſum, aut conſuetorum mutationem præmonſtrat* &c. Ecce ſomnia Medicis conferentia; quibus diuini nomen competit, quia Medicum diuinare faciunt & prædicere corporis affectiones occultas, quas ei præmonſtrant, & oportuna remedia præſcribenda; ſicut aperte docet Hippocrates illo volumine toto. Subdit autem inferius, *Quicquid porro à Deo accipere quis ſibi videtur purum, bonum eſt ad ſanitatem*; Quod ſane ſomnium diuinum dici poteſt, tum quia de Deo eſt bona porrigente; tum maxime quia Medicum diuinare facit de ſanitate futura. Sed & in Epiſtola ſua narrat Hippocrates inſomnium ab Aeſculapio Deo ſibi miſſum, quo diuinauit Democritum, ad quem velut inſanientem curandum ab Abderitarum Senatu vocatus fuerat ex Co, non ægrotare mentis inſania morboſa, ſed alta contemplatione mentem ecſtaticam in abditæ veritatis de mundi conſtitutione, de cauſis & origine humanarum ineptiarum, deque natura bilis atræ, peruestigationem intimius figere, ſubindeque varios effectus inſaniæ intellectui occurrentes non minus irridere, quam cetera deſpicere, quæ ſibi non conferebant ad inſtitutam meditationem philoſophicam. Quod inſomnium ideo diuinum exiſtimauit Hippocrates, & quia ſibi miſſum ab Aeſculapio Deo cenſuit; & quia Democritum omnia ridentem, ſolitariam vitam, & ecſtaticam agentem, non inſanire morbo,

a lib. de Inſomnijs.

bo, ſicuti ceteri putabant Abderitæ, ſed mirifice ſapere, per illud inſomnium cognouit, atque plane diuinauit: & quia Deam Veritatem apud Democritum habitare, mortalem autem Opinionem apud Abderitas eſſe, qui Democritum inſaniæ morbo laborare, veratrique potionis indigere cenſebant. Inſomnium vero pulchritudine ſua me tradit ad ſui deſcriptionem: ſcribit igitur Hippocrates Philopœmeni gaudium. *Cogitans ac ſollicitus de Democrito, illa ipſa nocte dormiens, ſub ipſius Auroræ initium, ſomnium mihi oblatum habui, ex quo puto nihil valde periculoſi fore. Mirabiliter enim expergefactus ſum. Videbar mihi videre Aeſculapium ipſum coram, & iam ad ipſas Abderitarum portas aderamus. Aeſculapius autem non vt imagines eum alias oſtendunt, mitis ac blandus apparebat: ſed habitu concitato, & aſpectu horrendo: Sequebantur autem dracones reptilium generis immanes, longum tractum ducentes, & horribile quiddam velut in deſertis ac ſaltibus ſubſibilantes. Sequebantur & ſocij, pixides medicamentarias probe obſignatas geſtantes. Deinde porrexit mihi manum Deus: quam vbi libentiſſime apprehendiſſem, rogabam vt ſimul mecum pergeret, & ne me in medendo deſtitueret. Verum is: Nihil, inquit, in præſens me opus habes: ſed hæc immortalium ac mortalium communis dea te peregrinum deducet. Et ego conuerſus video mulierem pulchram, ac magnam, ſimpliciter ornatam, ſplendidam, cuius oculorum circuli puro lumine micabant, vt ſtellarum fulgorem putares. Et deus quidem diſparuit. Mulier autem illa apprehenſum me manu lento gradu benigniter per vrbem ducebat. Et vbi prope domum eſſemus, in qua hoſpitium mihi paratum eſſe putabam, velut ſpectrum diſparuit, hoc ſaltem dicens: Cras te apud Democritum deprehendam. Quum vero iam illa ſe conuerteret: Rogo, inquam, optima fœmina, quænam es, & quo nomine vocari debes? Veritas, inquit illa. Ceterum quam accedentem vides (& de repente altera quædam mulier apparuit) neque ipſa mala videtur, audacior autem aſpectu, & concitatior: Opinio, inquit, appellatur, & habitat apud Abderitas. Ego igitur vbi e ſomno ſurrexiſſem, mihi ipſi ſomnium interpretatus ſum, quod non indigeret Medico Democritus, quando ſane ipſe medendi Deus diſceſſiſſet, velut qui medendi occaſionem & materiam non haberet. Sed ipſa quidem Veritas, quod Democritus ſanus ſit, apud Democritum manet: Opinio vero, quod Democritus ægrotet, reuera apud Abderitas habitat. Atque hæc vera eſſe, mi Philopœmen, credo, & ſunt ſane. Et non contemno ſomnia* (notandum eſt hoc in propoſito noſtro) *maxime vbi etiam ordinem conſeruant. Medicina autem & Vaticinatio valde cognata ſunt; quandoquidem & pater ambarum artium vnus eſt Apollo progenitor noſter, & præſentes & futuros morbos prædicens, & ægrotos & ægrotaturos ſanans.* Quid clarius dici poterat ab Hippocrate, diuinum in morbis eſſe Prognoſticum verum, & Inſomnia diuinatoria circa morbos? Quin & ipſe Cous alibi ſcribit, morbos ex inſomnijs diuinatorijs etiam a Medico digno-

b 1. de mor. vul. ſe. 3. ſci, præter alia quamplurima ſigna, dicens, (b) *Morbos dignoſcimus edocti, ex communi omnium natura, ex vniuſcuiuſque propria, ex morbo, ex ægroto, ex his quæ offeruntur, ex eo qui offert: ex his enim & breuiores & grauiores redduntur: ex tota, ac particulari conſtitutione cœleſtium, & vniuſcuiuſque regionis: ex victu, ex vita ſtudijs, ex ætate cuiuſque, ſermonibus, moribus, taciturnitate, cogitationibus, ſomnis, vigilijs, Inſomnijs quibuſdam, & quando:* ſiue vt vertit Foeſius, *ex inſomnijs quæ qualia, & quando obueniant, videndum eſt*, &c. Aegrorum ſane ſomnia magnum

ad morborum dignotionem pondus habent, qualia deſcribit Galenus in-
quiens, (c) *Et vero de inſomnijs etiam mihi ante explicatum eſt, cum alijs, tum ijs* c in com.
quæ corporis aliquem affectum indicant; ſicut etiam in libro de victu valentium eſt
traditum. Nam ſi quis per inſomnium videat incendia: hunc offendit flaua bilis.
Si imbres: abundare frigidum humorem declarat. Sic ſane, ſi niuem, glaciem, &
grandinem: pituitam frigidam. Si quis in fœtido ſe loco eſſe putet: putredinem hu-
morum. Si gallorum gallinaceorum criſtas habere, aut rufa quadam: ſanguinem
exuperare. Si caliginoſa cernere, aut in locis eſſe caliginoſis: flatus indicat. Vnde
etiam huic verbo, inſomnijs, adiecit, quibus & quando: vt quibus, illorum diffe-
rentias indicet: quod etiam ſi omitteret ipſe, clarum ſit. Et quando, tempus deno-
tet, quo inſomnia fiunt, hoc eſt, ſi aut in principio acceſſionum, aut in vigore, aut
alio tempore. Atque ſi a cibo ac tali ſtatim, aut ſine cibo. Sumitur enim nonnihil
ex his indicij. Itaque qui ſe niue putet conſpergi, idque ſub acceſſionis initium, vna
cum rigore, vel horrore, vel algore, accidere ſibi imaginetur, tempori id potius, quam
affectui corporis eſt attribuendum. At vero ſi eiuſmodi ſomnium videat in febris re-
miſſione, fidelius præbet argumentum frigidorum ſuccorum. Longe etiam magis,
ſi nihil comederit ante, ciborum pituitoſorum: nam dum illi in ventre continentur,
poteſt talem habere quis imaginationem, vt aſſimilis non ſit corporis totius ſtatus.
Quoniam Hippocrates non ab re ſuſpicabatur, inſomnia deſpici potuiſſe
paſſim a Medicis, tanquam imaginationis dormientium figmenta, quæ nihil
habere momenti viderentur ad indicandam ægritudinum naturam; aliter
ipſe ratus, hic inculcat eorum obſeruationem vt potè ſ ramos ſtrantia mor-
borum conditiones, adeoque Medicum diuinare facientia recteque præſagi-
re de rebus ad ægri ſalutem, aut interitum attinentia. Quare inter ea diui-
na, quorum obſeruationem præcipit in allato Prognoſticorum loco ſubin-
telligit etiam Hippocrates Inſomnia; neque vero quæ ſolum ægris obue-
niunt; ſed illa quoque, quæ Medicis accidunt fere diuinitus immiſſa. Quam
doctrinam Galenus paſſim amplectitur; ait enim alicubi, (d) Ab Ioue etten- d 1. acut.
di inſomnia diuinatoria, ſecundum Hippocratis mentem. Et alibi, (e) *Cer-* com. 16.
tum, inquit, ea nocte euidentiſſimum per quietem inſomnium, noſtrum hominem ceſ- e 14. meth.
ſium appræbauit, ac materiam ipſam medicamenti acſiniuit, leſtuca ſucco eall'urin- c. 8.
bet; quo ille ſolo viſus, prorſus eſt ſanatus, nullius alterius egens. Et alio loco di-
cit, (f) *Sane vero, quo mihi occaſio extiterit ſecandæ arteriæ, nunc iam edixeram;* f de cur.
Monitus per quadam inſomnia, quorum duo perſpicue mihi viſa ſunt; acceſſi ad dex- per. ſa. c. 23
træ manus arteriam inter indicem, & pollicem ſitam, ſiuique fluere donec ſponte ſan-
guis reſiſteret; nam ita ſomnium præceperat. Effluxit autem non tota libra. Subito
itaque diuturnus extinctus dolor eſt, in illa maxime parte fixus, qua iecur ſepto tranſ-
uerſo committitur. Mihi quidem hoc ætate iuuenili euenit. At miniſter Dei Per-
gami, diutino lateris cruciatu laborans, liberatus eſt, arteria in ſumma manu inciſa,
aggreſſus & illud inſomnij monitu. Sed & in libello, cui titulum fecit *de Digno-*
tione ex Inſomnijs, Galenus ait, poſt repetitionem eorum, quæ dixerat (g) ali- g 1. de mor.
bi, ſuperius allata, (h) *Sed quoniam in ſomnis, non ex corporis affectionibus ſolum,* vulg. co. 3.
ſed & ex ijs, quæ quotidie agere ſolemus; & ex ijs etiam quandoque, quæ cogitauimus, h de digno.
anima imaginetur, ac ſane etiam quadam diuinatoria præſagit (nam & hoc experien- ex Inſom.
tia confirmatur) difficilis certe efficitur dignotio corporis ex inſomnijs affectæ ſani-
tatis.

tatis. Si enim ab ijs duntaxat, quæ quotidie agimus vel cogitamus, oporteret ipſum diſcernere, nihil vtique difficultatis eſſet, quæcunque nec acta, nec cogitata ſunt, ea ſyncere ex corpore excitari. At, quoniam & diuinatoria quædam eſſe concedimus: quomodo hæc ab ijs, quæ ex corpore excitantur, diſcernantur, haud facile dici poteſt. Conſpexerat enim quidam alterum crus ſibi lapideum euaſiſſe, iudicarantque plerique, qui in hiſce rebus periti habebantur, ad ſeruos inſomnium hoc pertinere: at ille eo crure reſolutus eſt, quum nemo id noſtrum expectaſſet. Palæſtritam item, qui in ſanguinis ciſterna ſtare, ac vix eam ſupereminere ſibi videbatur, copiam ſanguinis habere, euacuationeque indigere coniecimus. Nonnulli vero quum indicatorie ſudaturi eſſent, in calidarum aquarum ciſternis lauari natareque arbitrabantur. Ita quoque imaginatio bibendi citra expletionem, admodum ſitientibus: quemadmodum inſaturabiliter comedendi, eſurientibus: Venere vtendi, ſemine repletis accidit. Videtur enim in ſomnis anima in corporis profundum ingreſſa; & ab externis ſenſibilibus digreſſa, affectionem, quæ in corpore eſt, ſentire; atque eorum omnium, quæ appetit, tanquam iam præſentium, viſa concipere. Et, ſi hæc ita habent, nihil ſane mirum fuerit, ſi, quum animalis facultas ab humorum copia grauata vexatur, homines vix ſe ipſos mouere, ac onera quædam ferre, per ſomnum imaginentur: e contra vero, quum leuis ſuperfluitatibusque vacans affectio corporis ſit, ſi, qui ita ſunt affecti, ſe vel volare vel velociſſime currere, per inſomnium videant: quum animæ viſa corporis affectionibus ſemper aſſimilentur: ita vt etiam, qui affecti ſunt, graueolentia vel beneolentia percipere videantur. Qui enim in ſtercore & cæno ſe verſari imaginantur, vel humores prauos graueolenteſque & putrefactos in ſe habent, vel copiam ſtercoris in inteſtinis contenti: qui autem contra, quam hi, ſunt affecti, ac in locis beneolentibus verſari ſe credunt, contrariam habere in corpore affectionem eſt cenſendum. Quæ igitur laborantes in inſomnijs vident, ſeque agere arbitrantur, ſæpe hæc nobis humorum tum defectus, tum exceſſus, tum qualitates coindicabunt. Galenus etiam alibi ſententiam hanc noſtram confirmat aperte, dicens, (*) *Alium præterea diuitem virum, non noſtratem, ſed & media Thracia Pergamum, ſomnio ita iubente, profectum Aeſculapius admonuit, vt medicamentum e viperis quotidie potaret, atque exterius corpus illineret: ac non multo poſt ea tranſiuit in lepram; deinde hac medicina, quam Deus docuerat, exquiſite ſanatus eſt. Tot igitur experimentis commoti, tandem Dei quoque admonitu confirmati, certam ſpem concepimus ſanandi elephantiaſim medicina e viperis confecta, quam theriacam appellant; nec minus ſale theriaco, quod iam vulgo confici cæpit viuis viperis cum quibuſdam alijs medicamentis in fictili nouo combuſtis. Sed & viperas edendas præcipimus, capitibus caudiſque earum primo abſciſſis, deinde in paſtillos confectas. Non tamen confeſtim ad hæc remedia proficiſcimur; ſed prius corpus exquiſite purgamus, nec raro venam ſecamus, ſi robur, & ætas tulerint. Vere autem id potiſſime fieri ad pleroſque diuturnos affectus commune eſt. Tot igitur a nobis enarrata ſunt, vt oſtenderemus multa caſu inueniri, & imitatione confirmari. Obtulit enim fortuna, vt non incommoda tantum, ſed commoda quoque, ex quibus ars confici poſſet, conſpicaremur.* Sic ergo ſomnia diuinitus immiſſa, Galeni teſtimonio, diuina ſunt in morbis obſeruanda Medico prudenti. Cuius argumenti ſane longiorem Tractatum edidit Hippocrates ipſe ſub titulo *De Inſomnijs*. Per diuinum igitur in morbis obſeruandum, & prænoſcendum a Medicis intelligit ipſe Cous Inſomnia ſpecia-

*de ſubfig. empir. c. 12

tim ægritudinum naturam reſpicientia, & indicantia, ſiue Medico, ſiue contingant ægrotanti. Quæ quidem appellantur diuina, vel quia mittantur a Deo, vel quia naturalibus e cauſis orta, futurorum, & occultorum circa morbos diuinationem Medico demonſtrent. Quam diuinitatem inſomnijs etiam Ariſtoteles aſſignauit, vt & Dicæarchus, obſeruatu Plutarchi dicentis, (*i*) *Ariſtoteles, & Dicæarchus eas ſolum diuinationes admittunt, quæ furore diuinitus immiſſo, aut in ſomnijs fiunt*: forteque reſpicientis ad allata in opuſculo Stagiritæ De Diuinatione per ſomnia, vt antea quoque notabam. Sed & huc ea faciunt, quæ mox addit de inſomniorum ratione Plutarchus, addens, (k) *Herophilus ſomnia diuinitus inſpirata neceſſario fieri putauit: naturalia, imaginando ſibi anima repræſentante quod expediat, & euenturum ſit: miſta, fortuito & appulſu imaginum, quum videmus per quietem quæ volumus; quemodo amicis in ſomno potiri ſe putant nonnulli*. Conſulto vero Cous inſomnia præſcribit in morbis obſeruanda, quia noſcebat pleroſque Medicos ea tanquam futilia negligere, nec vllam omnino rationem de his habere, quaſi nihil ad curationem morborum conferant; quum Hippocrates aliter cenſeat, vt viſum eſt. Quæ de ſecundo diuino, repoſito ab Hippocrate inter alia in morbis a Medico prænoſcenda, mihi nunc occurrere dicenda.

i 5. de placit. phil. c. 1

k cap. 2.

Studioſam ecſtaſim eſſe tertium diuinum, quod in morbis a Medico præcognoſcendum propoſuit Hippocrates. Cap. XI.

TErtium autem ab Hippocrate connotatum nomine diuini, cuius Medicus in Prognoſticis obſeruationem habere debet, eſt ecſtaſis, nimirum animi quædam alienatio a corpore, ſiue ſit vehemens, ſiue mitior. Cuius quidem affectus duplicem apud Medicos habemus ſpeciem: altera morbus eſt, de quo Galenus, & ante Galenum Hippocrates agit; iſte quidem inquiens, (*a*) *Mente ob melancholiam aberrantibus* (τοῖσιν ἐξισταμένοισι μελαγχολικῶς) *tremores ſuperuenientes, maligni*. *Mente aberrantes* (οἱ ἐκστάντες) *acute ſubperfebrientes cum ſudore, phrenetici fiunt*. Vbi Galenus, (*b*) *Melancholicam ecſtaſim, ideſt mentis motionem, aberrationemque intelligere oportet vehementem & firmam, quæ irrigante cerebrum aſſata flaua bile oritur*. Et inferius Hippocrates, (*c*) *Vbi aluus humeſcit, æger laſſitudine, capitis dolore, ſiti, vigilijs torquetur, obſcure loquitur, & ad motum eſt impotens; in his caſibus vehementem mentis emotionem* (ἐλπὶς ἐκστῆναι) & mox, (*d*) *Vocis in febribus defectiones, quæ conuulſionis ſpeciem præſeferunt, in vehementem mentis emotionem* (ἐξίσταται) *cum ſilentio vertunt, & perniciem oſtentant*. Vbi Galenus, (*e*) *Mentis motionem* vertit *ecſtaſim*. & (*f*) inferius apud Galenum Hippocrates, *Ex ceruicis dolore comatoſo, & ſudante, venter inflatus, ſi ad neceſſitatem liquida dimiſerit ſublatus, ex his bile carentia in ecſtaſim aguntur*: Vbi Galenus, *ecſtaſim* interpretatur *fortem deſipientiam*. Qui facultates animum alienandi nuncupat (*g*) alibi, *Ecſtaticas*. Ceterum vt Apoplexia tum fortis, tum etiam debilis hominem angit, (*h*) Hippocrati: Sic ecſtaſis morbus, alia vehemens eſt, alia remiſſa: vehemens ecſta-

a 1. prorh. t. 14. 15.

b in com.

c 1. pror. t. 39.

d t. 54.

e com. 2. t. 19.

f com. 3. t. 6.

g 5. ſim. med. fa. c. 2.

h 2. ſec. aph. 42.

ſtaſis animum alienat adeo, vt nullæ fere fiant in corpore functiones ; quam
appellarunt Hippocrates & Galenus ecſtaſim cum ſilentio pernicioſam :
ecſtaſis remiſſa ſecum aliquas vitæ functiones admittit. Huic ecſtaſi mor-
boſæ ſimillima quædam eſt affectio ſtudioſa, citra morbum quidem, ſed pari-
ter operationes vitæ tollens, aut obſcurans : eodem propterea nomine do-
nata : vt difficile ſit ecſtaſim morboſam diſcernere a ſtudioſa, quam diuinam
communiter appellant autores Claſſici. Diuina vero dicitur ecſtaſis dupli-
ci de cauſa, tum ex obiecto, tum ex ipſamet ecſtaſis natura peculiari : ex
obiecto quidem, quia ſanctitate viri præſtantes, aliquando vel intellectum
vehementius intendunt in contemplatione rerum diuinarum, vel volunta-
tem in earundem affectu ; quapropter anima ſimpliciter occupata penitus
& omnino circa diuinum obiectum, velut a corpore alienata, functiones vi-
tæ non promouet; adeo vt ecſtatici tales rigeant immoti, non ſentiant vſti,
i2.Corint. punctive, neque ſecti. Sic D. Paulus, (i) *Scio*, inquit, *hominem ſiue in corpore,*
cap.12. *ſiue extra corpus, neſcio, Deus ſcit ; quoniam raptus eſt in Paradiſum : & audiuit ar-*
cana verba, quæ non licet homini loqui. Audiuit autem intellectu, non auribus.
At D. Franciſcus, & alij plerique vehementiori voluntatis affectu in diuino-
rum deſiderium, & Dei amorem rapti fuere per eiuſcemodi ſtudioſam & di-
k Apol.c.2 uinam ecſtaſim : de qua pulchre Bloſius ita, (k) *Quando* (*inquit Thaulerus*)
contingit aliquem in vera ordinataque deuotione ad altiora rapi, is durante huiuſmo-
di raptu, omnem exteriorum exercitiorum occupationem miſſam faciet, etiamſi talia
ſint, ad quæ complenda voto ſeſe obſtrinxerit. Nam quamlibet multa ac varia quis
Deo promiſerit, ſi vera dilectione ſuccenſus in Deum cum vniuerſis viribus ſuis in-
trahitur, rapitur, abſorbetur, & immergitur, eſt ab omnibus votis liber atque abſolu-
tus interim dum vera hæc deuotio & ecſtaſis in ipſo perdurat. Immo ſi huiuſmodi ec-
ſtaſis hebdomada vna, aut menſe vno, vel integro anno perſeueraret ; is, qui illam pa-
titur, toto eo ſpacio nullum tempus coram Deo negligit. Quando autem ſibi reſtitui-
tur, vota ſua exequatur ab eo tempore, quo plene compos ſui ipſius factus eſt. De præ-
terito tempore, & ijs omnibus, quæ interea neglexit, ad quæ præſtanda ſe obligatum
ſentit, docebit illum Deus, qui per ſeipſum omnia illa ſupplet, quandiu eum ad altiora
rapit. Minimum enim Dei opus omnes omnium creaturarum actiones longe præcel-
lit. Iſta vero de eruditis & copioſe illuminatis perfectis viris dicta ſunt, quos vnctio
docet de omnibus, non autem de externis atque immortificatis hominibus. Hæc ibi.
Certum habemus perfectiſſimos perficiſſe id quod Thaulerus ſcribit : Nam Beatus
Franciſcus legitur ita plerunque in Deum immerſus atque abſorptus fuiſſe, vt tota
nocte, totoque die prorſus loqui non poſſet : vnde & diſcipulo ſuo Fratri Leoni præcepe-
rat, ne ad ſe pro horarijs precibus legendis accedens, moleſtus ſibi eſſet, quando in talem
mentis exceſſum raptus erat. Et D. Henricus Harphius, vir Spiritus-ſancti vnctio-
ne eximie imbutus, in libris quos de myſtica Theologia ſcripſit, meminit cuiuſdam
Abbatiſſæ Claræ, Virginis ſanctiſſimæ, quæ cogitationes & affectiones ſuas omnes ad
Dei amorem conuertens, diuinos in ſe aſſidue recipiebat radios : dicitque hanc eorun-
dem radiorum influxu ita ſolitam fuiſſe ſurſum in diuinitatem trahi, vt vſum na-
turalium virium ſuarum amitteret. Hinc contigit eam aliquando in die Epiphaniæ
tam vigoroſe in Deum rapi, vt totis triginta diebus in ecſtaſi permaneret : nullam in-
terea rerum humanarum memoriam habens, nec cibum ſumens, nec quicquam corpo-

re

re ſuo ſentiens. Poſtea ad ſe reuerſa, vix poterat cor ſuum deorſum deducere, vt de rebus temporalibus, ſua cura commiſſis cogitaret. Huiuſmodi ecſtaſis dicitur eſſe diuina ex obiecto. Ex natura vero peculiari mitior ecſtaſis etiam dicitur eſſe diuina, quæ non omnes operationes inferioris vitæ tollit, ſed alterat ſolum, obſcurat, eneruat, aut immutat a communi conſuetudine mortalium; vnde vel Ariſtoteles non ſolum ecſtaticos homines dicit eſſe vaticinatores, adeoque diuinos inquiens, (*l*) *Et quod quidam, qui in exceſſu mentis* (ecſtatici, ſua lingua) *prauident, cauſa eſt, quoniam proprij motus non infeſtant, ſed longe proijciuntur; extraneos ergo maxime ſentiunt.* Verum etiam ecſtaticos alibi Deos appellat, aſſerens, (*m*) *Qui autem in communi ſocietate nequit eſſe: quique nullius indiget, propter ſufficientiam, nulla pars eſt ciuitatis: quare aut beſtia, aut Deus: natura igitur omnibus ad huiuſmodi ſocietatem eſt appetitus.* Nimirum homo viuens hanc vitam mortalem, & euitans aliorum hominum ſocietatem, ab Ariſtotele dicitur aut beſtia, aut Deus hoc eſt homo diuinus: beſtia, ideſt homo brutalis, atque ferinus, abſque recto rationis vſu, ſi fatuus fuerit, vt apud Suidam Timon Athenienſis, & apud (*n*) Plutarchum Antonius, & apud (*o*) Danielem Nabuchodonoſor: Deus, hoc eſt diuinus, ſi fuerit ſapiens, ac eligens ipſe ſibi vitam contemplatiuam in ſolitudine, vt Democritus, & Porphyrius, de quibus infra, & apud (*p*) Philonem plurimi, *qui amantes ſolitudinem, non hominum odio, ſed ad cauendos congreſſus cum diſſimilibus quos ſciunt moribus bonis officere*, vitæque contemplatiuæ. Vereque Theoria, quæ contemplatio eſt, ſpeciatim dicitur diuinarum rerum meditatio (*q*) Philoni, Suidæ, (*r*) Ciceroni, Budæo, (*ſ*) Senecæ, quin & Ariſtoteli, cui rationalis animæ partes, Voluntas, & Mens, earumque functiones, atque potiſſimum ſpeculationes, dicuntur diuinæ maxime, necnon homines contemplatiuam vitam agentes appellantur diuini, Deoque coniunctiſſimi; ſiquidem agens de felicitate contemplatiua ſcribit, (*t*) *Si vero felicitas eſt ex virtute operatio: conſentaneum eſt eam ex illa eſſe, quæ præſtantiſſima eſt: hæc autem eius erit, quod eſt optimum. Siue igitur id intellectus ſit, ſiue aliud quippiam, quod ſane ſecundum naturam videtur principatum obtinere, & præſidere, notionemque habere de honeſtis & diuinis rebus: ſiue diuinum quoddam & ipſum ſit, ſiue ex ijs quæ in nobis ſunt, diuiniſſimum: huius ſecundum propriam virtutem operatio perfecta felicitas eſſet; quam eſſe contemplationem, dictum iam eſt.* & mox, *Si igitur intellectus diuinum quid eſt, ſi ad hominem reſpiciamus; ſic vita, quæ ex intellectu traducitur, ſi humanæ vitæ* (hoc eſt ciuili; nam homo politicum animal, & (*u*) ciuile, (*x*) ſociabileque dicitur ab Ariſtotele) *diuina & ipſa eſt.* & infra, (*y*) *Perfectam felicitatem contemplatiuam quandam operationem eſſe, conſtare vel inde poſſet, quod Deos maxime beatos, & felices exiſtimamus.* & mox, *Quare Dei operatio, quum beatitudine excellat, contemplatiua erit: & ex humanis ea erit feliciſſima, quæ huic maxime cognata. Argumento illud eſt, quod cetera animalia, quæ tali operatione penitus carent, expertia felicitatis quoque ſunt. Dijs enim beata tota vita eſt; hominibus autem eatenus, quatenus ſimilitudo quædam eiuſmodi operationis in ipſis ineſt: at ceterorum animalium nullum eſt felix, proptereaquod contemplationis particeps nullo modo eſt. Quouſque igitur protenditur contemplatio, eouſque etiam felicitas ſeſe extendit.* Et paulo poſt: *At qui ex intellectu operatur, huncque exco-*

l de diuin. p ſom. c. 2.

m 1. polit. c. 2.

n in Antonio.

o cap. 4.

p de vita cõtemplat.

q ibid.

r 1. & 2. de nat. Deo. 14. ad Att.

ſ de ot. ſap.

t 10. eth. c. 7.

u 1. ethi. 7.

x 1. polit. 2

y 10. eth. c. 8.

lit, atque optime aſſicit, is eſſe Deo chariſſimus videtur; nam ſi aliquam humanarum rerum curam Dij habent; conſentaneum eſt ipſos re illa, quæ optima eſt, atque ipſis maxime cognata (ſyngeneſtato) *delectari, qui eſt intellectus: eosque, qui eum maxime amant, & honorant, remunerari: vt pote qui eorum, quæ ipſis ſunt amica, curam habeant, recteque & honeſte agant. Hæc autem omnia ſapienti maxime ineſſe, obſcurum non eſt: is igitur eſt Deo chariſſimus: eundemque eſſe etiam felicem veriſimile eſt. Quare et ſ quoque efficitur, vt ſapiens maxime fœlix ſit*; adeoque maxime diuinus per ſimilitudinem, ſicuti vita contemplatiua diuina eſt, Ariſtotele doctore, in Deo quidem, per eſſentiam; in homine vero, per ſimilitudinem, & participationem. Quin & alibi conſtituit Ariſtoteles, (z) *hominis naturam atque ſubſtantiam*, mentem ſcilicet, *eſſe diuinam; quia officium diuini eſt intelligere atque ſapere: quod non facile eſſet, ſi vaſta corporis moles aſſideret; pondus enim tardiorem reddit & mentem & ſenſum communem*. Dum autem Hippocrates iubet obſeruandum, ſi diuinum quippiam in morbis ineſt, non abſolute tractat de diuino per eſſentiam, ſed maxime de diuino per participationem, & ſimilitudinem; cuiuſmodi proculdubio eſt ecſtaſis illa ſtudioſa vitaque contemplatiua, conſimilis in multis ecſtaſi morboſæ. Quas quidem diuerſi generis ecſtaſes Abderitani diſcernere neſcientes, opinabantur Democritum, qui ſtudioſa quadam ecſtaſi mirifice rapiebatur in contemplationem rerum philoſophicarum, cetera negligens & irridens, ecſtaſi laborare morboſa, quæ foret inſaniæ ſpecies; ad quam curandam Hippocratem accerſiuerunt. Ecſtaſis autem iſta ſtudioſa eſt mentis humanæ conſtitutio ſupra ſenſus, & appetitiones omnes rerum caducarum; & animi quædam eleuatio per vehementem affectum erga ſupera, cæleſtia ſcilicet, atque diuina, vel etiam per intenſam & aſſiduam contemplationem. De qua quidem ecſtaſi luculenter agit Philo, deſcribens vitam contemplatiuam ſuorum ſectariorum in Aegypti ſolitudinibus commorantium, atque ſpeciatim hiſce verbis, (a) *At illud hominum genus therapeuticum ſemper in contemplatione diuinitatis proficiet, etiam Sole hoc ſenſibili præterito, nec vnquam ſuum ordinem deſeret, tendentem ad felicitatem perfectiſſimam. Huic vitæ inſtituto qui ſe addicunt, non ex more, aut rogati id faciunt; ſed amore correpti rerum cæleſtium, & quaſi furore diuino perciti, donec ad contemplationem illam deſideratiſſimam perueniant. Deinde præ immortalis beatæque vitæ cupidine, quaſi iam hac mortali defuncti, facultates ſuas relinquunt liberis, aut cognatis, vltro eis poſſeſſiones cedentes, atque etiam ſocijs, & amicis, ſi cognati deſint. Oportet enim, vt qui perſpicaces diuitias adeptus eſt, cæcas illas relinquat mentibus cæcutientibus. Anaxagoram, & Democritum celebrant Græci, quod præ amore philoſophiæ prædia ſua pecori compaſcua reliquerint. probo hos viros contemptores pecuniæ*. Ioſephus hiſtoricus (b) affert ex Clearchi diſcipuli volumine de ſomno (c) *Ariſtotelem doctorem ſuum de quodam viro Iudæo ita referre, & ipſi Ariſtoteli eundem ſermonem attribuit, quod ita conſcriptum eſt. Sed alia quidem longum eſt dicere: quæ vero habere potuerant illius admirationem quandam atque philoſophiam, ea duco operæ pretium referre. Et Hyperochides vehementer, inquit, audire deſideramus Vniuerſi: igitur ſecundum præcepta, Ariſtoteles inquit, rhetoricæ eius genus primo indicabimus, ne reluctemur doctoribus præceptorum. Dic, inquit Hyperochides, ita ſi placet: tum ille: genere igitur Iudæus erat, e Celeſyria;*

z 4. de part. c. 10.

a lib. de vita contempl.

b 1. adu. Apion.

c lib. 1.

qui

qui ſunt e propagine Philoſophorum Indorum: vocanturque, vt aiunt, Philoſophi ,,
apud Indos Calani, apud Syros autem Iudæi, nomen accipientes a loco; locus enim ,,
vbi habitant, appellatur Iudæa: nomen vero eorum ciuitatis valde difficile eſt: vo- ,,
cant enim eam nomine Hieruſalem. Is igitur homo multos hoſpitio recipiens, & de ,,
ſuperioribus ad maritima deſcendens, grauiſſimus erat non ſolum eloquio, ſed etiam ,,
animo: & tunc nobis degentibus apud Aſiam, quum diuinus homo veniſſet ad ea lo- ,,
ca, conſabulari cœpit nobiſcum, & cum alijs ſcholaſticis, eorum ſapientiam tentans: ,,
Quumque multi eruditorum congregarentur, tradebat potius aliquid eorum, quæ ,,
habebat. Hæc ait Ariſtoteles apud Clearchum: & ſuper hæc multam ac mirabilem continentiam Iudæi viri in cibis, & caſtitatem narrat. Licet autem volentibus hæc ex illius lectione cognoſcere: ego enim refugio pluſquam decet inſerere. Sic Ioſephus, ex quo conſtat Ariſtotelem appellare diuinum hominem, Iudæum virum vita contemplatiua celebrem, etſi non ecſtaticum impenſe. Ceterum & contemplatiuos deſcribit ecſtaticos Ariſtoteles alibi dicens, (*c*) *Qui vni-* *c* 1. poſt.
uerſale ſpeculantur, multotiens nonnulla ſingularium neſciunt, quia non aduer- anal. t. 30.
tunt. Sunt autem hæc, quæcunque quum alterum quid ſint ſecundum ſubſtan- 101.
tiam, vtuntur formis; diſciplinæ nanque circa formas ſunt. Vnde Plato, qui
circa diſciplinas mathematicas, & circa (*d*) vniuerſalia maxime verſabatur, *d* 1. de gen.
& circa (*e*) formas, vt obſeruat Ariſtoteles, diuini cognomentum adeptus t. 7.
eſt. Verum & alibi Stagirites (*f*) contemplationi diuinitatis titulum at- *e* 1. eth. c. 6.
tribuit, ab Hippocrate doctus, qui Democritum ſcribentem, altaque medi- *f* 1. eude.
tatione ſpeculantem de rerum abditiſſimarum natura, præ contemplatione c. 2.
ciuilia negotia cuncta, curasque familiares omnes negligentem, & irridentem, quaſi mente abalienatum, ait ecſtaticum fuiſſe, non quidem ecſtaſi morboſa, ſicut opinabantur Abderitæ, ſed plane diuina, ſicut ipſemet Cous exi-
ſtimabat, dum ad Philopœmenen reſpondens inſit, (*g*) *Legati, qui Vrbis epiſto-* *g* epiſt. 1.
lam mihi reddiderunt, etiam tuam tradiderunt. Et valde gauiſus ſum & hoſpitium, & reliquum victum te promittente. Veniemus autem bona fortuna, & meliore ſpe, velut arbitramur, accedemus, prout in litteris eſt declaratum; quum non inſaniam, ſed quandam excellentem mentis ſanitatem (ecſtaſim nempe ſtudioſam altæ ſpeculationis) *vir ille declaret, dum neque liberorum, neque vxoris, neque cognatorum, neque rei familiaris, neque omnino alicuius curam gerit: ſed & diu, & noctu apud ſeipſum conſiſtit, & priuatim vitam degit, plerumque in antris & ſolitudinibus, aut ſub arborum vmbris, aut in mollibus herbis, aut apud frequentia aquarum fluenta. Contingunt igitur talia plerumque atra bile percitis: taciturni enim aliquando ſunt, ſolitarij, ac deſerti amantes, & rerum familiarium conſpectum auerſantur, alienum putantes.* (ſimilia his, quæ patiuntur inſani, poſſe contingere ſapientibus viris ecſtaſi ſtudioſa, diuinave raptis ad altiorem contemplationem, illico monet Hippocrates, addens:) *Nec vero diſſimile vero eſt, etiam his, qui circa diſciplinas verſantur, ab vna erga ſapientiam affectione, alias curas excluſas eſſe. Quemadmodum enim famuli ac ancillæ in domibus tumultuantes, & ſeditionem agentes, vbi de repente ipſis hera comparuit, conſternati conquieſcunt: ſic etiam reliquæ in anima cupiditates malorum ſunt hominibus miniſtræ: poſtquam autem ſapientiæ conſpectus ſeipſum ingeſſerit, reliquæ affectiones velut famulæ diſce-*
dunt. (Quo exemplo fere vſus eſt etiam Hippocrates agens De (*h*) Somnijs:) *h* init.

Non

Digitized by Google

Non autem omnino inſani antra, & quietem expetunt; ſed etiam hi, qui humana negotia contemnunt, ob tranquillitatis cupiditatem. Quum enim mens ab externis curis vexata corpus reficere voluerit, tunc cito ipſum quieti tradit: deinde recta exurgens, circumcirca veritatis regionem colluſtrat, in qua non eſt pater, non mater, non vxor, non liberi, non frater, non cognati, non famuli, non fortuna, non omnino quicquam ex his, quæ tumultum inducunt. Omnia autem perturbantia excluſa ſtant præ reuerentia eorum, quæ iſthic habitant. Habitant autem illam regionem & artes, & virtutes omnis generis, & Dei, & Dæmones, & Senatus, & conſilia. Et magnus polus in illa regione ſtellis multum mobilibus coronatus eſt: in quam fortaſſis etiam Democritus præ ſapientia tranſmigrauit: Deinde quum non videat amplius eos, qui ſunt in vrbe, vt pote procul profectus, inſania morbo laborare putatur, propter ſolitudinis amorem. Student autem Abderitæ argenti amorem & ſtudium detegere, & in ſe manifeſtum facere, eo quod Democritum nõ intelligunt. Et reuera demonſtrant id hac epiſtola per Legatos publicos Abderis tranſmiſſa Co, *Senatus Populusque Abderitarum Hippocrati gaudium.*

" *Nunc maxime Vrbi noſtræ in periculo*
" *verſatur vir noſter, o Hippocrates, qui & præſentis tempore & futuro ſemper gloria*
" *Vrbi ſperabatur. Neque nunc, o vos Dei omnes, nobis inuideatur: hic præ multa,*
" *quæ detinet ipſum ſapientia, ægrotat: vt timor non vulgaris ſit, ſi Democritus mente*
" *motus fuerit, reuera Vrbem noſtram Abderitarum peſſum ituram eſſe. Etenim oblitus omnium, & primum ſuipſius, vigilans & noctu & interdiu, & ſingula parua ac*
" *magna deridens, & totam vitam nihil eſſe putans, vitam tranſigit. Ducit aliquis*
" *vxorem, alius mercaturam exercet, alius concionatur, alius imperat, alius legatum*
" *agit, eligitur, abrogatur, ægrotat, vulneratur, moritur: at hic videt omnia, dum alios*
" *mæſtos ac triſtes, alios gaudentes videt. Quin & de his, quæ apud inferos ſunt, hic*
" *vir perſcrutatur, & hæc ſcribit: & idolis aerem plenum eſſe dicit: & volucrum voces*
" *intentis auribus explorat: & ſæpe noctu exurgens, ſolus cantilenas ſenſim canenti ſimilis eſt: & ſe aliquando in rerum immenſitatem proficiſci dixit: & Democritos eſſe*
" *ſimiles ſibiipſi innumerabiles: & corpus vna cum mente corrumpens viuit. Hæc*
" *timemus, o Hippocrates, ob hæc perturbati ſumus. Quapropter nos ſerua, & patriæ*
" *noſtræ conſulturus cito adſis: neque nos contempſeris: nam neque ita viles ſumus: &*
" *in nobis teſtimonium ſitum eſt. Ob ipſum enim conſeruatum, & gloriam, & pecunias, & doctrinæ famam conſequeris: quanquam doctrinæ ratio multo potior apud te*
" *eſt, quam fortunæ: attamen & huius bona multa & luculenta tibi a nobis obuenient.*
" *Etenim anima Democriti gratia, etiam ſi vrbs aurum eſſet, non noſtra voluntate*
" *reſponderet, aut quacunque tandem re illi carendum eſſet. Leges noſtras putamus*
" *ægrotare, o Hippocrates, leges præuaricari. Adſis, optime vir, curaturus virum inſignem. Non Medicus, ſed conditor, ſacratiorem tota Ionia murum nobis circumdabis: Ciuitatem, non virum curabis: & Senatum ægrotantem, & ne claudatur periclitantem, aperies. Ipſe legiſlator, ipſe iudex, ipſe princeps, ipſe ſeruator, & horum artifex aduenies. Ob hæc te expectamus, o Hippocrates, atque hæc etiam fient, vbi veneris. Vna ciuitas non ignobilis, immo tota Græcia rogat te, ſerua corpus ſapientis.*
" *Quin potius ipſam apud te legationem agere puta doctrinam, ab hac præuaricatione*
" *liberari ſupplicantem. Cognata equidem res eſt omnibus, velut apparet, ſapientia.*
" *Verum his, qui propius ipſam complexi ſunt, velut nobis, etiam longe amplius. Et, ſicut probe noſti, gratificaberis etiam futuro ſeculo, ſi non deſtitueris Democritum pro-*

pter

Digitized by Google

pter veritatem, cuius primas ſe laturum eſſe ſperat. Tu enim & genere, & arte con- „
iunctus es Aeſculapio: Hic vero Herculis eſt ex fratre nepos: A quo eſt & Abde- „
rus, quemadmodum omnino audiuiſti, cuius cognomen Vrbs noſtra refert. Quare „
etiam illi grata fuerit Democriti ſanatio. Quum igitur videas, o Hippocrates, & po- „
pulum, & virum inſignem ad ſtupiditatem diffluentem: feſtina, rogamus, ad nos. „
Heu, vt etiam bona redundantia morbi exiſtunt! Quantum enim Democritus ad „
ſummam ſapientiam generoſe peruenit, tantum nunc pariter periclitatur, ne mentis „
ſtupore ac ſtoliditate affligatur. At reliquum vulgus Abderitarum, quod manſit „
abſque eruditione, communem ſane ſenſum habet: Immo nunc prudentiores ſunt „
ad ſapientis morbum iudicandum, qui prius deſipuerunt. Adſis igitur cum Aeſcu- „
lapio patre: adſis cum Herculis filia Epione: adſis cum Aeſculapij filijs, qui ad „
Ilium militarunt: Adſis huc Paonias afferens morbi medelas. Nunc terra radici- „
bus, & herbis, & auxiliaribus floribus, inſaniaque medicamentis fecunda eſt: Fer- „
me igitur nunquam fertilius producent, neque terra, neque montium cacumina, „
quam nunc proferunt ea qua pertinent ad Democriti ſanitatem. Vale. Sic igitur Hippocrates accerſitus ad curandum Democritum, quem ciues inſaniæ morbo laborare putabant, eo quod affines, ciues, domeſticos, & omnia fortunæ bona deſpiciens, omnes mortalium actiones deridens, in ſolitudine fere degebat, animalium diſſectioni vacans, contemplationique, modo taciturnus, modo ridens effectus inſaniæ, de qua tum meditabatur, inſanientium mores imitari, & habere vulgo iudicabatur: Hippocrates inquam optime conſiderauit, atque coniecit, in Democrito vere morbum non eſſe, ſed ecſtaſim quandam ſtudioſam & diuinam, qua perbelle deſcripta per Deorum, & Dæmonum, & artium, & conſiliorum, & diſciplinarum omnium regionem, procul a communi mortalium habitatione, ceteris omnibus valere iuſſis, contemptui atque deriſui prorſus habitis, vni Diæ Veritati contemplandæ colendæque totum ſe dedit Democritus vir omnium eo tempore ſapientiſſimus. Quod Hippocrates aperte monet, aſſerens Democritum præ ſapientia procul ab vrbe ſua profectum, animo nimirum, non corpore, tunc habitare contemplationis & Veritatis admirabilem regionem longinquam, in qua non cognati, non affines vlli, ſed virtutes omnes, & artes, Dei, Dæmones, conſilia, & Senatus habitant; in vita ſiquidem contemplatiua ſingulas & omnes eiuſcemodi res haberi ſcimus. Quam ſententiam clare confirmat Hippocrates inquiens, Abderitas falſo putare Democritum inſaniæ morbo detineri: Sed & euidentius poſtea Damageto referens ea, quæ cum Democrito loquens obſeruauit, inquiens (neque pigeat pulcherrimam epiſtolam totam relegere) *Hippocrates Damageto gaudium. Hoc erat illud, Damagete, quod coniectabamus: Non inſanit Democritus, ſed ſuper omnia ſapit, & nos ſapientiores effecit, & per nos omnes homines. Remiſi autem tibi, amice, reuera Aeſculapeam nauem: cui cum Solis ſigno, etiam ſanitatis inſigne appoſito: Nam reuera ſecundo numine vela fecit; & illa die in Abderam nauigauit, qua ſcripſeram ipſis me peruenturum eſſe. Omnes igitur ante portas congregatos inuenimus, nos velut verisſimile eſt, expectantes, non viros ſolum, ſed etiam mulieres: inſuperque ſenes & pueros, per Deos triſtes, itemque infantes. Atque hi quidem ſic habebant, velut ob Democritum inſanientem. Ille vero ſincere tunc in philoſophando excellebat. Poſtquam autem*

me

Digitized by Google

me vidiſſent, viſi ſunt mihi paululum ad ſeipſos rediiſſe, & bonas ſpes oſtentabant. At Philopœmen me ad hoſpitium ducere geſtiebat, & hoc ab illis comprobabatur. Ego vero: O viri Abderitæ, inquam, nullum mihi maius operæ pretium eſt, quam Democritum videre: Illi vero hoc audito, collaudarunt, & gauiſi ſunt, & compendio duxerunt me per forum, partim ſequentes, partim præcurrentes, alij ab vtraque parte: Seruia, clamantes, auxiliare, medicare. Et ego adhortabar ipſos vt confiderent, tanquam fortaſſis nihil eſſet mali: aut, ſi quid eſſet, modicum id eſſet, & correctu facile, confiſus horis anni Eteſijs. Et ſimul hæc dicens ibam. Neque enim procul erant ædes: immo neque tota ciuitas. Aderamus igitur; propinqua enim muro erant; & me placide deducunt. At retro turrim collis erat altus, longis ac denſis populis nigris, vmbroſus, vnde Democriti habitacula conſpiciebantur. Et ipſe Democritus ſub ampla ac humillima platano ſedebat, in veſte craſſa citra humeros deſinente, ſolus, diſcalceatus, ſuper lapidea ſede, valde pallidus ac macilentus, promiſſa barba. Iuxta ipſum vero a dextra, tenuis aqua per decliuem collem decurrens leniter reſonabat. Erat autem delubrum quoddam ſuper illum collem, quantum equidem coniectura aſſequor, Nymphis dicatum, ſponte enatis vitibus circundatum. Ipſe vero cum multo ornatu ſuper genibus librum habebat. Sed & alij quidam ex vtraque parte adiacebant. Accumulata erant etiam animalia multa per totum reſecta. Et ipſe aliquando concitate incumbens ſcribebat, aliquando quieſcebat, diu multumque ſe continens, & in ſeipſo meditans. Deinde non longe poſt, his peractis, exurgens deambulabat, & viſcera animalium inſpiciebat: & depoſitis ipſis digreſſus, rurſus deſidebat. At Abderitæ circunſtantes me triſtes, & non procul a lacrymantibus oculos habentes: Vides, inquiunt, Hippocrates, Democriti vitam, qui inſanit, & neque quod vult nouit, neque quod facit. Et quidam ex ipſis adhuc amplius oſtendere volens ipſius inſaniam, alta voce plorauit inſtar mulieris ob filij mortem lamentantis: deinde rurſus cum gemitu eiulauit, perſonam agens viatoris, qui aliquid ex his, quæ portabat, amiſit. Verum Democritus quum hæc audiſſet, partim ridebat, partim cachinnis explodebat, & nihil amplius ſcribebat, caput autem frequenter concutiebat. Ego vero, vos, inquam, o Abderitæ, hic manete: ipſe vero vbi & verbis & corpori viri propior factus fuero, videroque ac audiero, cognoſcam affectionis veritatem. Et hæc locutus, placide deſcendebam: erat autem locus ille aſper ac decliuis: Itaque vix me ſuffulciens penetraui. Quum autem appropinquaſſem, incidi in ipſum neſcioquid, quaſi ex numinis afflatu, & cum concitatione ſcribentem (ſiue, vt verit Foeſius, *forte in eum incidi, quum ſane quid diuino furore actus, & concitatus,* enthuſiodos, *ſcriberet.* (Ecce veram ecſtaſim ſtudioſam viri ſapientis.) *Stabam igitur iſthuc expectans tempus quietis ipſius: Ipſe vero paulo poſt intermiſſo ſcribendi impetu, & ſtylo ſcriptorio depoſito, reſpexit ad me accedentem* (Ecce quomodo clare fatetur Hippocrates, in morbo Democriti ſecundum opinionem Abderitarum, ſe diuinum quid, ecſtaſim nimirum viri ſapientis, in alta meditatione veritatis abditioris conſtitui, comperiſſe; de quo diuino ſuſpicionem prius habuerat.) *&; Salue, inquit, hoſpes. Et ego: Plurimum & tu, inquam, Democrite vir ſapientiſſime. At ille, verecundans arbitror, quod non nomine me compellaſſet: Te autem, inquit, quo nomine vocabimus? ignorantia enim tui nominis cauſa erat, cur te hoſpitem appellarem. Hippocrates, inquam, Medicus eſt mihi nomen. Is vero: Aſclepiadarum, inquit, nobilitas, & magna ſapientia tua in re medica gloria multum celebris, etiam ad nos peruenit.*

Quid

Quid autem negotij, o amice, telæ pertuxit? immo potius ſupra omnibus conſide: Vides autem quod hæc ſedes folijs inſtrata non eſt iniucunda, viridis adhuc ac mollis, & ad inſidendum lenior inuidioſis fortunæ ſcilis. Quum autem conſediſſem, rurſus inquit: Priuatum ne, aut publicum negotium agens huc perueniſti? Dic aperte; nam nos quantum poterimus, adiuuabimus. Et ego: Quæ vera cauſa eſt, inquam, tui gratia huc venio, vt ſapientem virum conueniam. Habet autem cauſam patria, cuius legatum ago: Ille vero: Hoſpitio itaque, inquit, primum vtere noſtro. Ego vero per omnia virum pertentans, etiamſi iam mihi manifeſtum eſſet, ipſum non inſanire: Philopæmenen, inquam, noſti ciuem veſtrum? Etiam, inquit valde: Damonis filium dicis, qui habitat apud Hermaidem fontem? Hunc ipſum, inquam, cuius ego ſum ex patribus peculiaris amicus. At tu, Democrite, potiore me hoſpitio excipe: & primum ſane quid ſit hoc, quod hic ſcribis, dicito. Ille vero vbi paululum ſe continuiſſet: De Inſania, inquit. Et ego: O Rex Iupiter, inquam, Oportune profecto ſcribis contra ciuitatem. At ille: Qualem inquit, ciuitatem Hippocrates? Ego vero: Nihil inquam, o Democrite, ſed haud ſcio quomodo hoc verbum mihi excidit. Verum quid de inſania ſcribis? Quid enim, inquit, aliud, quam quid ſit, & quomodo in hominibus generetur, & quomodo alleuetur. Nam animalia hæc, quæ vides inquit, huius gratia reſeco; non quod odio habeam opera Dei, ſed bilis naturam ac ſedem quærens. Noſti enim, quæ hæc furoris hominum cauſa eſt, vbi nimium redundarit. In omnibus equidem a natura ineſt, ſed in quibuſdam minus, in quibuſdam amplius. At immodeſtia ipſius morbi ſunt, ipſa velut materia, aliquando bona, aliquando mala ſubiacente. Et ego, per Iouem, inquam, o Democrite, vere hæc & ſapienter dicis: Quare beatum te iudico, qui tanta quiete frueris (ecce diuinum fatetur Hippocrates contemplationi vacantem) *Nobis autem huius participes eſſe non permiſſum eſt. Cur, o Hippocrates, permiſſum non eſt? Quoniam, inquam, aut agri, aut res domeſtica, aut liberi, aut vſura, aut morbi, aut mortes, aut famuli, aut nuptiæ, aut huiuſmodi quædam oportunitatem nobis commodam eripiunt. Hic ſane vir ille ad ſolitam affectionem delatus eſt, & valde effuſe riſit, ac cachinnatus eſt. Et de cetero quieſcebat. Et ego: quid vere, inquam, Democrite rides? vtrum bona, quæ dixi, aut mala? Ille vero adhuc magis ridebat. At vero, inquam, ſapientum optime Democrite, cupio cauſam huius tuæ affectionis cognoſcere: quo riſu ego tibi dignus viſus ſum, aut ea quæ dixi: quo hoc cognito, a cauſa deſiſtam, aut tu reprehenſus, intempeſtiuos riſus coerceas. Ille vero: O Hercules, inquit, ſi me reprehendere potes, curationem perficies, qualem nullam vnquam, o Hippocrates. Et quomodo non reprehendaris, o optime? Aut non abſurdum te eſſe putas, dum rides hominis mortem, aut morbum, aut mentis emotionem, aut inſaniam, aut atram bilem, aut cædem, aut aliud quid peius? aut viceuerſa nuptias, aut feſtiuitates, aut liberorum procreationem, aut myſteria, aut magiſtratus, aut honores, aut aliud quid omnino boni? Nam quorum miſereri oportet, ea tu derides; & ob quæ lætari conueniebat, ea itidem derides: adeo vt neque bonum, neque malum apud te ſit diſcretum. At ille: Hæc quidem, inquit, recte dicis o Hippocrates: ſed non noſti riſus noſtri cauſam; Vbi vero cognoueris: ſatis ſcio quod meum riſum meliorem legatione medelam ac curationem, tuæ patriæ ac tibi ipſi auferes, & alios prudentes facere poteris. Et per hoc fortaſſis me viciſſim medicinam docebis, vbi cognoueris quanto ſtudio circa res nullo ſtudio dignas verſantes, & ea quæ nullius pretij ſunt facere conantes, omnes homines vitam conſumunt,*

Digitized by Google

riſu digna tractantes. Ego vero, dic, inquam per Deos, nunquid vniuerſus mundus ægrotare ſe non animaduertit? & non habet quo legationem dimittat ad ſui curationem? Quid enim extra ipſum eſſe poterit? Ille vero excipiens: Multæ, inquit, ſunt mundorum infinitates: & nequaquam, o amice, diuitem naturam maligne extenues. At hæc quidem, inquam, Democrite ſuo tempore docebis. Vereor enim ne forte dum infinitatem recenſes, ridere incipias. Scias autem nunc, de tuo riſu, rationem vitæ te reddere debere. Ille autem me torue intuitus: Duas, inquit, riſus mei cauſas eſſe putas, bona & mala. Ego autem vnum hominem video, dementia quidem plenum rectis autem actionibus vacuum, in omnibus conſilijs pueriliter ac ſtulte ſe gerentem, & nullius vtilitatis gratia labores nunquam abſoluendos tolerantem, fines terræ & infinitos receſſus ex immodicis cupiditatibus penetrantem, argentum & aurum quærentem, & nunquam ab his acquirendis interquieſcentem: ſed ſemper circa plura adipiſcenda tumultuantem, quo ipſe inferior non ſit, & neque pudefiat, ſi non felix appelletur. Rideo item ipſum eo quod hiatum terræ effodit, manibus eorum perquirens, qui partim a laxa irruente terra oppreſſi ſunt, partim diutiſſime in hac neceſſitate detenti, in ſupplicio velut in patria permanent, argentum & aurum inquirentes: veſtigia pulueris ac ramenta perſcrutantes, arenam aliam aliunde eruentes, & terræ venas excindentes, ad opulentiam ſemper glebas conſtantes, ex matre terra hoſtilem terram, quum tamen eadem ſit, facientes, & hanc admirantes pedibus calcant. Quanto vero riſu dignum eſt, quod ærumnoſam & occultam terram amant, manifeſtum contumelia afficientes? Alij vero canes emunt, alij equos, alij multam regionem circunſcribentes, propriam ſibi inſcribunt: & multis imperare volentes, neque ſibi ipſis imperare poſſunt. Vxores ducunt, quas paulo poſt eijciunt; amant, deinde odio habent. Cum magna cupiditate liberos generant, deinde adultos eijciunt. Quæ eſt illa vana ac abſurda diligentia, nihil ab inſania differens? Bellum inteſtinum gerunt, quietem non amplectentes. Reges alios deponunt, alios ſurrogant: occidunt homines, terram fodientes, argentum quærunt: argento reperto, terram emere volunt. Empta terra, fructus vendunt: fructibus diuenditis, rurſus argentum accipiunt: in quot mutationibus verſantur? in quanta malitia? dum opes non habent, opes expetunt: dum habent, occultant, diſſipant. Rideo, dum improbe agentes video: intendo riſum, dum infeliciter agentes cerno. Veritatis enim Leges tranſgrediuntur: contentionis ſtudio hoſtilem inter ſe litem habent, & cum fratribus, & parentibus, & ciuitatibus: atque ad hæc, pro eiuſmodi opibus, quarum nemo, vbi mortuus eſt, dominus eſt, ſe mutuo occidunt. Illicitam vitam degentes, amicorum ac patriæ penuriam contemnunt. Res indignas & inanimatas diuitiarum loco habent; pro vniuerſa opulentia ſtatuas emunt, quoniam effigies ita expreſſa eſt, vt loqui videatur: eos vero, qui vere loquuntur, odio habent. Res inſuper non faciles expetunt; nam continentem habitantes, mare cupiunt: & rurſus quum in inſulis ſunt, continentem deſiderant, & omnia peruertunt ad propriam cupiditatem. Et in bello quidem fortitudinem laudare videntur: vincuntur autem quotidie a petulantia, ab auaritia: ex omnibus affectionibus ægrotant. Therſitæ vero vita omnes ſunt. Cur vero meum riſum reprehendiſti o Hippocrates? Non enim quiſpiam ſuam ipſius dementiam, ſed alius alterius deridet: hi quidem ebrios, quum ipſi ſibi ſobrij eſſe videantur: alij vero amantes, quum ipſi grauiore morbo laborent: alij nauigantes: alij eos, qui circa agriculturam occupati ſunt; Non enim concordant neque artibus, neque operibus. Ego vero? Hæc quidem,

dem,

Digitized by Google

dem, inquam, vera ſunt Democrite: neque alius aliquis conuenientior ſermo eſſe poterit, ad mortalium miſeriam declarandam: verum ipſa res ſanciunt neceſſitatem, & domeſtica diſpenſationis, & nauium fabricationis gratia, reliqua item vita, in qua neceſſe eſt hominem eſſe; Non enim ad otium natura ipſum genuit. Ex his autem rurſus ambitio effuſa, multorum recte ſentientium animam decepit, qui omnia quidem recte ac ſerio agere ſtudent, veluti re certa ac ſtabili futura. Non autem ita validi ſunt, vt obſcuritatem prauidere poſſint. Nec enim timet quis o Democrite, vxorem ducens, ſeparationem aut mortem: aut quiſpiam liberos educans, ipſorum interitum: immo neque in agricultura, & nauigatione, & regno, & magiſtratu, & omnibus quæ ſunt in vita, vllus vnquam de errore præſumpſit; ſed vnusquiſque horum bona ſpe alitur: deteriorum vero ne meminit quidem: nunquid igitur riſus tuus his minime conuenit? At Democritus; Valde, inquit, tardo ingenio præditus es, & longe a ſententia mea abes, o Hippocrates, qui tranquillitatis & perturbationis modum non conſideras præ ignorantia. Si enim hæc ipſa prudenti mente diſponerent: & ipſi facile liberarentur, & meum riſum leuarent. Nunc autem, velut rebus in vita firmis, dementes illi ſuperbiunt, ob ratiocinationis expertem mentem, inordinatum impetum ſuum ægre diſcentes. Sufficiens enim admonitio ipſis eſſet, Omnium rerum viciſſitudo, quæ ſubitis mutationibus irruit, & derepente omnigenam circunrotationem inducit. At ipſi, velut hæc firma ſit ac ſtabilis, obliti affectionum aſſidue incidentium, aliter alias ea, quæ triſtitiam inferunt, cupientes: & quæ non conferunt, quærentes, multis calamitatibus inuoluuntur. Si vero quis iuxta propriam facultatem omnia facere cogitaret: ſtabilem ſane vitam cuſtodiret, ſeipſum cognoſcens, & ſui ipſius comparationem clare conſiderans, & non cupiditatis ſtudium in infinitum extendens: ſed opulentam naturam, & omnium nutricem, per ſufficientiam intuens. Quemadmodum autem in optimo corporis habitu, affectionum periculum manifeſtum eſt: ita ſucceſſum fortunæ magnitudo periculoſa eſt. Inſignes autem palam in infelicitatibus conſpiciuntur. Alij vero veluti proximorum facta non videntes, a proprijs malefactis pereunt, tam manifeſta, quam obſcura non prauidentes; quum longam vitam exemplum habeant eorum, quæ fiunt, & quæ non ſunt; ex quibus etiam futurum conſiderare oportebat. Hæc ſunt, quæ mihi riſus materiam præbent, o dementes homines, prauitatis pœnas pendentes, auaritiæ, inſatiabilitatis, inimicitiæ, inſidiarum, doli, inuidentiæ (difficile eſt enumerare multiplices malorum verſutias: ſunt enim infinitæ:) & in his doloſis verſutijs viciſſim conuerſantes & maligno ſentientes. At virtutis apud ipſos modus eſt, id quod deterius eſt. Mendacij enim ſtudium exercent, voluptatem conſectantur, legibus non obedientes. Quidam vero ex ipſis prauidentiam non hominibus eſſe negat, vt qui neque viſus, neque auditus participes ſunt: Solus autem ſenſus hominis recta intelligentia lucidus, & præſens & futurum prauidet. In omnibus diſplicentiam habent, & rurſus ad eadem accedunt: abnegata nauigatione nauigant: reiecta agricultura, rurſus agrum colunt: eiecta vxore, aliam inducunt: genitos ſibi liberos ſepeliunt: & his ſepultis, alios generant, ac rurſus educant. Senectam optant: ad ipſam autem peruenientes, gemunt, in nullo rerum ſtatum conſtantem mentem habentes. Principes ac Reges priuatum prædicant: priuatus autem regnum appetit. Qui Reipublicæ Magiſtratum gerit, artificem laudat, velut extra periculum conſtitutum: artifex autem illum, velut per omnia potentem. Rectam enim virtutis viam, puram & leuem ac inoffenſam, non vident, quam nemo ingredi

audet. Feruntur autem in contrariam, difficilem ac tortuoſam, per aſpera incedentes, laſſantes ac offendentes: plerique vero excidentes, anhelantes velut ſi qui perſequantur. Litigantes, modo poſteriores exiſtentes, modo præcedentes: Et quidam ipſorum petulanti alieni cubilis corrumpendi amore ardent, per imprudentiam inducti: alios auaritia morbus infinitus conſumit: alij mutuo inſidias ſtruunt: alij ab ambitionis ſtudio in aerem ſublati, per malitiæ grauitatem in profundum perniciei præcipites diſſeruntur. Quidam deſtruunt, deinde rurſus ædificant: largiuntur, deinde pœnitentia ducti, amicitiæ iura tollunt; malefici per inimicitiam cognationis iura bello impetentes. Et horum omnium cauſa eſt Auaritia. Quæ in re hi a pueris ludentibus differunt? apud quos conſilium quidem iudicio caret: quod vero ſe forte fortuna obtulit, id incundum eſt. At vero in deſiderijs quid brutis animantibus reliqui faciunt, quam quod intra ſufficientiam fera ipſa ſe continent? Quis enim leo aurum in terram occuluit? Quis taurus vberioris alimenti gratia depugnauit? Quam pardalim vnquam inſatiabilitas cepit? Sitit quidem aper, ſed vſque ad aquæ appetentiam. Lupus autem, deuorato neceſſario alimento oblato, quieſcit. Si dies ac noctes coniungat homo, non ſentit continuandi ſatietatem. Et annuorum quidem temporum ordo, terminus eſt brutorum ad coitum: at homo perpetuo inſano libidinis œſtro ſtimulatur. Quæſo te Hippocrates, non ridere debeo plorantem propter amorem, eo, quod commodo ſuo excluſus eſt? Maxime vero ſi quis periculorum contemptor ſit, & per præcipitia, aut pelagi profunditates feratur, riſum non extendam? Non ridebo autem eum, qui nauem multis mercibus onuſtam demerſit, deinde mari indignatur, quod ipſam plenam ſubmerſit? Ego quidem nequaquam mihi ridere videor. Vellem autem potius aliquid moleſti contra ipſos excogitare. At neque medicinam pro his eſſe oportebat, neque aliquem pæonia pharmaca præparantem: atque huius rei documentum præbet tibi tuus ille progenitor Aeſculapius, qui dum ſeruaret homines, fulmine ictus gratiam accepit. Non vides, quod & ego malitiæ pars ſum, dum inſaniæ cauſam inquirens, animalia macto ac reſeco? Oportebat autem ex hominibus cauſam perſcrutari. Non vides, quod etiam ipſe mundus odio in homines plenus eſt? Infinitas enim contra ipſum afflictiones accumulauit. Totus homo ex natiuitate morbus eſt: dum educatur, inutilis eſt, & alienum auxilium implorat: dum creſcit, proteruus, inſipiens, pædagogo opus habens: dum in vigore eſt, audax eſt: dum decreſcit, miſerabilis, vbi labores ſuos imprudenter recolit, ac iactat: ex maternis enim vteri inquinamentis talis prodijt. Et propterea alij indignatione ac immodica ira pleni, in calamitatibus ac pugnis verſantur: alij ſemper in adulterijs & corrumpendis puellis: alij in ebrietatibus: alij in rerum alienarum cupiditatibus: alij in ſuis prodigendis. Vtinam facultas eſſet nobis, vniuerſorum habitationes reuelare, & nullum rerum in ipſis velamentum dimittere, atque ita ea, quæ intus aguntur, videre: videremus vtique alios edentes, alios vomentes, alios ſupplicijs torquentes, alios pharmaca miſcentes, alios inſidias conſtruentes, alios ſupputantes, alios gaudentes, alios plorantes, alios amicos accuſantes, alios propter ambitionem amentes. Quanquam ſint quædam actiones profundiores, quæ in animo occultantur. Et ex his quidam ſunt iuuenes, quidam ſenes: petentes, negantes: pauperes, opulenti: fame preſſi, luxu grauati: ſordidi, vincti, alij delicijs diffluentes, famulitium magnum alentes: alij trucidantes, alij ſepelientes: alij ea quæ habent contemnentes, & ſperatis poſſeſſionibus inhiantes: alij imprudentes: alij parci: alij inexplebiles: alij occidentes: alij vapulantes: alij ſuperbientes: alij vana gloria elati. Et

ex

Digitized by Google

ex his aliqui apud equos ſpectatores conſiſtunt: aliqui apud viros, aut canes, aut lapides, aut ligna, aut æs, aut picturas. Et aliqui legationibus, aliqui militiæ, aliqui ſacerdotijs præſunt. Et alij coronas geſtant, aliqui armati ſunt, aliqui occiduntur. Singuli vero ex his feruntur, partim ad pugnam naualem, partim ad militiam, partim ad ruſticationem: alij ad onerarias naues, alij ad forum, alij ad concionem, alij ad theatrum, alij ad fugam, alij alio. Et rurſus, quidam ad voluptatem, deliciasque, ac intemperātiam: quidam ad otium ac ſocordiam. Quum igitur tot indignas ac infelices animas videamus: quomodo non vitam ipſarum eiuſmodi intemperantia præditam riſu exſibilarimus? Quin & valde timeo, neque medicinam tuam ipſis placere; Nam præ intemperantia omnia ipſis diſplicent, & inſaniam ſapientiam putant. Profecto ſuſpicor pleraque in ſcientia tua palam contumelia affici, aut propter inuidiam, aut propter ingratitudinem. Aegrotantes enim ſimul vt ſeruantur, cauſam Dijs, aut fortunæ attribuunt. Plerique vero ſua natura hoc adſcribentes, benefactorem odio habent, & parum abeſt vt indigne ferant, ſi debitores eſſe putentur. Sed & plerique artis ignorantiam in ſeipſis habentes, & imperiti exiſtentes, id quod melius eſt, purgant. Inter ſtupidos enim fiunt ſuffragia, & neque ægroti atteſtari volunt, neque eiuſdem artis artifices teſtimonium præbere: Inuidia enim obſtat. Non autem inexpertus es tu talium nugarum: immo probe ſcio, ob hæc te ſæpe in memorabilibus afflictionibus accerſitum fuiſſe, & neque cauſam, aut inuidiam libenter deriſiſſe. Veritatis enim neque cognitio vlla eſt; neque vllum teſtimonium. Hæc autem quum diceret, ſubridebat, & mihi, o Damagete, diuina ſpecie apparebat (quod maxime notandum eſt in propoſito noſtro Cl. Citeſi) *& velut qui priorem ſuam formam exuiſſet. Et ego: O magnifice Democrite, inquam, magna xenia & hoſpitalitatis tuæ munera, in Co mecum auferam. Multa enim me ſapientiæ admiratione impleuiſti: Diſcedo enim veritatis tuæ præco, qui humanam naturam inueſtigaſti ac conſideraſti. Quum autem mentis meæ medelam a te acceperim, abeo nunc tempore hoc expetente, itemque corporis curatione. Cras vero, & deinceps, hoc loco rurſus conueniemus. Atque hæc locutus, ſurrexi. Et ille paratus erat me ſequi. Quum vero quidam accederit, haud ſcio vnde tradebat ipſi libros. Et ego concitatius feſtinaui, & ab Abderitas in ſpecula me expectantes: Viri, inquam, pro legatione veſtra ad me, magna ſit vobis gratia. Vidi enim Democritum, virum ſapientiſſimum, qui ſolus potentiſſimus eſt homines prudentes facere. Hæc habui, Damagete, quæ de Democrito valde magna animi lætitia tibi recenſere volui. Vale.* Sic igitur Hippocrates Democritum alta ſapientia ſpectabilem, contemplatiuam vitam procul a vulgi frequentia colentem, diuinum virum fatetur, & qui ſortem humanam propemodum exuiſſet: id edoctus a Pythagora, qui tales homines appellat Dæmones terrenos cultu dignos, immo Deos immortales; nam aureo carmine pepigit, *In primis venerare Deos, vt lege diſpoſiti ſunt, immortales: Iuſiurandum ſerua: Poſtea heroes claros: & terrenos cole dæmones, legitima facientes.* Et inferius: *Si corpus reliqueris, & purificatus ad æthera veneris, eris immortalis Deus incorruptibilis, non amplius mortalis: hic finis laborum optimus.* Nam, vt explicat antiquus interpres Græcus Hierocles, *Dæmones hic appellat* Pythagoras *animos homi-* „
num virtute præditos, & veritate; tanquam doctos, & peritos: Poſtea diuidens ip- „
ſos ab ijs, qui natura Dæmones ſunt, qui medium complent genus, addidit, terrenos: „
quod in ciuitatibus verſari, quod terrena corpora induere, quod in terra habitare „
poſ-

„ *poſſint. Vt quum Dæmones dicit, eos a malis & indoctis hominibus diuidat. Quod*
„ *vero ſuperaddiderit, terrenos: ab illis eos ſeparat, qui ſemper Dæmones & periti ſunt, &*
„ *naturaliter in terra non verſantur, neque terrenis corporibus viuunt. Nam hoc no-*
„ *men, terreni Dæmones, nulli alteri conuenit, quam natura exiſtenti homini, qui habitu*
„ *Dæmon fiat; Deumque intelligat & cognoſcat: Quum tertium genus terrenum*
„ *proprie dicatur & vltimum in ſubſtantiæ ratione viuentibus, & in terrena vita ver-*
„ *ſetur. Primum igitur cæleſte genus appellatur; medium vero aereum; Tertium quo-*
„ *que genus eorum, quæ ratione vtuntur; continet omnes homines; qui non omnes ſunt*
„ *Dæmones, neque omnes ſapientes: & ea cauſa decenter ſuperaddens dixit, Terra-*
„ *nos Dæmones ſapientes homines deſignans; nam neque omnes homines ſapientes ſunt,*
„ *neque omnes ſapientes ſunt homines; ſed etiam heroes clari, & immortales Dei, qui*
„ *præſtantiores hominibus natura exiſtentes, ſapientes ſunt & clari. Eos igitur ho-*
„ *mines Pythagoras colit iubet, qui ſeſe diuinis generibus adiunxerunt; quique Dæmo-*
„ *nibus & Angelis æquales facti ſunt. Nec aliquo modo intelligere debemus Dæmo-*
„ *num genus vile aliquid aut prauum honorare oportere; quod quidem, vt dicimus,*
„ *vſus oſtendit. Quum certe non conueniat Deum amanti, & eius diuinitatem intel-*
„ *ligenti ea colere, aut honorare quæ humana ſubſtantia peiora ſint. Immo neque ip-*
„ *ſum hominem conſequenter poſt meliora honorabimus, niſi præſtantioribus ſimilis, &*
„ *diuinæ ſocietati conferendus factus ſit.* Quod autem addit vltimo loco Pytha-
goras, eum qui corpus relinquit, & purificatus ad æthera venit, fieri Deum immortalem, non amplius corruptibilem; optime deſcribit vitam hominis contemplatiui, & ecſtatici, qui curam rerum corporearum negligens, a vitijs purgatus, cæleſtium contemplationi totum ſe dedicat, vnde vitam famæ conſequitur immortalis, & nunquam interituræ, qui finis eſt optimus omnium laborum; de qua vita contemplatiua mortales vtcunque deificante
a 10. ethic. c.7.& 8. fuſe pulchreque multa ſcribit Ariſtoteles in (a) ethicis: at hunc Pythagoræ locum euidentiſſime confirmans Hippocrates ipſe, dum iſta Philopæmeni ſcribit, allata quoque ſuperius, nunc iterum repetenda pulcherrima, *Non autem omnino inſani antra & quietem expetunt; ſed etiam hi, qui humana negotia contemnunt, ob tranquillitatis cupiditatem. Quum enim mens ab externis curis vexata, corpus reficere voluerit, tunc cito ipſum quieti tradit: Deinde recta exurgens, circumcirca Veritatis regionem colluſtrat, in qua non eſt pater, non mater, non vxor, non liberi, non frater, non cognati, non famuli, non fortuna, non omnino quicquam ex his, quæ tumultum inducunt. Omnia autem perturbantia, excluſa ſtant præ timore: & neque appropinquare audent præ reuerentia eorum, quæ iſthic habitant. Habitant autem illam regionem & artes, & virtutes omnis generis, & Dei, & Dæmones, & Senatus, & conſilia. Et magnus polus in illa regione, ſtellis multum mobilibus coronatus eſt: in quam fortaſſis etiam Democritus præ ſapientia tranſmigrauit. Deinde quum non videat amplius eos, qui ſunt in vrbe, vt pote procul profectus: inſania morbo laborare putatur, propter ſolitudinis amorem. Student autem Abderitæ argenti amorem & ſtudium detegere, & in ſe manifeſtum facere, eo quod Democritum non intelligunt,* ſcilicet iuxta Pythagoræ ſenſa, relicto corpore, atque purificatum, ad æthera veniſſe, Deumque, vel Dæmonem factum vi contemplationis rerum abditarum, quæ ſe reddidit immortalem, & incorruptibili fama digniſſimum. Iam ergo conſtat aperte, ſtudioſam ecſtaſim ſapientis hominis alta contem-

pla-

plactione detenti, ab Hippocrate diuinum quid eo nomine dici, quia virum ecſtaticum facit homines fere conditionem exuere, formamque diuini vultus, vt ipſemet obſeruauit in Democrito, penitus induere. Quin & euidenter propter id etiam, quod ſibi cum Abderitis erga Democritum contigerat, Hippocratem in Prognoſticis imperantem, vt ediſcerent Medici prænoſcerentque, *ſi diuinum quidpiam in morbis eſſet*, huius diuini nomine ſignificare ſpecialim etiam ecſtaſim non morboſam, quæ cum morboſa maximam obtinet ſimilitudinem, nemini dubium eſſe debet, vi rerum allatarum. Vt enim ecſtaſis morboſa duplex eſt: altera ſtuporis quædam ſpecies, ortum habens ab humore pituitoſo; qua qui detinentur, immoti, & ſine ſenſu torpent, rigentve; de qua (k) Scaliger ad Cardanum: altera furoris, & inſaniæ genus, ab atra bile naſcens, qua laborantes concitatiores aguntur, furibundi, cogitabundi, deſerta loca procul ab hominum conſuetudine petentes: Ita duplex etiam alia eſt ecſtaſis non morboſa, ſed ſtudioſa; ſiquidem morbus in genere malorum eſt; & malo bonum (l) contrarium eſt: contrariorum autem tum eadem (m) diſciplina eſt: tum quot modis vnum dicitur, (n) tot etiam & aliud: igitur ecſtaſi morboſæ duplici, duplex alia conſimiles conditiones habere videtur, extra naturam morbi conſiſtens in genere bonorum atque diuinorum conſtituta. Vna quidem ecſtaſis tum ex affectu potiſſimum voluntatis in Deum excellenti; tum aliquando ex mentis exceſſu in alta contemplatione numinis, vel operum diuinorum, homines omnino rapit ad res diuinas; atque vitæ corporales omnino cunctas operationes tollit; & ſimilis eſt illi ſtupori, qui ſub ecſtaſis morboſæ nomine pendet a pituita, cerebrum inferciente. Alia vero ſimiliter ecſtaſis vel ex mentis profunda meditatione, vel ex affectu voluntatis impotenti circa res aliquas, reddit homines deſertorum locorum amantes, & humana negotia deſpicientes; affectio conſimilis illi, quæ ab atra bile procreatur. Quæ quidem ecſtaſis ſtudioſa tum excellens itidem, tum mitior eſſe valet: excellenti ſane voluntatis ecſtaſi erga philoſophiam detentus, raptusve fuit olim Porphyrius philoſophus, qui relatu Eunapij, (o) Plotino audito ad pluſculum temporis, *poſtea abundantis magnitudine doctrina victus atque fatiſcens, conceſto corporea molis humanitatisque odio quodam, tranſmiſit in Siciliam, traiecto freto ad Caryhdim, qua Vlyſſes nauigaſſe perhibetur, quod neque Romam iam in oculis ferebat, neque voces hominum amplius admittebat. Ita ſimul & delicias ſuas dereliquit, & excruciantem ſe ægritudinem exuit. Inde Lilybæum contendit, quod vnum eſt e tribus Siciliæ promontorijs Africam verſus porrectum, eamque reſpiciens: ibi iacuit in ſuſpirijs vitam trahens, inedia ſe macerans, cibique nihil admittens: præterea humanam conſortionem, & acceſſum prorſus declinans.* Hac ecſtaſi vehementi fere Cleombrotum æmulatus; qui Platonis doctrinam de anima in carcere corporis non bene degere, perperam audiens, immortalitatis appetentior, ſe præcipitans, animum e corporis vinculis liberauit. Ceterum de hac ecſtaſi voluntatis, quam amatoriam appellat, ſeu amorem ſapientiæ, non minus docte quam fuſe Leo Medicus Hebræus dialogiſta (p) peragit, cunctas illius proprietates luculenter mirificeque declarans; quorum plures in ecſtaſi Porphyriana tetigit Eunapius. At vero mitiori ecſtaſi ſtudioſa, per contemplationem antea multo

Ecſtaſis genera.
k exerc. ſubt. 312.
l Ariſ. poſt. præd. c. de oppoſ.
m 8. phy. t. 8. 30. ſect. pro. 7.
n 3. phy. 42
o in Vita Porph.
p dial. 3.

De-

Democritus excelluit; qui non ideo ſe coniecit in vitæ diſcrimen, vt periculum foret, ne per ſapientiam interiret; quod euenit Cleombroto, propemodumque Porphyrio: ſed iuxta Patriam Abderam in amæna villula contemplationi vacabat animo ſedatiore, ſeruulum ſibi neceſſaria miniſtrantem, & oportuna contemplationi, patiens: nec non Hippocratis hoſpitis conſortium admittens, vtroque cum viro docto longiora colloquia faciens, atque de cauſa ſui frequentioris & effuſi riſus non breues ipſe ſermones ſerens, vti viſum eſt. Hæ quidem ecſtaſes diuinæ per ſimilitudinem cum morboſis tantam habere videntur affinitatem, vt Democritæam ecſtaſim Abderitæ conciues omnes morbum inſaniæ putauerint, ad quem curandum ex Co Medicum Hippocratem per publicos Legatos accerſiuerunt: Porphyrianam ecſtaſim vero morbum appellauerit Eunapius. Verum enimvero ſicut Ariſtoteli (q) bonum in duplici diſcrimine ponitur; nam aliud verum eſt atque reale bonum, aliud apparens & imaginarium: ita plane de morbo, qui ponitur in genere malorum, arbitrere; nam contrariorum (r) eadem ratio eſt, atque par numerus (ſ) in propoſito, ſicuti notabam ex Ariſtotele, cui conſentit Auerroes: Alij nempe morbi veri ſunt ecſtaſes, quæ remedijs pituitam, vel atram bilem ducentibus curantur a Medico: ſed ecſtaſes aliæ ſunt apparentes morbi, non veri; quales in Democrito vidimus & in Porphyrio; quibus Medicus neque veratrum, neque medicamentum phlegmagogum exhibere debet; at ſolis verbis & rationibus hortatorijs & conuincentibus, ad vitam non ita pernicioſe ſolitariam Philoſophus reuocare debet blande vehementiori ab ecſtaſi raptum, quæ vitæ periculum afferre videtur; quod erga Porphyrium de vita periclitantem Plotinus effecit, Eunapij relatu, ſupradictis hæc adijcientis, *Neque vero cæcutijt, animive falſus fuit ea in re magnus ille Plotinus, quod ſiue veſtigijs conſecutus, ſiue profugum iuuenem inquirens, decumbenti ſuperuenit; ac locuplete verborum copia euolantem iam iam e corpore animum a mortis limine reuocauit, ipſumque adeo corpus animauit, vegetumque reddidit. Itaque moribundus ille reſpirauit, atque e morbo aſſurrexit: & ſermones inter ipſos habitos in ſcripta retulit.* Namque ſi Medicus aliquis hunc apparentem morbum ex arte ſua curare tentaſſet, pharmacoque creditum ab ſe peccantem humorem educere fuiſſet aggreſſus, vere ſano corpori verum morbum intuliſſet, ac etiam interitum; anteuertens etiam mortem per ſapientiam, quæ morbum apparentem conſequi poteſt. Quem quidem morbum apparentem, immo & mortem apparentem in ecſtaſi ſtudioſa vehementi Plinius agnouit, cui (t) *Morbus etiam eſt aliquis per ſapientiam mori*: Qua de re latius egimus (u) alibi. Quod & Hippocrates non ſemel faſſus eſt, inquiens, (x) *Qui ſalubritatem corporis habent, quum per medicamenta purgantur, cito exoluuntur*: (y) *Qui bene ſe habent corpore, difficulter ferunt medicationes*: (z) *Carnes ſanas habentibus helleborus periculoſus; facit enim conuulſionem*: (a) *Conuulſio ex helleboro letalis eſt.* Quam ſane doctrinam Hippocrates ipſe non diffitebitur ſe a Democrito didiciſſe; quum inter ipſorum epiſtolas illa legatur; *Democritus Hippocrati felicitatem. Acceſſiſti ad nos velut inſanos, o Hippocrates, veratrum nobis daturus, perſuaſus a viris ſtolidis, apud quos labor virtutis inſania videatur. Tunc autem de mundi diſpoſitione, & de polis ac aſtris cæleſtibus ſcribebamus. Quum vero horum* na-

q 2. phyſ. t. 31.
r 4. meta. co. 4.
ſ 1. cæl. co. 22. 27. 3. cæl. co. 18.
t lib. 7. c. 50
u 4. de lucer. ant. c. 13.
x 2. ſect. aph. 36.
y 4. ſect. aph. 16.
z 5. ſect aph. 1.
a 7. ſect. aph. 25.

naturam cognouiſſes, quod omnia valde commode eſſent fabricata, & quod procul ab inſania ac deſipientia abeſſent, meam quidem naturam laudaſti; deſipientes autem & crudeles ac furentes illos iudicaſti. Nam quæ ſimulachris per aerem vagantia nos decipiunt, quæ ſane Mundus eſſe comprehenduntur, & viciſſitudinem habentia creata ſunt: ea mens mea, naturam perſcrutata, vere in lucem produxit. Cuius rei teſtes ſunt libri a me conſcripti. Oportebat igitur te, o Hippocrates, cum viris eiuſmodi moribus præditis minime congredi ac conuerſari, quorum mens ſuperficiaria & inconſtans eſt. Si enim ab illis perſuaſus, mihi, velut inſano, veratrum bibendum dediſſes, prudentia inſania facta fuiſſet: & artem tuam reprehendiſſent, velut quæ inſaniæ fuiſſet cauſa. Veratrum enim ſanis datum, menti tenebras offundit; inſanis autem valde prodeſſe conſueuit. Arbitror equidem, ſi non deprehendiſſes me ſcribentem, verum recumbentem, aut forte deambulantem, & mecum colloquentem, & nunc quidem indignantem, nunc vero ridentem, ob ea quæ mente reuoluam, & familiaribus me alloquentibus non attendentem, ſed cogitationi inſtantem, & mirum in modum ſpeculantem: putaſſes ſane Democritum iuxta oculorum iudicium, ex his quæ vidiſſes, inſaniæ imaginem præ ſe ferre. Oportet igitur Medicum non ſolum viſu affectiones iudicare, ſed etiam reipſa: & rythmos, & conſonantias vt plurimum indagare: & vtrum incipiat morbus, aut medium teneat, aut deſinat, perſcrutari: & differentia, & anni tempore, & ætate obſeruata, affectionem curare; itemque totius corporis naturam conſiderare. Ex his enim omnibus facile morbum inuenies. Porro remiſi ad te de Inſania tractationem a te conſcriptam. Vale. Ex allatis omnibus iam ſatis arbitror euidens eſſe, Mentis exceſſum, raptumque voluntatis, quem ecſtaſim appellant, habere tertium locum inter ea diuina, quæ iubet in Prognoſticis Hippocrates Medicum prænoſcere debere, num inſint in morbis, ad quos curandos accerſitus fuerit; vt intelligat, an morbus verus exiſtat, medicamẽtis indigens; an appareat morbus, ſed affectio ſit in orbe ſanitatis, pharmaca non requirens vlla materialia medicinæ: Quin & in vero morbo, num paſſio ſit inſania morboſa, an inſaniæ morboſæ ſimilis affectio non naturalis, ſed quoquopacto diuina; ſicuti ſi Democritus vna febricitaſſet, ac ecſtaſim philoſophicam patiens, differenſque de ſuis admirabilibus theorematibus, ob morbum delirare phreneticus videretur; nam tunc ab artis præſidijs vero delirio conferentibus, maximum nocumentum ac mortem etiam hauſiſſet, non ſanitatem.

Afflatum, Furoremue diuinum numerari quoque debere inter obſeruanda Medicis ex Hippocratis iuſſu in Prognoſticis. Cap. XII.

QVod ecſtaſi contingere viſum eſt, id quarto loco Furori conuenit, & Afflatui; qui geminam & ipſe naturam habet, morboſam, atque diuinam; neque raro fit, vt ægrotantibus aduenjat Furor diuinus, & a Medico non ſatis accurato morboſus exiſtimetur, & remedijs artis cum ægroti damno maximo tractetur. Sane de Furoribus iſtis aperte Plato peregit in Phædro; nam præter allata (a) ſuperius, inſit, *Furoris autem duas ſpecies poni-* a cap. 9.

mus: alteram ab humanis morbis, alteram ex alienatione diuina, qua extra conſuetam vitæ conſtitutionem quis rapitur. Diuinæ autem partes quatuor, vt etiam Dij præſunt quatuor: Et vaticinij quidem inſpirationem Apollini, myſteria Dionyſio, poeticam Muſis, amatorium furorem Veneri & Amori omnium optimum tribuimus. Quem locum explicans alibi (b) Ficinus, ait, *Plato noſter Furorem in Phædro mentis alienationem definit: Alienationis autem duo genera tradit: vnam ab humanis morbis: alteram à Deo prouenientem: Inſaniam illam, hanc diuinum furorem nuncupat. Inſania infra hominis ſpeciem homo deijcitur, & ex homine brutum quodammodo redditur: Diuino furore ſupra hominis naturam erigitur, & in Deum tranſit. Eſt autem Furor diuinus illuſtratio animæ rationalis, per quam Deus animam a ſuperis delapſam ad infera, ab inferis ad ſupera retrahit.* Quum autem Hippocrates, cui (c) furor inſaniæ morboſæ notiſſimus fuit in melancholicis, agnouerit etiam, æuo ſuo Gentilitatis Deos colens, furorem ab Ethnicis diuinum appellatum, quo Delphis, Dodone, paſſimque alibi ſacerdotes afflatæ, Sibyllæque furentes vaticinabantur, & Corybantes, Bacchæque feminæ præter modum ſaltabant, ferocientesque diſcurrebant. Immo vero de Democrito nuperrime dixit eadem fere proportionabiliter ad Philopœmenem ipſe Cous, quæ de diuino Furore raptis ait in Ione Plato; Si enim Platoni *Muſa poetas diuino inſtinctu concitat: poetæ concitati alios furore corripiunt. Et vt Corybantes non ſana mente ſaltant; & poetæ inſurgunt, & rapti bacchantur, quemadmodum bacchantes feminæ, mente non ſana, mel & lac ex fluminibus hauriunt: ſana autem mente haurire nequeunt: Idque tum efficit illorum animus, qui cantus effingunt, quod ipſi narrant. Aiunt enim nobis poetæ, quod e fontibus, quibus mel ſcaturit, haurientes, & a Muſarum viridarijs collibuſque decerpentes carmina ad nos afferunt, quemadmodum mel e floribus apes; & inſtar apum volare ſe dicunt. Quæ in re vera loquuntur. Res enim leuis, volatilis, atque ſacra poeta eſt: neque canere prius poteſt, quam Deo plenus, & extra ſe poſitus,* &c. Quibus omnino ſimilia (d) ſcribit Hippocrates, aſſerens Democritum, prope ciuitatis Abderæ muros philoſophantem, habitare longinquam altam regionem Veritatis, procul ab amicis, patria, cognatis, & humanis negotijs omnibus, vbi ſecum habitant Dei, Dæmones, conſilia, Senatus, artes, & omnes diſciplinæ; vbi polus eſt magnus, aſtris multum mobilibus coronatus. Quare non minus quam Plato, cognouit Hippocrates, & poſuit in hominibus Furorem diuinum, & Afflatum numinis aliquando vigere. Quoniam vero Furor iſte diuinus omni tempore promiſcue, omnis etiam habitus & ſtatus homines, tam corpore ſanos, quam ægrotantes, corripere poteſt: Quemadmodum ſi ſanum hominem Afflatus, Furorve diuinus corripiat, non ita facile Medicos accuratos decipere, turbareque poteſt, quibus notum eſt furentem diuinitus hominem in bona corporis valetudine, medicinalis artis remedijs non indigere: ſic e contra, ſi furor iſte diuinus ægrotantem ſacerdotem, poetamve febrientem, aut alio quouis morbo detentum, arripuerit, facile decipitur Medicus, exiſtimans furorem iſtum eſſe morboſam inſaniam, ab atra bile peccante prouenientem, vel delirium à flaua, ſanguineve ſupercalefacto productum; cui conueniant Medicinæ remedia. Quin etiam non raro Furor diuinus, vbi vehementior fuerit in homine ſanum corpus habente, maniacos effectus

b in argu. Ion.

c l. de ſacr. morb.

d epiſt. ad Philopœm.

edit,

edit, qui Medicos fallant, exiſtimantes hominem ex morbo phreneticum eſſe; cui præſcribentes medicamenta peccantem putatum humorem educere valentia, ſani corporis humores bonos exagitant, incendunt, & morbum nouum inducunt, diuinum furorem pro morboſo perperam curare conati: Quare decepti Medici vel in ægrotante morbum augent, aut geminant, vel in corpore ſano, mentem furentem diuinitus habente, nouos morbos inducunt. Quod non ita pridem Medici neſcio qui fecerunt inclyto poetæ Torquato Taſſo; quem diuino furore percitum, dum inſanire putarent ex morbo ab atra bile, medicinæ remedijs impetentes, vere furentem inſaniæ morbo reddiderunt, ſapientiamque verterunt in inſipientiam, & prudentem virum infatuauerunt; quod ſibi ab hellebori potione recte metuebat Democritus, ſi Cous Abderitis conſentiens eum inſaniæ morbo laborare cenſuiſſet: nam eo pharmaco commota, & incenſa maſſa humorum, atraque bile quoque adaucta, & efferata, dementiæ veram ægritudinem intuliſſet homini ſano. Quod erratum ne Medici committant, eos admonet Hippocrates, vt prænoſcant, perdiſcantque, num in morbis, ad quos curandos accedunt accerſiti, diuinum aliquod inſit.

Animi pathema vehemens generatim ab Hippocrate comprehendi ſub nomine diuini in morbis obſeruandi, & prænoſcendi. Cap. XIII.

QVintum ſane diuinum in morbis apud Hippocratem, meo iudicio, fuerit vehemens quodlibet animi pathema, mærorem dico, timorem, iram, & huiuſmodi; licet a cauſa manifeſta etiam pendeat; etenim Animus, cuius eſt affectio, veteribus paſſim Deus audit, & natura ſubſtantiaque diuina. Sic apud *(a)* Ariſtotelem Hermotimus Clazomenius & Anaxagoras laudantur, quod vt in animalibus, ita in tota natura diuinum intellectum poſuerint cauſam ordinis totius, & mundi præcipuam. Et alibi de mente propria reperit non ſemel Ariſtoteles, *(b)* Intellectum in homine diuinum quid eſſe, Deoque congeneiſſimum, ac maxime cognatum, & alio loco clariſſime, *(c) Solus animalium omnium erectus eſt* homo; *quoniam eius natura atque ſubſtantia diuina eſt: officium autem diuini eſt intelligere, atq; ſapere: quod non facile eſſet, ſi vaſta corporis moles aſſideret; pondus enim tardiorem reddit mentem, & ſenſum communem.* Et alibi quoque, *(d) Vt magnanimum, non fortem (vt ponitur) ſed magnum animum habentem; quemadmodum fidentem, bona ſperantem. Similiter autem & ingenioſum, cuius fuerit Genius ſtudioſus, quemadmodum Xenocrates inquit, ingenioſum eum eſſe, qui animam ſortitus eſt ſtudioſam; ipſam enim vnicuique eſſe Genium*: vt notat etiam Alexander, qui in commento huius loci animam cuiuſque Dæmonem appellat, eius naturam eſſe diuinam inſinuans. Recenſet etiam Gyraldus, agens de Dijs Gentium, *(e) Inter antiquos fuiſſe nonnullos, qui Genios animas quorumcunque rationales interpretati ſunt:* (innuens Ariſtotelem, & ab eo de hac re collaudatum Xenocratem) *Quo modo, & per Genium alicuius iurare intelligunt; quod maximum fuit apud veteres iuramentum, per Prin-*

a 1. meta. ſu. 2. c. 2.

b 10. ethic. c. 7. 8.

c 4. de part. c. 10.

d 2. top. c. 2 loc. 19.

e ſynt. 15.

Digitized by Google

cipis Genium iurare, vt plane Iuriſconſulti & Tertullianus oſtendunt. Suet. Tranquillus in Caligula ait, multos a Caligula ſupplicio affectos, qui per eius Genium peierauerant. Plato pariter, & omnes eius aſſeclæ, ſicuti confirmant in libro de Deo Socratis Plutarchus & Apuleius, animas in comparatione ad corpora Deos appellant, diuinaſque naturas. Ita dubio procul Hippocrates, qui frigora, Solem, ventos diuina (*f*) nuncupat, multo potiori ratione diuinum appellauerit animum, quem ſub *calidi* nomine ſignans, ait (*g*) *eſſe immortale, & cuncta intelligere, & videre, & audire, & ſcire omnia, tum præſentia, tum futura.* Quare ſpeciatim affectiones animi vehementes facile diuinas nuncupat in Prognoſticis hoc titulo. Cognoſcens enim Hippocrates, ab animi paſſionibus plurimum agitari corpus, vt non ſolum hæ ſolæ morbos inducant, verum etiam inductos vndecunque augeant, exaſperent, atque ad interitum quoque deducant: Quod non ſemel obſeruauit, & confirmauit etiam Galenus, inquiens, (*h*) *Tantum in ipſa poteſt motio animæ, vt & multi præ lætitia mortui euaſerint, multi etiam præ mœrore ægrotauerint.* & alibi, (*i*) *Atque mori contingit nonnullos per alium quoque modum, vt in ſyncopa, ſtomachi vitio eueniente, & vehementi dolore, & timore graui, & voluptate maxima. Etenim quibus vitale robur infirmum eſt, animi vero affectiones ob imperitiam fortes, ijs anima eſſentia* (quam ipſe (*k*) temperamentum arbitrabatur) *facile diſſolui poteſt: Atque aliqui ob mæſtitiam interierunt, ſed non illico, vt de ſuperioribus diximus. At vir magnanimus neque ob moleſtiam, neque ob aliam aliquam animi ægritudinem mæſtitia fortiorem vnquam ſuccubuit, vt puta cuius animæ robur validum eſt, affectus vero non adeo vehementes.* Ceterum etſi vehemens animi paſſio mortem non inferat magnanimis, & robuſtis viris; eos tamen in morbum grauem trahere poſſunt; etenim legimus, Aiacem Telamonium, fortiſſimum Græcorum, ſæpe titulo magni, & magnanimi donatum ab (*l*) Homero, propter indignationem, quod Achillis arma, ſibi debita, Græci dediſſent Vlyſſi, furore victum ad inſaniam (*m*) ex animi vehementi paſſione redactum fuiſſe. Ceterum hiſtoricus rerum ab ſe viſarum Dictys, non ob Achillis arma, ſed ob Palladium Troianorum poſtulatum in diuiſione prædæ, non ſibi, ſed Vlyſſi datum, Aiacem animi dolore victum ac indignatione; necatumque dicit inuentum incerto necis autore, verbis ipſiſſimis. *Hactenus nobilium fœminarum ceſſere ſeruitia. Alij, vt quemque ſors contigerat, prædam, aut ex captiuis, quantum pro merito diſtribuebatur, habuere. Interim ſuper Palladio ingens certamen inter ſe ducibus exortum. Aiace Telamonio expoſtulante in munus ſibi, pro his quæ in ſingulos vniuerſoſque virtute atque induſtria ſua contulerat. Quare coacti pene omnes (vti ne læderetur animus tanti viri, cuius præclara facinora vigiliaſque pro exercitu in animo retinebant) concedunt Aiaci: contradicentibus ſolis omnium Diomede, atque Vlyſſe: ſua quippe opera id ablatum contra inſinuantibus. Contra Aiax affirmare, non labore, aut virtute eorum rem geſtam; Antenorem namque contemplatione communis amicitiæ abſtuliſſe. Tum Diomedes honori eius per verecundiam cedens, a certamine deſtitit. Igitur Vlyſſes cum Aiace ſumma vi contendere, atque inuicem induſtria meritis expoſtulare adnitentibus cum Vlyſſe Agamemnone & Menelao, ob ſeruatam paulo ante opera ſua Helenam. Namque poſt captum Ilium, Aiax recordatus eorum quæ tantis tempeſtatibus propter mulierem perpeſſi expertique eſſent, primus omnium*

inter-

f lib. de morb. ſacr.
g lib. de carn.
h de par. pil. cap. 1.
i 5. loc. aff. c. 1.
k 6. epid. 1.
l Iliad. 14. & 15.
m Cointh. Smyrn. lib. 5. pa.
5. de bell. Troiano.

interfici eam iuſſerat. Iamque approbantibus conſilium Aiacis multis bonis, Menelaus amorem coniugij etiamnum retinens, ſingulos ambiendo orandoque ad poſtremum perfecerat, vt interceſſu Vliſſis Helena incolumis ſibi traderetur. Ob quæ veluti iudicio amborum merita ſpectantes (quum etiam num bellum in manibus, atque hoſtiles multæ nationes circumſtreperent, nullo delectu virorum fortium, ſpretisque Aiacis tot egregijs facinoribus, ac frumenti, quod ex Thracia aduexerat, per totum exercitum diſtributione) Vlyſſi Palladium tradunt. Quare cuncti Duces, qui memores virtutum Aiacis, nihil ei præferendum cenſuerant, quique ſecuti gratiam Vlyſſis impugnauerant talem virum, ſtudio in partes diſcedunt. Interim Aiax indignatus, & ob id victus dolore animi, palam atque in ore omnium vltionem ſe ſanguine eorum, a quis impugnatus eſſet, exacturum denunciat. Itaque ex eo Vlyſſes, Agamemnon, Menelaus cuſtodiam ſui agere, & quo tutiores eſſent, ſumma ope inuigilare. At vbi nox aderat; deſcendentes vno ore omnes, lacerare vtrumque regem, neque abſtinere maledictis; quippe quibus magis libido deſideriumque in fœmina, quam ſumma militiæ potiora forent. At lucis principio Aiacem in medio exanimem offendunt; perquirentesque mortis genus, animaduertere ferro interfectum. Inde ortus per Duces atque exercitus tumultus; ac dein ſeditio breui adulta; quum ante eam Palamedem, virum domi bellique prudentiſſimum, nunc Aiacem inclytum tot egregijs pugnis, atque vtrosque in ſtudijs circumuentos ingemiſcerent. Ob quæ ſupradicti reges veriti, ne qua vis ab exercitu pararetur, intus clauſi firmatique per neceſſarios manent. Vnde licet appareat, poetas ab Hiſtorico deuiare, tamen & poetæ finxerunt id, quod accidiſſe potuit, ac veriſimile fuit: & hiſtoricus enarrat, Aiacem animi dolore victum fuiſſe. Quare iam redeamus ad animi pathemata, prænoſcenda Medicis ex Hippocratis iuſſione. Profecto comparans alicubi Plato corporis habitus cum habitibus animi, diuinos iſtos appellat, illos humanos inquiens, (*) *Duplicia vero bona ſunt; alia humana, diuina alia; dependentque a diuinis humana. Si qua vero ciuitas maiora ſuſcepit, minora quoque poſſidet: ſin autem illis caret, vtriſque priuatur. Minorum* (hoc eſt humanorum) *primum eſt ſanitas, forma ſecundum, tertium vires, quartum diuitiæ: quæ cæca non ſunt, ſi prudentiam ſequuntur. Quæ quidem prudentia diuinorum bonorum dux primus exiſtit: deinde poſt mentem temperatus animi habitus: ex his duobus cum fortitudine miſta iuſtitia tertio emergit: Fortitudo quartum tenet locum. Quæ omnia humanis illis natura præponuntur.* Sic ergo pro ratione ſubiecti bona corporis Plato nuncupat humana, ſanitatem, pulchritudinem, robur, diuitias: bona vero animi appellat diuina, Prudentiam, Temperantiam, Iuſtitiam, Fortitudinem. Vnde ſimiliter a nobis dicendum eſt de malis; alia eſſe diuina, & alia humana; contrariorum enim eſt eadem diſciplina; quare mala corporis humana ſunt, morbus, deformitas, imbecillitas, paupertas; at animi mala, quæ vitia ſunt, ira, mæror, indignatio, metus, & alia quæuis impotens ac excedens animi paſſio, diuina dicuntur hic ab Hippocrate. Quum itaque noſſet, atque videret Hippocrates frequentiſſime, Medicos adeo totos eſſe circa paſſiones corporis ægrotantis, vt affectiones animi negligerent omnino, vel parum admodum curarent; quaſi conſiderantes, animoque reputantes, Medicinæ ſubiectum eſſe corpus humanum Arte Medica ſanabile; paſſiones autem animi non ad Medicum attinere, ſed

* 2. de leg.

ad

ad Philoſophum Moralem; cuius proprium munus eſt, animi paſſiones ve-
hementiores curare, atque ad mediocritatem intra virtutis habitum reuoca-
re: Monet, iubetque diuinus ſenex, vt Medicus vnusquisque prænoſcat
etiam animi pathemata, ſi quando ſic in morbis inſunt, vt corporis ægritu-
dines aut producant, aut etiam ortas aliunde foueant, vel augeant; nam, vt
o de par. pil. c. 1. aiunt optime Galenus, (*o*) *Neque vlla eſt tam vehemens corporis paſſio, vt affectio-
nes animi vincat: Non igitur paruipendere oportet huius motiones, qualesnam ſint:
Immo vero longe magis quam corporis motus obſeruare, tum alijs de cauſis, tum quod
corpore dignior ſit anima*. Sed vt iſta cauſa dignitatis animi ſupra corpus ad
Medicum in propoſito nihil attinet: Ita cenſet Hippocrates in morbis ob-
ſeruandos eſſe motus animi, quando morbos vel inducunt, vel inten-
dunt; quia tunc ijs affectibus animi ſedandis maxime vacare Medicum opor-
tet; qui motus animi plerumque non artis medicæ præſidijs materialibus
(quorum vſu potius intempeſtiuo morbus ex animi pathemate proueniens
exaſperatur, certe nunquam ſanatur:) ſed remotione cauſæ procatarcticæ
p ad Poſthum. c. 6. per morales perſuaſiones omnino tolluntur. Qua ratione Galenus (*p*) ip-
ſemet agnouit, & curauit atrienſem diuitis ſeruum, qui ex timore mæſtitia-
que reddendæ rationis de mala pecuniarum adminiſtratione, laborabat vi-
gilijs cum tabe corporis vniuerſi, qua de re latius infra. Hippocrates
ergo videns Medicos plurimos nihili facere, negligereque prorſus in mor-
r l. 1. f. 1. d. 1. c. 1. bis affectiones animi, quod (vt poſtea multo fecit (*r*) Auicenna) putarent,
definirentque *Medicinam eſſe ſcientiam, qua humani corporis diſpoſitiones noſcun-
tur, ex parte qua ſanatur, vel ab eo ſanitas remouetur, vt habita ſanitas conſerue-
tur, vel amiſſa recuperetur*: nulla facta mentione paſſionum animi: Quia cen-
ſuit ipſe Cous huiuſcemodi paſſiones animi plurimum ad ſanitatem attine-
re; morboſque poſſe parere, & adaugere; propterea inter vniuerſalia præ-
cepta Prognoſticorum peculiariter etiam poſuit eorundem affectuum animi
prænotionem; quos ab animi præſtantia ſupra corpus, & ab eorundem emi-
nentia ſupra materiales corporis affectiones omnes, vno iam verbo dicam,
ab animi ſibi ſubiecti qualicunque diuinitate, diuinorum epitheto non ab
re cohoneſtauit, imperans Medicis, vt præcognoſcere ſtudeant, an aliquod
animi pathema, præter corporis affectiones inſit in morbis, quod eos pro-
creauerit, conſeruet, vel augeat; nam huius remotioni ſtudendum erit in
primis, ad rectam & perfectam morbi profligationem, & ſanitatis adeptio-
nem. Hoc igitur, præter alia, ſpeciatim præcipueque vult Hippocrates in
Prognoſticis, inquiens, *Oportere Medicum, ſi diuinum quidpiam morbis ineſt, huius
quoque prouidentiam perdiſcere; ſic enim merito & admirabilem & bonum ſe præſta-
bit Medicum*. Quam explicationem apertiſſime confirmant proxime dicta
de paſſionibus corporis ab Hippocrate, quibus fere contraponit animi pa-
themata, veluti rebus naturalibus res vtcunque ſupernaturales, corporeis in-
corporeas, materialibus immateriales, artis medicæ præſidia requirentibus
medicamenta ſuperantes omnia, nullaque prorſum requirentes, adeoque
quoquo pacto diuinas, ait enim; *Quum homines intereant, alij, priuſquam adhi-
beatur Medicus, ex vi morbi: nonnulli adhibentes Medicum, ſtatim moriuntur; qui-
dam diem viuentes vnum, aut paulo plus temporis, antequam Medicus arte repugnet.*

Opor-

Digitized by Google

Oportet igitur agnoſcere talium naturam affectionum, quæ cum ſupra vires corporis ſit. Ecce morbos corporis, a cauſa phyſica materiali productos; quibus Medicus artis propriæ remedijs repugnare debet: Quorum quidem morborum naturas cognoſcere tenetur, vt contra eos adhibere valeat oportuna medicamenta. Veruntamen non ſat eſt Medicum affectiones corporis agnoſcere, remedijsque Medicis impugnare; Sed oportet ipſum etiam prænoſcere ſi quidpiam ineſt in morbis, quod ægrotantis animum ita perturbet, vt corpus in conſenſum trahens, in eo generet ægritudinem, aut aliunde genitam intendat, & augeat: Quod illico monet Hippocrates addens. *Quin etiam ſi diuinum quidpiam morbis ineſt, huius quoque prouidentiam perdiſcere* oportet. *Sic enim optimo iure & admirabilem, & bonum ſe præſtabit Medicum*. Igitur inter ea diuina iam quinto loco numerabimus Animi pathema, quæ iubet Hippocrates in morbis obſeruari a Medicis, prohibens ne toti ſemper ſint in corporis affectionibus, neve negligant omnino paſſiones animi, quæ morbos & parere poſſunt, & exacerbare, malumque ad terminum pertrahere.

Terror a ſpectro viſo ſextum habere debet locum inter Hippocratica diuina Medicis obſeruanda. Cap. X I V.

SExtum autem diuinum in morbis obſeruandum ex Hippocratis iuſſu, eſt terror a Dæmone, ſeu ſpectro viſo; quem pauorem Panicum, adeoque diuinum dicebant antiqui Gentiles, & cum illis Hippocrates conſimiliter Ethnicus; credebant enim Pana Deum repentinos timores, & animi perturbationes hominibus immittere, ſed omnino inanes; quales plerumque in bello ſolent accidere. Pindarus in Nemæis ait, non oportere fortiſſimis viris vitio vertere, ſi fugiant in eiuſcemodi tumultu:

In diuinis terroribus fugiunt & filij Deorum.

Pauſanias inquit, (a) *Ea nocte Panicus illos inceſſit terror, quibus enim nulla ſubeſt cauſa trepidationibus, eas Panos numine immitti autumant*. Hac de re plurima (b) Politianus. Ceterum diuinus iſte pauor a ſpectro mortalibus incutitur, tam vigilantibus, quam etiam dormientibus: tam ſanis, quam ægrotantibus, potiſſimum animo defectis; de quibus & Ariſtotelis, & Platonis habemus illuſtria teſtimonia; nam Ariſtoteles infit, (c) *Non enim eſt ſomnus qualibet impotentia ipſius ſenſitiui, vt dictum eſt; etenim amentia, & praefocatio aliqua, & animi defectus facit huiuſmodi impotentiam. Iam autem facta fuit imaginatio quibuſdam, qui animi defectum paſſi ſunt. Hoc igitur aliquam habet dubitationem: Si enim contingat dormire eum, qui animo deficit, contingeret vt quæ ſomnium eſſe & ipſum phantaſma. Multa autem ſunt, quæ dicunt qui vehementer animo defecerunt, & qui viſi ſunt mortui eſſe. De quibus omnibus eandem eſſe rationem exiſtimandum eſt*. Alludit autem ad ea, quæ retulit olim tum Plato in ſua Republica, tum ipſemet in Admirandis Auditionibus: Plato quidem inquiens, (d) *Equidem tibi non Alcini apologum, ſed præſtantiſſimi viri Eri Armenij, genere Pamphylij, referabo. Qui cum occubuiſſet in prælio, ſublatis decimo die cadaueribus ceteris iam cor-*

a in Phocicis.
b in Miſcel.
c de ſom. & vig. c. 3.
d 10. de Rep. ... [illegible]

corruptis, integer quidem in corrupto corpore repertus fuit; domumque delatus vt
ſepeliretur, duodecima iam ab obitu die, dum pyra impoſitus eſſet, reuixit: & quæ in-
terim viderat, retulit. Inquit ergo, poſtquam anima fuiſſet a corpore ſeparata, vna
cum pluribus quendam in locum Dæmonum perueniſſe: in quo duos terræ proximos
vidit hiatus: duos item alios, e conſpectu ſuperne in cæli regione conſpexit: Inter hos
vero hiatus Iudices ſedere. Qui poſtquam animos iudicarunt, iuſtos quidem ad dex-
teram ſupra per cælum aſcendere iubent, in aduerſa ipſorum parte ſigna eorum quæ iu-
dicauerint, ſuſpendentes. Iniuſtos autem ad ſiniſtram infra, omnium quæ fecerant
in vita, poſt tergum ſigna ferentes. Quum vero ad Iudices ipſe quoque acceſſiſſet, illos
aiebat reſpondiſſe: redire eum hominibus nuncium de his, quæ illic viderat, oportere:
iuſſiſſeque illum audire & intueri, quæcunque eis in locis fierent, diligenter. Viderat
igitur per vtramque cæli terræque portam animas lata ſententia abeuntes: per alias
item duas, ex terra quidem aſcendentes animas puluere, ſqualore, macieque confectas:
e in argum. e cælo autem alias nitidas deſcendentes, &c. De qua narratione Ficinus ait, (e) Ne-
„ que ab re reſurrexiſſe teſtatur Erum Pamphylium, pro ſalute patriæ in prælio mor-
„ tuum, vt ſignificaret eos, qui pro publico moriuntur bono, ad veram vitam reſur-
„ recturos; quanquam ex multis vnus reſurrexit ad noſtram. Sed nunquid hiſtoria
„ hæc eſt, an fabula? hiſtoriam eſſe vult Iuſtinus Platonicus, Martyrque Chriſtianus.
„ Quod equidem non refellam. Vbi vero Plato apologum fabulamque nominat, exponi
„ poterit hiſtoriam dici poſſe fabulam, quoties vltra res geſtas, auguſtiorem habet alle-
„ goriam. Quam ob cauſam Olympiodorus quoque ait, Platonem hiſtorias, & rationes
„ ſæpe fabulas appellaſſe. Ariſtoteles autem aliud exemplum referens in Admi-
f cap. 96. randis Auditionibus, inquit, (f) Inter ſeptem Aeolias inſulas vna eſt Lipara no-
mine; in qua ſepulchrum eſſe fabulantur: de quo quamplurima, ac ſane monſtroſa
enarrant. In hoc vero conueniunt omnes, noctu ad eum locum accedere non tutum
eſſe; inde enim tympanorum, cymbalorumque ſonitum, riſumve cum tumultu ac cre-
pitaculis euidenter exaudiri aſſerunt. Aliud quoque circa eius inſulæ ſpeluncam,
quod magis horrorem portentumve inducit, eueniſſe; ſcilicet quum quidam ebrius
ante Solis ortum eo in ſpecu obdormiſſet, quem ſerui eius inueſtigabant, tres dies inte-
gres cubauit; quarta vero luce a domeſticis inuentus eſt. Qui quum ceu mortuus
a domeſticis haberetur, ad peculiare ſui ſepulchrum delatus fuit. Sed repente ſur-
rexit: omniaque, quæ ſibi eo in ſomno euenerant, aſtantibus enarrauit. Ceterum
etſi hoc quidem fabuloſum mihi videtur; nihilominus id obliuioni minime permitte-
re operæ pretium eſſe duximus, quum eorum locorum deſignationem deſcriptionemque
fecerimus. Cuius vtriuſque portentoſæ rei theoriam poſterius habituri ſu-
mus in peculiari Quæſito. Nunc ſatis eſt, Ariſtotelem huc reſpexiſſe, quod
& Erus ille ſobrius, metu necis ab hoſtibus in ardore victoriæ graſſantibus
perterrefactus: ſimul & ebrius iſte Siculus expergefactus a tumultu primæ
noctis, & ab horrore ſtrepentium ſonituum pauidus: ambo conſternati, &
exanimati defecerunt; & in animi deliquio dormientes longiorem ſomnum,
inſomnia vidiſſe, quæ retulerunt, conficta ab imaginatione ſpectrorum hor-
ribilium mirifice perculſa. Sed & hanc noſtram opinionem de terrore ma-
gno, diuinitus immiſſo, & in hominibus obſeruato, mirabilis hiſtoria Mile-
g de virt. ſiarum virginum a Plutarco relata, comprobat euidenter; ait enim, (g) Mile-
mulier. ſias Virgines quodam tempore, atrox animi & abſurda inceſſit perturbatio: quæ de
cau-

cauſa, incertum: niſi quod putabatur aeris temperies veneno infecta, & ad inſaniam excitandam parata, mutationem iſtam animorum, atque abalienationem effeciſſe. Subito omnes mortis cupiditas, & ad vitam ſuſpendio finiendam furioſus impetus egit: & multa clam conſecuta ſunt quod volebant. Verba & lacrymæ parentum amicorumque alloquia nihil agebant: ſed ſeſe interficiendis omnem ipſas cuſtodientium induſtriam atque calliditatem vincebant. Ita vt calamitas diuinitus immiſſa, & remedijs humanis videretur validior. Donec quidam homo prudens legem promulgauit, quæ iuberet omnes, quæ ſibi ſuſpendio mortem conſciuiſſent, nudas per forum efferri. Hæc lex ſancita, non inhibuit modo, ſed & omnino aboleuit illam, qua Virgines laborabant, mortis cupiditatem. Magnum vero argumentum eſt bonæ indolis ac virtutis, metus ignominiæ; quod nihil formidantes mortem, ac dolorem, quæ omnium maxime terribilia habentur, turpitudinis tamen imaginationem non pertulerunt, neque ſuſtinuerunt dedecus poſt mortem ipſis euenturum. Sane furorem atque terrorem hunc, inſaniamque ſuſpendio moriendi cupidinem, illis ab aeris vlla conſtitutione non eueniſſe, conſtat ex eo, tum quod eadem aeris conſtitutio reliquos homines non angebat, nec omnes mulieres ſub eiuſdem regionis cælo viuentes, ſed virgines tantummodo: tum quod non omnes Mileti virgines eodem fuere temperamento, vt ab eadem aeris conſtitutione debuerint eandem ægritudinem animi ſibi conquirere; ſed vario, planeque diuerſo; nam bilioſæ non afficiuntur ab ea temperie ambientis, a qua pituitoſæ; neque ſanguineæ, a qua melancholicæ: tum quod metus ignominiæ ſuperſtites ſeruans, & curans, mutare non potuit aeris intemperiem illam, qua vigente, morbus ab ea proueniens tolli nequiuit. Neque vero furor ac animi morbus ille referri potuit in menſium muliebrium motum & agitationem; tum quia non omnes Mileſiæ virgines vna ſimul habere potuerunt motionem ſanguinis illius, tum quia nec integro menſe, ſed paucis ſtatiſque diebus contingit feminis agitatio ſanguinis illa: tum maxime quia ſimiliter ignominiæ timor curare non valet ægritudinem ab agitatione menſtrui ſanguinis ortam. Quare veteribus diuinum quid erat, quod omnibus indifferenter virginibus Mileſijs mortis eam cupiditatem adeo diram incutiebat, quæ cupiditas, vt alio vehementiore animi affectu, verecundia nempe virginali, potuit extingui; ſic a priſcis diuinum quid eſſe cenſebatur, vt ait *(b)* Virgilius; apud quem antiquitatis cultorem maximum, Niſus, *b 9. Aeneid.*

> --------- *Dijne hunc ardorem mentibus addunt*
> *Euriale? aut ſua cuique Deus fit dira cupido?*

Namque putabant veteres, maximas cogitationes a numine quopiam oriri; animoſque furentes, diuino percitos œſtro rebantur. Non aliter Hippocrates Terrores alios, & hiſce Mileſianis conſimiles, a ſpectro, vel a Dæmone viſo per imaginationem, eſſe diuinos, hoc eſt diuinitus immiſſos exiſtimauit: alios autem illis conſimiles, a cauſa naturali productos eſſe cenſuit, potiſſimum mulieribus in commotione menſium: his poſtremis ex arte medica remedia præſcribit: illis prioribus non cenſet adhibenda medica præſidia; quod affectiones diuinæ non ſuperantur humanis medicamentis: Quare ſilentio curationem priorum præterit, poſteriorum proponit ex arte ſua. De vtriſque vero profert hiſtoriam luculenter, & agit in opuſculo *De Virgi-*

num morbis iuſcripto dicens, *Principium ſit mihi compoſitionis eorum, quæ perpetua ſunt in arte medica: Non enim poſſibile eſt morborum naturam cognoſcere (ſiquidem artis eſt inuenire) niſi quis nouerit naturam in indiuiſibili, ex qua in principio diſcreti ſunt. Primum de morbo ſacro appellato, & de attonitis, ſiue ſyderatis, & de timoribus: ex quibus adeo fortiter pauent homines, vt delirent, & Dæmones quoſdam videre ſe putent ipſis infeſtos, quandoque nocte, quandoque interdiu, aliquando vero vtroque tempore. Poſtea ab huiuſmodi ſpectris multi iam ſe ſtrangulauerunt: plures autem mulieres, quam viri; eſt enim muliebris natura animi magis deiecti.* Quorum terrorum, vt pote ſuo iudicio nulla cauſa naturali, ſed diuinitus ortum habentium, nullam omnino præſcribit curationem medicam: ſed ſolum conſimilium pauorum, qui proueniunt a menſtrui motu non ſecundum naturam facto; dum immediate ſubdit: *Ceterum virgines nubiles & maturæ viro, hoc magis patiuntur vna cum menſium deſcenſu, antea non valde hinc afflictæ; poſtea enim ſanguis in vteros confluit, velut effluxurus: Quum igitur oſculum exitus non fuerit apertum, ſanguis autem amplius influxerit propter cibos, & corporis augmentum: tunc ſanguis non habens effluxum, præ multitudine reſilit ad cor, & ad ſeptum tranſuerſum. Quum igitur hæc repleta fuerint, cor fatuum fit; deinde ex fatuitate torpedo: poſtea ex torpedine delirium apprehendit. Quemadmodum quum aliquo longo tempore deſidente, ſanguis ex coxis ac femoribus depreſſus, in tibias ac pedes torporem inducit: a torpore autem pedes ad iter faciendum impotentes fiunt, donec ſanguis ad ſeipſum reuertatur. Reuertitur autem celerrime, quum ſteterit in aqua frigida, quæ vltra malleolos madefaciat. Atque hic quidem torpor facile cedit: cito enim propter venarum rectitudinem refluit: & locus corporis non eſt periculoſus. At ex corde, & ſepto tranſuerſo tarde refluit: Venæ enim obliquæ ſunt, & locus periculoſus: & ad delirium, & inſaniam paratus: Quum enim hæ partes repletæ fuerint, & horror cum febre ingruit, erroneas febres appellant.* Quibus diligenrer & fuſe declarat, quomodo ſpeciatim ſanguis ille menſtruus retentus efficiat in virginibus accidentia ſæua, terrores diros, & inſanos maxime. Statim vero ſubdit Hippocrates, *His autem ſic ſe habentibus: præ acuta quidem inflammatione, inſanit: præ putredine vero, clamat: præ caliginoſitate autem, timet, ac formidat: præ compreſſione vero circa cor, ſtrangulationes parat: præ ſanguinis autem malitia, animus mærens ac anxius malum attrahit. Sed & alium horribiliter compellat: & in puteos proſilire, ac incidere iubet, & ſtrangulari: tanquam meliora ſint hæc, & omnem vitæ vtilitatem excedentia. Aliquando vero ſine ſpectris ac phantaſmatis, voluptas quædam adeſt, ex qua mortem, velut bonum aliquod, amat.* Quæ quidem ſymptomata, quum viris, & mulieribus etiam extra menſium ætatem, a motu ſanguinis menſtrui præter naturam retenti, nequeant ingruere, contingereve: neque de illorum origine phyſica quicquam addat Hippocrates; iam certo conſtat, ipſum exiſtimaſſe, terrores iſtos eſſe diuinos a ſpectro, ſeu Dæmone per imaginationem viſo, & veluti Panicos. Quod inde colligitur etiam, quia curationem affectus proponit, quæ mulieribus, cohibitos, ac præter naturam agitatos menſes habentibus, conuenit; non item alijs, neque viris eodem terroris malo laborantibus, immediate dicens, *Poſtquam autem reſipuit homo, mulieres tum alia multa, tum pretioſiſſimas muliebres veſtes Dianæ conſecrant, a Vatibus id iubentibus deceptæ. Ceterum curatio, vt hinc liberentur,*

eſt

eſt ſanguinis detractio, ſi nihil fuerit quod impediat. Ego vero iubeo virgines, quum huiuſmodi patiuntur, quam citiſſime viris cohabitare. Si enim conceperint, ſana fiunt. Si vero huiuſmodi non aſſuerint, ipſis ſimul cum pubertate, aut paulo poſt corripientur, ſi non viro nupſerint. At vero ex mulieribus viro iunctis, ſteriles magis hæc patiuntur. Ceterum Hippocrates iſtiuſmodi terrores, non ex vtero, ſanguineve menſtruo prouenientes, diuinos eſſe poſuit etiam, quia cenſuit eos a Dæmone, Furia ſcilicet infernali Dea phantaſiæ mortalium immitti; doctus id ab Orpheo primario Gentilitatis Theologo; namque relatu (i) Rhodigini, Claſſici Scriptoris, *In hoc ſtatu comminiſcitur Orpheus Furias tres: ex quibus Tiſiphone animam infeſtet ex corpore: Megara lancinet ex odio, imaginarijque mali conflictatione formidoloſa: Alecto perurat propter imaginarij boni cupiditatem. Has porro furias excitari ab vltricibus Dæmonibus, vt atrocius, horribiliusque exagitetur anima, Platonis ſententia eſt: ſed quam comprobet etiam Plotinus, ac antea conſtituerat Orpheus; a quo hymno proprio Dæmona vltorem magnum celebrari nouimus.* Quæ certe non agnouiſſe non potuit Hippocrates, & non credidiſſe, qui ſeniorem ſe coluit Orpheum, antiquiſſimum & præcipuum Ethnicorum Theologum; quique prorſus hæc eadem fere propoſuit agens de Virginum affectionibus: vt nuperrime vidimus. De Furijs item conſimilia dicit Coynthus (k) Smyrnæus,

i 10. ant. lect. c. 9.

k l. 5. v. 423

Quæ confeſtim ad dirum Stygis amnem ſe recepit,
Vbi rapidæ verſantur Furiæ, quæ mortalibus
Superbis perpetuo diros immittunt angores.

& (l) mox,

l v. 470.

Quum homo ſit longe perditiſſimus: patiatur autem eos animi cruciatus,
Quos Furiæ decernunt hominibus
Flagitioſis: denique hæ etiam ceteris Argiuis
Exitiales pugnas, & lacrymarum plenos luctus. &c.

Itaque dum ſolis mulieribus ex menſtruo laborantibus terrore ſpectri, Dæmonisque per imaginationem, tam in vigilia, quam in ſomno viſi; tam interdiu, quam noctu conſpecti, curationem adhibet Hippocrates; non item viris, neque feminis menſtruorum ætatem non habentibus; aperte declarat, ſe terrorem eiuſcemodi curatione medica non attingendum in maribus, & feminis infantibus, ac vetulis, eſſe Panicum, & quoquo pacto diuinum, ſuperantem cauſas phyſicas. Eſt autem iſta diuinitas ad mentem Hippocratis in præſenti terrore magno, non aliunde quam a ſpectro Dæmoneve per imaginationem viſo; quia Dæmones & ſpectra diuinitatem quandam habere cenſuit Hippocrates cum vniuerſa Gentilitate; ſicuti conſtat ex ipſius epiſtola ad Philopæmenem data, ſuperius allata. Dæmonis autem, ſpectrique ſolam imaginationem terrores iſtos atroces inducere poſſe, patet vel ex eo, quod maxima vis eſt vehementis imaginationis: ſi enim phantaſia grauidæ feminæ corpus fætuum afficit, & præternaturam efformat, imprimendo figuram rei alienæ; quanto magis poterit proprium corpus afficere, ac alterare ad morbum? Verum enimvero morborum huiuſcemodi diuinitatem Hippocrates etiam eo nomine ponit, quod exuperat humana remedia, phyſicaque medicamenta; nam vbique ſolet humana contraponere diuinis,

Digitized by Google

tanquam ea quæ ſunt inferioris ordinis, ijs quæ continentur in ordine ſuperiori; ſicuti conſtat ex traditis in libro de ſacro morbo. Diuinitatem autem iſtam, cuiuſcunque modi fuerit, optimo iure præcipit Hippocrates in Prognoſticis, ante omnia prænoſcendam, atque perdiſcendam a Medicis eſſe, ne temere curationem eius aggreſſi, remedijs artis fruſtra cum damno patientis vtantur, & cum infamia medentum, & Artis Medicæ calumnia. Hoc igitur eſto diuinum ſextum Hippocraticum, pauor a ſpectro per imaginationem vehementiorem viſo.

Cacodæmonis maleficium ſeptimo loco ſignificari ab Hippocrate per diuinum in morbis. Cap. XV.

Septimum autem diuinum in morbis, a Medico præcognoſcendum Hippocratica iuſſione, mihi videtur eſſe, non imaginarium, ſed verum & reale Cacodæmonis maleficium; nam Ethnici Dæmonem quemque malum appellabant Deum, & experiebantur omnia mala, præſertimque morborum omne genus in homines ex odio trucem immittere. Porro Gentilitatem ab antiquiſſimis temporibus, præter Deos cæleſtes, quos beneficos venerabantur, ab ijs proſperitatem & bona ſupplicationibus ex amoris affectu depoſcentes: ob timorem etiam diuinis titulis & honoribus coluiſſe malos Dæmones, quos deos inferos appellabant, & ſacrificijs atque ſupplicationibus itidem mites propitioſque ſibi reddere ſatagebant, ne ab eis læderentur: &, ſiquando noxam aliquam ab ipſis accepiſſent, vt illimet ijdem malum, quod intulerant, auerterent; ab alijs ve fortis inferioris illatum, robuſtiores ipſi demolirentur; propterea paſſim Auerruncatores nuncupati: conſtat apertiſſime tum ex peruulgato Gentium decreto, quo conſtituebatur, autore in Antiquitatis profunditatibus deliteſcente, *Sacrificandum eſt malis Dæmonibus, ne noceant*; tum ex autoribus Claſſicis, tam ſacris, quam etiam profanis, quos vtroſque videre potuit Hippocrates; tum ſpeciatim ex ipſomet Hippocrate, ſententiam huiuſcemodi quandoque profitente. Profecto de primo locuples habemus Plutarchi teſtimonium, receptum ab antiquis, aſſerentis, (a) *Quæ vero feria & ſacrificia, tanquam atri dies & nefaſti peraguntur; in quibus cruda vorantur, diſcerpuntur homines, ieiunia & planctus adhibentur, ſæpenumero etiam obſcœna dicta, furóreſque & conclamationes bellicæ excitata cum fremitu & ceruicum iactatione: his ego nullum Deum coli puto, ſed placandorum & depellendorum malorum Geniorum gratia inſtituta ea dixerim. Et quod olim homines immolati fuerunt, probabile eſt neque Deos popoſciſſe, aut admiſiſſe talia ſacrificia. Neque reges tamen atque Duces fruſtra ſuſtinuiſſe dare pro hoſtia prolem ſuam, & ſacra ipſos fuiſſe auſpicatos, hoſtiamque iugulaſſe: ſed feciſſe hoc, vt iras & indignationes malignorum moroſorumque auerruncarent Geniorum, aut diris ſatisfacerent Dæmonibus: nonnullorum etiam inſanos & tyrannicos exſatiarent amores; qui quum non poſſent, aut non vellent corpore corpori miſceri, ſicut Hercules Oechaliam Virginis cauſa oppugnauit, ita validi violentique Dæmones illi poſcentes dedi ſibi animam humanam corpore incluſam, quum corporis commiſtione amorem ſuum non*

a de orac. defectu.

poſ-

poſſint explere, peſtes vrbibus, ac ſterilitates inferunt, belliſque eas & ſeditionibus
exagitant, donec conſequantur amatam animam &c. Gyraldo de Dijs gentium
agenti, (*b*) *Eſt Fabij Seruiliani Pont. Max diſciplina traditum, vt atro die parentare* b ſynt. 17.
Manibus non liceret, ne infeſti Manes fierent. & mox: *Legimus apud Eleos Pluto-*
nis Templum fuiſſe, quod ſemel tantum patefieri ſolebat: & quamuis pateret,
nulli tamen intrare licebat. Sicionij quoque ſemel quotannis Eumenidum, prope
Aſopum fluuium, diem ſacram peragebant. Rhodigino ſimiliter in antiquis
lectionibus, (*c*) *Erant & Dæmones quidam Dionyſiaci, qui nuncuparentur Coba-* c l. 2. c. 3.
lus, aſperi, & immites. Porphyrij relatu, (*d*) *Sapienti notiſſimum eſt, malos qui-* d 2. de ſacr.
dem Dæmones animalium oblectari victimis. Sed Sophocles in Tragœdia Phi- Dijs, &
loctetem inducit Neoptolemo porrigentem Herculis arcum, & ſagittas Dæm.
mortiferas, admonentemque vt Liuori ſupplicet infernali Dæmoni, ne ſibi
redderet arma illa damnoſa; dicens

„ Phil. *Age accipe, & Liuori ſupplica;*
„ *Ne tibi ærumnoſa ſint, quemadmodum*
„ *Mihi, & illi qui ante me habuit, fuerunt.*

Licet Neoptolemus mox imploret potius auxilium ſuperorum. De ſecundo
quoque teſtimoniorum genere nulla prorſus eſſe debet ambiguitas. Nam
hiſtoriam Moſaicam, & Iobi Prophetarumque volumina, quum legerint
Homerus, Pherecydes, Pythagoras, Hippocrate ſeniores: Empedocles
Hippocrati cozuus: & Plato iunior Hippocrate; certe ſacrorum bibliorum
lectionem Hippocrati nemo iure negauerit. De Pherecyde quidem, Pytha-
goricis, quin & Myſterijs Ethnicorum, ita ſcribit in propoſito Cœlius,
(*e*) *Nos in literis interim antiquioribus ab Pherecyde traditum obſeruauimus, Dæ-* e 2. ant.
monas olim cælo lapſos, quod noſtra (*f*) *continet doctrina, Ophionenmque nuncupatum,* lect. cap. 7.
hoc eſt Dæmouscum ſerpentem, qui anteſignanus fuerit agminis, ab diuinæ mentis pla- f Iob 40. 41
cito deficientis. In Myſterijs exploratum illud quoque: Iouem quandoque Dæmo- Iſaiæ 14.
nes inferiores ad inferna deturbaſſe. Adde quod & Pythagorica doctrina hoc ipſum Icã. Apoc.
opertius referre animaduertitur, dum fractis alis animam labi e cælo fingunt; inque 6. 8. 9. 12.
nouem diſtribuunt gradus, tanquam nouenarium Angelorum chorum. De Em- 13. 16.
pedocle vero (*g*) Plutarchus, & ex eo Cœlius: (*h*) ille quidem, *Neque datur* g de vitan.
effugere in paſcua illa & prata, ſed vagantur, ſicut illi Empedoclæi Dæmones, ære al.

Siue Genij, Deorum ira impulſi, ac cælo deturbati, h l. 2. c. 7.
Aetheris hos almi vis in maris abijcit vndas:
In terram eructat pontus: Titanis ad orbem
Subuectat tellus: in vaſta volumina magni
Aetheris impellit Titan.

ita alius ex alio excipit fœnerator, aut negociator: iam Corinthius, modo Patrenſis,
mox Athenienſis, donec ab omnibus oppreſſus vi fenerum, tandem diſſipetur, ac in mi-
nutias quaſi diſcerpatur. Cœlius autem, (*i*) *Quin & in ſermone, qui eſt de fœno-* i loc. cit.
re, Plutarchus, Empedoclem eiuſmodi Dæmonum lapſum noniſſe, ſignificat, vbi ait,
ſemel fœnore illaqueatum, euadere non poſſe, verum oberrare, perinde ac Dæmones
a Deo fugati, eque cælo dati in præceps apud Empedoclem, quos æther ad maris ima de-
turbarat, illo ad terram reiectante, hacque rurſus extimulante in altum, qui illinc
mox alio contruderentur. De Homero Cardinalis Beſſario ſic ait, (*k*) *Lucife-* k l. 3. c. 7.
rum

rum vero illum ſua culpa eiectum in terram e cælo; execrandumque eſſe, illiquoque dulicerunt ab Homero ſuo Theologo; qui ſiue beneficio quodam naturæ; ſiue Moyſis prophetæ ſcriptis, carmine ſuo expoſuerat lapſum Luciferi; quem ille Atan appellat. Id certe nullo naturæ beneficio ſupernaturale myſterium noſſe potuit Homerus; at ſolum e ſacris prophetarum voluminibus, & ex Eſaiæ prophetia

l cap. 14. potius, quam ex hiſtoria Moſaica; quum apertiſſime dicat Eſaias, (*l*) *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris: corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes; qui dicebas in corde tuo: In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum: ſedebo in monte teſtamenti in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo. Veruntamen ad infernum detraheris, in profundum laci. Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque proſpicient. Nunquid iſte eſt vir, qui conturbauit terram, qui concuſſit regna, qui poſuit orbem deſertum, & vrbes eius deſtruxit, vinctis eius non aperiens carcerem? omnes reges gentium dormierunt in gloria, vir in domo ſua: tu autem proiectus es de ſepulchro tuo, quaſi ſtirps inutilis, pollutus, & obuolutus cum his qui interfecti ſunt gladio, & deſcenderunt ad fundamenta laci. Quaſi cadauer putridum non habebis conſortium, neque cum eis in ſepultura. Tu enim terram tuam diſperdidiſti, tu populum tuum occidiſti. Non vocabitur in æternum ſemen peſſimorum* &c. Neque de caſu Luciferi quidquam in hiſtoria Moſaica, vel obſcuriſſimum habeas: Quum ta-

m 2. lect. ant. cap. 7. men Cœlius collaudet Beſſarionis dictum, aſſerens, (*m*) *Verum & illud ſingulari dignum animaduerſione, Poetarum principem Homerum, Beſſarionis calculo, dignitate Cardinalis, doctrina vero & Claſſici & Eminentiſſimi: Ates nomine, quam interpretamur noxam, vel detrimentum, Luciferi de cælo lapſum, vel naturæ eminentioris ſublimitate, vel quod Moſaica introſpexiſſet modo aliquo ſacraria, neſcientibus præmonſtraſſe, quum Iliades vndecimo ita canit de ipſa hac Ate, Oſ-*

n 19. Iliad. *æpon* &c. ſed præſtat paulo plura carmina referre, quibus ait Homerus (*n*) ibi de Ioue,

„ *Illico autem corripuit Aten capite nitentibus capillis ornato,*
„ *Iratus animo ſuo, & iurauit firmum iuramentum,*
„ *Nunquam in Olympumque & cælum ſtellatum*
„ *Rediturum Aten, quæ omnes infortunio afficit.*
„ *Sic fatus, eiecit a cælo ſtellato*
„ *Manu ſua rotans; mox autem peruenit ad opera hominum.*

Sed qui nunc ait Homerus, Cacodæmonem a ſummo Deo eiectum de cælo, vbi fuerat ſpecioſiſſimum caput Angelorum: præcipitatum vero, vnde nunquam rediturus erat in cælum ſtellatum, ſcilicet in locum beatorum ſpiri-

o Apoc. 12. tuum, deſignatorum nomine ſtellarum; quarum (*o*) tertiam partem draco de cælo corruens vna ſecum traxiſſe dicitur in terras: hominibus autem in terris omnia prorſus inferre mala & infortunia: multo prius idem poeta de ſpiritu eodem malo dixerat,

p 9. Iliad. (*p*)„ *Etenim Litæ* (ideſt Preces) *Iouis filiæ magni,*
„ *Claudæque, rugoſæque, ſtrabæque oculis,*
„ *Quæ poſt Aten curant euntes.*
„ *Ate vero robuſtaque, & pedibus integra: ideo omnes*
„ *Longe præcurrit: antieuertit autem omnem per terram*

Le-

„ *Lædens homines: illa vero medentur poſtmodum.*

Quæ quidem omnia videtur Homerus tum ex (*q*) Eſaia, tum etiam ex libro *q* cap. 14.
(*r*) Iobi deſumpſiſſe, vbi Luciferi pulcherrimi natura, deformati ab ſemet *r* cap. 1. 2.
ob culpam, deiectio de cælo ponitur; qui rabie percitus in homines om- 40. 41. 42.
nia genera noxarum, morbosque potiſſimum immittat; & ad homines vbi-
que lædendos terram perambulans perniciſſime circumeat. Qui ſi malis
afflicti, cum lacrymis ad preces confugiant ante Deum proſtrati, in oratio-
ne, ieiunijs, & fletu perſeuerantes, demum exaudiuntur, & ab omni noxa,
moleſtia, detrimentoque liberantur, bonisque remunerantur omnigenis.
Verum quam Homerus Aten ſegniore ſexu dixit, quod & Pythagoras fecit,
in genere principiorum malorum feminam ponens: Alij nuncuparunt Atyn
formoſiſſimum Iuuenem, a Cybele Deorum matre adamatum, qui Dea of-
fenſa, ſemetipſum euirauerit; alludentes ad Luciferi culpam, qua ſemetipſum
ineptum reddidit bonis operibus producendis; qui ante culpam fuerat in-
teger, atque fecundus; nimirum ante peccatum, offenſam Diuinæ Mentis,
ipſum in primo innocentiæ ſtatu pulcherrimum adamabat, Mater omnium
Deorum, quod Mens Diuina cunctos Angelorum ordines ex nihilo creaue-
rit. Hanc autem fuiſſe Veterum, ſacra volumina tantumnon aliquando
peruertentium, ab ſe non ſatis intellecta, vel fabularum inuolucris conſulto
multitudini velata, ſatis videtur innuere (*ſ*) Plotinus, cui *Si quid autem ma-* *ſ* en. 3. l. 6.
ter tribuit genito, non qua ratione materia eſt, ſed qua ſpecies eſt, dare cenſetur. Sola cap. 19.
enim ſpecies eſt fecunda, natura vero altera ſterilis. (nimirum informis turpis-
que materia.) *Hinc priſci, vt arbitror, ſapientes in ſacris myſterijs id ſubobſcure ſi-
gnificantes, antiquum Mercurium introducunt,* Deum ſuperum, *inſtrumentum
generationis ad operis effectum ſemper habentem: generantem vero in ſenſu declaran-
tes eſſe intelligibilem rationem: ſterilitatem vero materiæ ſemper idem manentis,
oſtendentes per illam quæ circa ipſam ſterilia diſponuntur.* Vnde patet, antiquos,
& Homerum ſpeciatim legiſſe Biblia ſacra, peculiariterque Iobi, Eſaiæ,
(*t*) Zachariæque volumen, in quo de Luciferi caſu, deque Satan hominibus *t* cap. 3.
morbos, & aduerſitates, noxasque ac detrimenta inferente, luculenter agi-
tur: etſi vel conſulto deditaque opera ſententias diuinas fabulis operuerint,
vel non plene diuina ſenſa percipientes erroribus deformata, nominibusque
mutilatis, ac omnino peruerſis myſteria ſacra tranſtulerint in ſua ſcripta:
ſic facile Satan, qui ſignat Aduerſarium, & pro diabolo ſumi ſolet, ac pro
eius corpore, quod eſt multitudo malorum; vt obſeruat Autor Syluæ Alle-
goriarum; Homerus appellat Atan, vt ait Beſſario, detracta literula ſigma:
vel Aten; qui noxam ſignat, & detrimentum; quum idem omnino ſint
noxa, detrimentum, aduerſitas, & malorum multitudo; quorum omnium
hominibus autor & machinator eſt Satan e cælo deturbatus a Summo Deo.
Platonem vero Moſaica legiſſe, nemini dubium eſt; ſat erit ad hoc proban-
dum, multis alijs omiſſis, afferre teſtimonia Beſſarionis atque Ficini; ſcri-
bit iſte quidem in Sympoſio, (*u*) *Concludemus denique concordiam inter Moyſen* *u* cap. 34. f.
*& Platonem, quem Numenius alterum cognominat Moyſen: Quod enim Moyſes ait,
In principio fecit Deus cælum & terram: Plato ait, Deus primo ignem fecit & ter-
ram, ignem intelligens præcipue cælum. Principio enim in ſphæra Mundi centrum*

con-

conſiderauit & ambitum: reliqua horum gratia interiecit. Beſſario vero, Plato-
x l.2.c.8. nis verba referens, dicit, (*x*) *Atque hæc inquit, eſt iuſtitia Deorum ſuperum,*
„ *quam nemo vnquam vitare poteſt. Nec eſt quiſquam vel humilitate ſua ita humi de-*
„ *fixus, vel excellentia ita in cælum erectus, vt eam diffugere potens ſit. Vos, qui Deos*
„ *humana curare minime putatis, ſic habetote: Nullum locum Dijs immortalibus in-*
„ *cognitum: nullum inexploratum eſſe. Quod ſiue hic manſeritis: ſiue profundiſſi-*
„ *mas terræ cauernas ſubieritis: ſiue aliud quoduis diffugium atque latibulum quæ-*
„ *ſieritis: haudquaquam latere poteritis diuinum illum oculum, æternum, atque per-*
y 10. de leg. *uigilem: nec pœnas vobis iuſte debitas euitare.* (*y*) *Hæc Plato ijſdem fere verbis,*
circa f. *quibus Dauid noſter diuinus propheta locutus eſt: Quo ibo a ſpiritu tuo: & quo a fa-*
cie tua fugiam? Si aſcendero in cælum, tu illic es: Si deſcendero in infernum, ades.
Adiungere poterat ſequentia Pſalmographi, ad maiorem ſententiæ Platoni-
cæ cum Dauidica ſimilitudinem, & congruentiam, concordantiamque de-
z pſ. 138. monſtrandam; (*z*) *Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauere in extremis*
maris. Etenim illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua. Et dixi,
forſitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in delitijs meis: Quia te-
nebræ non obſcurabuntur a te, & nox ſicut dies illuminabitur: ſicut tenebræ eius, ita
& lumen eius. Quum igitur Biblia ſacra vetuſtioribus paſſim, etiam ethnicis
communia, legerentur, ſpeciatim vbi de malo Dæmone tractant; iam Hip-
pocrates, apud antiquos vir multæ lectionis, non potuit Iobi volumen, vt
a cap. 3. & alij plurimi, non euoluiſſe, ac in eo non legiſſe, quod (*a*) *Egreſſus Satan a*
facie Domini, percuſſit Iob vlcere peſſimo, a planta pedis vſque ad verticem eius: Qui
teſta ſaniem radebat, ſedens in ſterquilinio. Sed & alibi ſontem hominem a ma-
b 1. Reg. 16 lo Dæmone vexatum epilepſia legere potuit, (*b*) Quia *Spiritus Domini receſſit*
a Saul: & exagitabat eum ſpiritus nequam. & mox, *Igitur quandocunque ſpiri-*
tus Domini malus arripiebat Saul, tollebat Dauid citharam, & percutiebat manu
ſua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat. Recedebat enim ab eo ſpiritus malus.
Aſt aliquando malus ille Dæmon adegit miſerum Saulem ad tantam inſa-
niam, vt euibrata lancea benefactorem ſuum interficere tentauerit; nam in-
c cap. 18. fra legitur; (*c*) *Poſt diem autem alterum inuaſit ſpiritus Dei malus Saul, & pro-*
phetabat in medio domus ſuæ: (inſaniens nimirum; etenim Lyrano, *hic non ac-*
cipitur prophetia proprie, ſed tanquam denominatiue, quia aliena tanquam arreptitius
loquebatur, videlicet inſaniens a Dæmone:) *Dauid autem pſallebat manu ſua,*
ſicut per ſingulos dies. Tenebatque Saul lanceam, & miſit eam, putans quod confige-
re poſſet Dauid cum pariete. Et declinauit Dauid a facie eius ſecundo. Ex quibus
locis Hippocrates, vt ethnici Scriptores alij, colligere potuit a malis Dæmo-
d Qu. Rō. nibus morbos in homines immitti; nam apud Plutarchum, (*d*) *Qui Chry-*
51. *ſippum ſectantur Philoſophi, dicunt oberrare quoſdam malos Genios, quibus loco car-*
nificum Dij vtantur in puniendis flagitioſis & impijs hominibus: ita Lares Genios
quoſdam eſſe diros, ac Furiarum naturę affines, ad puniendum factos; qui in vitas,
e de cohib. *& familias hominum inſpiciant.* & alibi, (*e*) *Itaque etiam Deorum Regem Meli-*
ira. *chium, quaſi mitem & blandum. Athenienſes Memacten, puto, vocant: at ſupplicia*
exigendi vis, non diuina, non cęleſtis eſt, ſed Furijs, & Genijs conuenit. Ita plane
non deuians a communi Gentilium ſententia Gentilis Hippocrates, a ma-
lis Dæmonibus homines tum alijs noxis, tum maxime morbis infeſtari cre-
didit.

Digitized by Google

didit. Quoniam vero morbi huiuſcemodi non curantur artis medicæ remedijs; ideo mentem ad eos etiam habens Hippocrates, iubet Medicis, vt obſeruent, an in morbis inſit aliquod diuinum. Et certe qui Dæmones æuo Chriſti Domini paſſim homines morbis angere conſueuerunt; vt eſt apud (*f*) Euangeliſtas: Quique mali ſpiritus antea multo, temporibus Iobi, & *f* Matth. 4.
Saulis, vtrumque morbis torquere viſi ſunt; illum vlcere corporis vniuerſi, 8.9.10.12.
hunc epilepſia, furoreque mentis ac inſania: ijdem Cacodæmones tempeſta- 15.17.
te Hippocratis infirmitates in humanum genus immiſiſſe, nemo recte nega- Marc. 1.3.9
uerit: ſicuti nec eorum morborum violentiam artis medicinæ præſidijs inui- Luc. 4.6.9.
ctam fuiſſe, ac penitus incurabilem: nec vllus inficias ire poterit, ad manus 11.
Hippocratis ægritudinum eiuſmodi plures perueniſſe. Quare de illis etiam ſub titulo diuinorum mentionem fecit in Prognoſticis optima ratione Cous. De tertio denique duplex habemus luculentum Hippocratis ipſius teſtimonium: vnum quidem eſt, quo ſcribit, (*g*) agens cumulate, ac ex profeſ- *g* lib. de
ſo de ſomnijs ægrotantium, *At de ſignis quidem ſiderum caleſtibus, ſic ſtatuere,* Somn.
& conſilio prouidere: ad idque victus rationem dirigere oportet: & Dijs ſupplicationes decernere; ad res quidem proſperas, Soli, Ioui caleſti, Ioui Cteſio, Mineruæ Cteſia, Mercurio, Apollini: Ad aduerſas, Dijs Auerruncatoribus, & Telluri, & Heroibus, vt grauia omnia auertant, & auerruncent. Sane dum præſidijs artis medicæ non fidens, ægrotantibus imperat Hippocrates ipſe ſupplicationes, tam ad Deos Superos, vt proſint, bonum ſanitatis afferentes; quam ad Inferos, vt malum, ab ſe iratis illatum, placati auerruncent; cenſens aliquid in morbis aliquando reperiri diuinitus a malo ſpiritu patratum; quod extinguere valeant tum Dij Superi Inferis imperantes, tum Inferi Dij placati ſupplicationibus, & exorati; monet hocce diuinum a Medico prænoſci, ne fruſtra remedia medica præſcribat: ſecus enim morbos in ſe tale diuinum non habentes medicamentis tractaſſet Medicus Hippocrates Medicorum pater peritiſſimus, non autem ſupplicationes remediorum medicinalium loco præſcripſiſſet. Huiuſcemodi vero ſupplicationes Dijs tam cæleſtibus bonis, quam inferis malis, facere conſueuiſſe veteres, & ad proſpera conſequenda a ſuperis, & ad aduerſa vitanda, malaque deponenda, ab inferis, vt ait Hippocrates, apertiſſimum eſt in Antiquiorum lectione verſatis; nam ſupplicationes ad impetranda bona ſuperis factæ frequentiſſimæ ſunt. Sed quis etiam apud Homerum, & Orpheum non vidit, hymnis peculiaribus preces adhibitas malis Dæmonibus, ne ab eis læſio contingat? Homerus hymno precatur tum Cererem, atque Proſerpinam, quam Plutonis infernalis coniugem opinabatur: tum Vulcanum, quem Dæmonem de cælo præcipitatum a cæleſti Numine credidit antiqua Gentilitas omnis. Orpheus etiam malis Dæmonibus hymnos cecinit, ſupplicans eos, ne ſibi nocerent: ita Dæmonibus prauis, aera tenebroſum incolentibus, & homines nunquam non laceſſentibus, vt ait D. Paulus, (*h*) Noctis nomine ſignatis, ſupplicat *h* Epheſ. 6.
Lampadibus: Typhonem item Dæmonem ſubterraneum, tartareumque, Plutonem quoque ſacrificio ſibi propitios reddere conatur: Perſephonem pariter deam infernalem alio ſimiliter hymno ſibi benignam precatur: Titanes itidem veneratur Dæmones e cælo ſub terram depulſos, quos orat vt

iram grauem auertant: Præterea Corybantem, magnum terræ Dæmonem vocat, & precatur, vt difficilem auertat iram: Cocyti pariter habitatorem Mercurium terrenum, quem ait animas ad Orcum deferre, ſupplicat vt ſibi ſit propitius Dæmon: ac denique Furias ipſas Infernales hymno non vnico ſibi ſupplicanti placidas efficere conatur; vt apparet vnicuique poeſes eorum legenti. Sic igitur Ethnicorum Theologi veteres atque ſupremi, Homerus, & Orpheus, ſupplicationes habere paſſim conſueuerunt Dijs, tam cæleſtibus, quos Superos dicebant; a quibus bona ſibi precabantur: quam Inferis, quos Dæmones malos eſſe cenſebant; orantes ipſos, ne ſibi malum inferrent vllum, & illata mala vel ab ſe, vel ab alijs inferioris ordinis, vt auerterent, & auerruncarent. Ab his edoctus Hippocrates, ægrotos, quibus à Medicina nullum præſtari poſſe præſidium phyſicum agnouit, monet vt ſupplicent Dijs cæleſtibus pro conſecutione ſanitatis, nec non & inferis pro morborum auerruncatione. Quem morem, quaſi locum Hippocratis illum

i 4. Georg. reſpiciens, antiquitatis cultor eximius ille Virgilius (i) attingit hiſce verſiculis,

In tenui labor: at tenuis non gloria: ſi quem
Numina læua ſinunt, auditque vocatus Apollo.

aperte ſignificans, vt obſeruant cum Seruio reliqui, mortales inuocare Deos cæleſtes ad bona ſuſcipienda; ſupplicare Dæmonibus malis, ne noceant.

k 1. noct. Att. c. 17. Ita ſane de propoſito ſcribit A. Gellius, (k) *Propterea Virgilium quoque aiunt, multæ antiquitatis hominem, ſine oſtentationis odio peritum, Numina læua in Georgicis deprecari, ſignificantem quandam vim eſſe huiuſmodi Deorum in lædendo magis, quam in iuuando potentem. Verſus Virgilij ſunt* nuper allati. *In iſtis autem Dijs, quos placari oportet, vti mala a nobis, vel a frugibus natis amoueantur, Auer-*

l lib. 1. c. 17 *runcus quoque habetur, & Robigo*: Sic etiam Mythologus adnotat, (l) Gentiles Dijs cæleſtibus olim ſacrificaſſe, vt ab illis bona ſuſciperent; malis autem Dæmonibus, ne ſibi nocerent, malaque mortalibus ab ſe illata, vel ab alijs minus potentibus Dijs, depellerent, & auerruncarent. Quod & Hip-

m de Inſomn. pocrates apertiſſime facit, inquiens, (m) *Oportere Dijs ſupplicationes decernere: ad res quidem proſperas* (nimirum ad præſidiorum ſalutarium agnitionem, & adeptionem; nec non & ad ſanitatis aſſecutionem, conſeruationemque) *Soli, Ioui cæleſti, Ioui Ctesio, Mineruæ opulentæ, Mercurio, Apollini: Ad aduerſas vero res* (depellendas, & auerruncandas, vt puta mortem, aut ægritudinem periculoſam, diuturnamve) *Dijs Auerruncatoribus, & Telluri, & Heroibus, vt grauia omnia auertant, & auerruncent.* Hippocrates hoc in loco certe Deos beneficos enumerat a Gentilibus appellatos Superos, Iouem, Mineruam, Mercurium, Apollinem, Solem: maleficos, aduerſoſque, ac malorum ab ſe, vel ab alijs illatorum, Auerruncatores, auerſoreſque multos, ac ſpeciatim Tellurem, & Heroes: Nimirum Tellus dea colebatur antiquitus inter inferna

n l. 3. ſe. 1. ægr. 1. numina: cuius templi meminit Hippocrates (n) Epidemia tractans; etenim Gyraldo de Dijs Gentium agenti, (o) *Tellurem, & Tellumonem, Proſerpinam*

o ſynt. 2. *quidam & Plutonem interpretantur*: adeoque principes malorum Dæmonum

p ſynt. 1. infernalium. Sed M. Varro, eiuſdem Gyraldi relatu, (p) ſcribit, *Inter Lunæ gyrum, & nymborum, ac ventorum cacumina, aereas eſſe animas: ſed eas animo, non*

ocu-

oculis videri, & vocari Heroes, & Laruas, & Genios. Platonici veteres, animas
virorum illuſtrium, corpore nudatas, in aere degentes, appellant & Heroes,
& Dæmones peregrinos: ita Plato(*q*) ex Heſiodo, (*r*) Poſidonius, (*ſ*) Proclus, *q* in Cra-
Maximus(*t*) Tyrius. Dicuntur Heroes a Iunone, quæ Græcis Hera nuncu- tylo.
patur, quod Iunonis nomine ſignetur Aer, in quo cum Dæmonibus pluri- *r* de He-
mis, in eum locum e cælo præcipitatis, multi commorentur ab ijs cruciati, roib.
vagique ferantur Ethnicorum Heroes. Quam ſententiam innuere videtur *ſ* in com.
D. Paulus inquiens, (*u*) *De cetero fratres conſortamini in Domino, & in potentia* Alcib.
virtutis eius: induite vos armaturam fidei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias Dia- *t* ſerm. 27.
boli; quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus *u* Epheſ. 6.
principes & poteſtates, aduerſum mundi rectores tenebrarum harum: contra ſpiritua-
lia nequitia in caleſtibus. Dæmonibus itaque malis aerem hunc apud nos im-
purum, atque terram incolentibus, procul a cælo, & Auerruncatoribus
Euerſoribusque Dijs appellatis, vbi morbus aliquis ab eis immiſſus homi-
nem inuaſerit, Hippocrates Medicinæ parens, artis propriæ remedijs ante-
ponit ſupplicationes cum cæleſtium Numinum, tum etiam infernorum Dæ-
monum: nam etiam Virgilius Ethnicus, ſub iratæ Iunonis perſona dicit,

Flectere ſi nequeo Superos, Acheronta mouebo. *x* Aen. 7.

Sed melius Hippocrates, ad imploranda bona, Superis adhibendas eſſe ſup-
plicationes ait; verum ad pellenda, & auertenda mala, Dijs inferis, malorum
plerumque ab ſe inflictorum, vel ab inferioris Dæmonis maleficio, nimirum
Auerruncatoribus Euerſoribusque Dijs, Telluri, & Heroibus; qui ſunt om-
nes Genij mali, & Cacodæmones: his inquam, dicit eſſe ſupplicandum, vt
æger a morbo liberetur. Athenæus enim Heroum vim declarat(*y*) terribi- *y* lib. 11.
lem, ſed magis noctu, quam interdiu. Plutarchus ait, (*z*) Romanos, *ſicut de* *z* Qu. Ro.
menſibus primum Dijs caleſtibus conſecrarunt; ſecundum Dijs Manibus; quo menſe 25.
& luſtrationes quaſdam peragunt, quod defunctis parentant: ita etiam dierum initia
quaſi & principes ſtatuiſſe tres eos, quos diximus cuiusque menſis, feſtosque hos dies
& ſacros eſſe voluiſſe: proximos autem ab his, Dæmonibus, & vita defunctis deſti-
nauiſſe; nefaſtosque & ad agendum ineptos eſſe iuſſiſſe: Nam Graci etiam in Noui-
lunio Dijs rem ſacram facientes, proximum ab eo die Heroibus, ac Genijs addixe-
runt; cæterumque ſecundus Heroibus, Heroinisque miſcetur. Hunc ordinem
Hippocrates in propoſito ſeruans, iubet in morbis, in quibus aliquid eſſe di-
uinum exiſtimat, aut ſuſpicatur, ab ægrotante ſupplicationes fieri, primum
quidem Dijs cæleſtibus, Ioui, Mineruæ, Mercurio, Soli, Apollini: deinde vero
Telluri, quæ Veſta quoque dicebatur antiquis, vt ait(*a*) Plotinus, & Heroi- *a* en. 4. l. 4.
bus, & alijs huiuſcemodi Dijs inferis Euerſoribus, Auerruncatoribusque. cap. 27.
Quos Timæus ille Locrus, antiquiſſimus autor (a Platone tantummodo in ſuo
Timæo tranſcriptus, certe commentatus, vt ita dixerim) ait eſſe pernicioſos,
fraudulentosque Dæmones(*b*) terreſtres, hominibus infeſtiſſimos. Alterum *b* lib. de
vero teſtimonium Hippocratis eſt quo peragens alibi de morbis virginum vniu. nat.
mulierum, quos oſtendit eſſe a menſtrui ſanguinis retenti malo motu, proin- in f.
deque a cauſa phyſica, reprehendit ethnicos ſacrificulos, deceptores femi-
narum, dum eas ab inſania matricali, terroribusque vterinis conualeſcentes,
iubent pretioſiſſima donaria Dianæ conſecrare, dicens, vt ſupra quoque no-

c de morb. virg.

tatum eſt, (c) *De terroribus, ex quibus vehementer homines perterrentur, adeo vt deſipiant; & interdum quidem noctu, quandoque vero interdiu, vtroque etiam quandoque tempore, Dæmonas ſibi infeſtos videre ſe exiſtiment. Deinde ex huiuſmodi viſione iam ſtrangulati ſunt multi, & mulieres plures, quam viri, quod muliebris natura animi magis ſit demiſſi & puſilli. At virgines, quibus prope nuptiarum tempus inſtat vt viro coniungantur, illud ſub menſium deſcenſum magis experiuntur: cum antea his malis non admodum conflictarentur.* & mox, *Quæ quum ita ſe habeant, ob acutam quidem inflammationem inſanit, ob putredinem clamat, ob caliginem terretur & timet, ob oppreſſionem vero, quæ circa cor eſt, ſuffocationem ſibi parant, ob ſanguinis autem vitium animus anxietudine & impotentia conflictatur & malum contrahit: Quin etiam alium horrendum in modum appellat, & in puteos deſilire ac præcipitare, ſeſeque ſtrangulare iubent, velut hæc præſtantiora ſint, omnemque vtilitatem excedant. Interdum vero citra ſpectra voluptas quædam mortis, tanquam boni cuiuſdam expetendæ inceſſit* (quod antea vidimus in Virginibus

e de virt. mul.

Mileſijs apud (e) Plutarchum.) *Redeunte autem ad mentem homine, mulieres cum alia multa, tum vero etiam pretioſiſſimas veſtes muliebres Dianæ conſecrant, a vatibus id iubentibus deceptæ. Verum ad huius mali liberationem curatio eſt, ſi nihil ſanguinis effluxum impediat. Equidem virginibus ſuadeo, quibus tale quid accidit, vt citiſſime cum viris coniungantur: ſi enim conceperint, ſanæ euadunt. Quod niſi fiat, vna cum pubertate, aut non ita multo poſt, his tentabuntur, niſi viro iungantur. Ex mulieribus vero quæ viris iunctæ ſunt, ſterilibus iſta magis contingunt.* Hippocrates igitur, qui nunc aſpernatur, & improbat donaria Dijs oblata, deceptu ſacrificulorum extorta in conualeſcentia mulierum, ex vteri morbo prius inſanientium, & Dæmonum ſpectra quandoque ſe videre dicentium, quibus adiguntur ad præcipitia, ſuſpendia, ceteraque talia genera mortis horribilia; quod in hiſce morbis recognoſcat cauſam phyſicam; nempe ſanguinem menſtruum corruptum, humoremque ſpermatis effluere geſtientem, & impeditum: Quibus affectibus vterinis præſidia medica præſcribit ſanguinem e matrice ducentia, phlebotomias nimirum, & venereos congreſſus, procul ab omni ſacrificij, donarij, ſupplicationumque genere: Iam dum alibi de Somnijs agens, non ſemel ad curandos ægrotantes, humanis remedijs & artis medicæ præſidijs fere valere iuſſis, imperat vt fiant ſupplicationes Telluri, Heroibus, & alijs Dijs inferis Auerruncatoribus; dubio procul aliquos morbos eſſe putauit Cacodæmonis maleficio mortalibus inflictos, quos artis medicæ præſidijs minime cedentes, humaniſve remedijs, aboleri poſſe cenſuit donarijs, & ſupplicationibus Dæmonum etiam inferorum; nam ex antiquis Ethnicis, obſeruatu Ficini apud (f) Plotinum conſtabat, *Deam Tellurem eſſe animam Terræ*, hancque *non ſolum Cererem atque Veſtam, ſed etiam Plutonem cum Proſerpina coeuntem.* Ceterum non raro malus Dæmon præſtigijs illudens aperte ſenſui, mortales aliqua parte mutilatos, vel quomodocunque ſecus a naturali ſtatu deformatos, viſui, tactuique repræſentat; quorum innumeræ tam apud antiquos, quam apud (g) noſtrates proſtant hiſtoriæ. Sed frequentiſſime ſine ſenſuum illuſione Dæmon omni tempeſtate, ſemper hominibus infenſus, eos varijs ægritudinibus vere conſueuit infeſtare. Quibus tam apparentibus, quam veris morbis, adoratio-

f com. in en. 4. l. 4. c. 27.

g Cæſalp. Dæm. inu. Perip. c. 9.

ne (cuius ob ſuperbiam auidiſſimus eſt) Dæmon ſupplicitet inuocatus opportuna remedia pridem oſtendebat varijs aut inſomnijs, aut Idolorũ oraculis: nec non etiam ſubitariam aliquando ſanitatem, ſeu remotione præſtigij, ſeu clãdeſtinis præſidijs opportunis afferebat; vt a Gentilitate pluſquam nimium credula, & (*h*) ſuperſtitioſa Deus haberetur, & velut omnipotens coleretur, metuereturque tyrannica Diuinitas ipſius. Ita paſſim a malis Dæmonibus homines illi miſeri Ceriti fiebant, lymphati, lunatici, panici, fanatici, & alijs quibuſque morbis afficiebantur; quos dicebant ab Hecate, Furijs, Tellure, Tellumone, Genijs, Heroibus, ceteriſque prauis ſpiritibus infeſtari; quos Cacodæmones eſſe placandos hoſtijs, donarijs, & ſupplicationibus afferebant, vt & (*i*) Hippocrates allato loco, ne ſæuirent amplius, aſt infirmitates auerterent, morboſque prius ab ſe, vel ab alijs illatos, ipſi potentiores auerruncarent. Et licet vates ethnicorum plerumque credulas gentes deciperent, aſſerentes, etiam morbos a cauſa phyſica productos, a Dæmonibus immiſſos eſſe, vt hoſtias & donaria lucrarentur; quod admonet (*k*) Hippocrates, eorum auaritiam damnãs; tamen dum imperat (*l*) ſupplicationes Telluri, & Heroibus, Dijſque Auerruncatoribus; aperte concedit, atque plane ſupponit, morbos aliquando mortalibus immitti Cacodæmonum maleficio. Sic igitur Hippocrates inter alia diuina, Medico prognoſticum habituro præcognoſcenda num inſint in morbis, indicat ſeptimo loco maleficium Cacodemonis, quomodocunque torquentis homines; tunc enim Medicus ad eiuſcemodi morborum curationem accerſitus, Hippocratis præſcripto ſimul & exemplo, debet ægrotantibus imperare potius Numinis ſupplicationes, quam artis Medicæ præſidia fruſtra præſcribere.

h D. Paul. in act. Ap. c. 17.

i de ſomn.

k de morb. virg.

l de ſomn.

Hactenus e meo penu deprompſi ſeptem diuinorum genera, quæ mihi perſuadeo pridem Hippocratem reſpexiſſe, dum in Prognoſticis imperat, vt Medici prænoſcant, vtrum in morbis inſit aliquid diuinum; hæc autem ſunt, Diuinatio medica, Somnium diuinatorium, Ecſtaſis ſtudioſa, Furor afflatusve diuinus, Animi pathema vehemens, Viſio ſpectri terrifici, & Maleficium Cacodæmonis.

Mercurialis de Dæmonibus, a priſcis Medicis cognitis, placita de propoſito conſiderantur. Cap. XVI.

Iſta iam exaraueram, quum ad manus forte venerſit Cl. Mercurialis Conſultationes, in quarum vna leguntur hæc ad verbum, (*a*) *De diuino apud Hippocratem, & vtrum veteribus Medicis nota fuerit Dæmonum natura, a pleriſque Medicis abſolutiſſime tractatum eſſe ſcio. Et Io: Baptiſta Codronchius nuperrime quatuor libros de huiuſmodi morbis maleficiorum edidit, qui magna ex parte ſatisfacient. Ego autem, quod alias ſæpe & in Auditorijs docui & ſcriptis tradidi, eſt, diuinum apud Hippocratem eo in loco aliter accipiendum eſſe, quam in primo de morbis muliebribus libro, vbi eius ſexus ægritudines aliquid diuini habere dixit; quo pacto etiam videtur locutus Ariſtoteles in libris de generatione animalium, quando dixit, in omni rerum generatione aliquid diuini latitare. Quod etſi non diffiteor*

a tom. 5. conſ. 130.

poſſe

poſſe quoque ad cæleſtes naturas, aeriſque conſtitutionem referri: attamen ſi (quod videtur Valeſio quoque placuiſſe) ſub diuini nomine quicquid arcani, & mentem humanam latentis in rebus eſt, complectamur, haud a ratione & ſcriptorum vſu recedemus. Et certe non ſatis mirari deſino, nonnullos vſque adeo proprietatum & effectuum occultorum oſores eſſe, vt etiam ſe ſe pectora Deorum poſſe rationibus euidentibus penetrare, audeant dicere. Dæmones, & eorum a Theologis Chriſtianis cognitas & prædicatas naturas, Medicis antiquis innotuiſſe, neque affirmo, neque abnuo; Id ſane perſuaſum habeo, in morbis faciendis & curandis paucam vim ipſis tribuiſſe. Et Auicenna omnium pene recentiſſimus, dum melancholiæ vim tractaret, dixit eam a vulgo Dæmonem exiſtimari, quaſi huiuſmodi popularem opinionem irrideret. Quæ Viri Cl. placita me retrahere nequeunt a propoſitis; nam ſiquidem nec opus Codronchij, nec abſolutiſſima tractatio de Dæmonibus, & eorum maleficijs, an pleriſque Medicis edita (niſi Cæſalpini Dæmonum inueſtigationem Peripateticam intelligat) ad meas vnquam peruenit manus: Ita quæcunque ſuperius exaraui de propoſito, prodierunt e meo condo; quod nouerit vnuſquiſque conferens iſta mea cum Cæſalpinianis, & alijs Codronchij, reliquorumque dogmatibus. Hippocratem autem in primo libro de morbis muliebribus dixiſſe, ſexus illius ægritudines aliquid habere diuini, nunquam inuenire potui; diligenter eo libro perlecto; ſed tamen hoc alibi ſcripſiſſe videtur, in libello nempe *De natura muliebri*, vbi leguntur iſta, (*b*) *De Natura muliebri & morbis iſta mihi dicenda ſunt, Potiſſimum quidem in rebus humanis cauſam eſſe diuinum numen: deinde mulierum naturas, & colores: Quia enim admodum albæ ſunt, humidiores, & ad fluxionem magis comparatæ: nigræ vero duriores & adſtrictiores: Quæ ad vini colorem vergunt, medium quid inter vtraſque habent. Ad eundem etiam modum in ætatibus contingit, iuuenes quidem humidiores ſunt, fereque copioſo ſanguine abundant; ſeniores vero ſicciores, paucoque ſanguine redundantes: mediæ medium quid inter vtraſque habent. Eum autem, qui iſta probe tractare volet, primum quidem a diuino numine initium ſumere oportet, poſtea tum mulierum naturas dignoſcere, tum ætates, & anni tempeſtates, locaque vbicunque fuerint: Frigida enim loca ad fluxiones ſunt comparata, calida vero ſicca & quieta. Doctrina autem initium a ſuapte natura humido faciendum eſt. Si hydrops in vtero oboriatur, menſes pauciores & deteriores contingunt*, &c. Quibus nulla per totum opus diuini facta mentione, totus eſt Hippocrates in conſideratione naturæ, ſeu temperamenti, & accidentium, ſiue qualitatum aliarum, ex quibus morborum muliebrium cauſas, & curationes venatur. Scilicet, conſentanea proferens allatis in Prognoſticorum veſtibulo, ſtatuit morbos hominum, atque ſpeciatim muliebres oriri poſſe tum a cauſa diuina, tum frequentiſſime a cauſa phyſica; Medicum vero primum conſiderare debere, num morbi pendeant a numine diuino; quia prodeuntes a ſupernaturali cauſa remedijs artis tractandi non ſunt: At vbi repererit Medicus eos a cauſa phyſica, non diuinitus prouenire; tunc animaduertere debet vtrum oriantur a naturis mulierum hoc eſt a cauſis internis; an ab extrinſecus occurſantibus, accidentibuſve naturas mulierum conſequentibus; quæ quidem accidentia nobis vna morbum & curationem indicabunt; circa quam contemplationem vniuerſum volumen

b init.

in-

Digitized by Google

inſumit, Hippocrates nulla facta conſideratione diuini numinis, nec inde ductis vllis affectionum muliebrium cognitionibus, aut curationibus. Quare gratis accipit Cl. Mercurialis Hippocratem hic nomen Diuini ſumere ſenſu diuerſo, ac in Prognoſticis aſſumpſerit. Nam ſi vlla diuerſitas eſt, nullam aliam dixero, niſi quod hic nomen Diuini ſumatur preſſius pro Numine culto ab Ethnicis; ibi latius pro multis antea relatis Diuini vocabulum vtcunque ſuſtinentibus. Deinde vero Ariſtotelem in libris De generatione animalium dixiſſe, *In omni rerum generat one aliquid diuini latitare,* prorſus eodem ſenſu, quo Hippocrates agens de natura, & morbis mulierum, ego quidem non video: quia ſolum comparans maſculeum ſexum cum femineo, cauſamque motricem cum materiali, dicit Ariſtoteles, (c) *Sed quum principium ſit eorum mas atque femina; ſit vt generationis gratia ſit mas & femina in rerum natura; Quumque ſua natura melior, magiſque diuina cauſa ſit ea, qua primo mouet, cui ratio ineſt, & forma, quam materia; Quumque melius etiam ſit, ſeparari a deteriori quod melius eſt; ideo in quibuſcunque fieri poteſt, mas a femina ſeparatur; melius enim, magiſque diuinum eſt principium motus, quod per generationem mas obtinet; femina enim materia eſt. Sed coit, & iungitur ad generationis officium mas cum femina; id enim commune ambobus eſt.* Vnde conſtat, Ariſtotelem hic diuinum aſſumere, non pro numine, ſicut aſſumit Hippocrates eo loci, ſed pro perfecto, & digniore. Ceterum forte Vir Cl. citare voluit Ariſtotelis opus de partibus animalium; nam ibi vere legitur, (d) *Quum nulla res ſit natura, in qua non mirandum aliquid inditum habeatur. Et quod Heraclitum dixiſſe ferunt ad eos, qui quum alloqui eum vellent, quod forte in caſa furnaria quadam caloris gratia ſedentem vidiſſet, accedere temperarunt: ingredi enim eos fidenter iuſſit, quoniam, inquit, ne huic quidem loco Dij deſunt immortales. Hoc idem in indaganda quoque natura animantium faciendum eſt. Aggredi enim quaque ſine vllo pudore debemus, quum in omnibus Naturæ numen, & honeſtum, pulchrumque inſit ingenium. Quippe quum Naturæ operibus iunctum illud præcipue ſit, vbi nihil temere, vicequе fortuita committatur, ſed alicuius gratia omnia agantur.* Quibus conſentiens, alibi dixerat, tum, (e) *Deus autem & natura nihil fruſtra faciunt*: tum etiam, (f) *In Vniuerſo eſt Deus, & viciſſim cuncta in illo; mouentur enim omnia ab inexiſtente in nobis numine.* Diuinum autem in morbis, Hippocratis iuſſu Medicis obſeruandum, referri non debere ad cæleſtes naturas, aeriſque conſtitutionem, aut qualitates occultas (quod fieri poſſe deinceps aſſerebat Vir Cl.) antea ſatis oſtendi, ni fallor. Cæleſtes etiam naturas (ſi corpora ſphærica, vel eorum Intelligentias motrices aſſumamus) quis non videat abeſſe plurimum a noſtratibus, nec in morbis ineſſe poſſe? Quod ſi velimus ab ijs manantes, aut quomodocunque productos apud nos effectus accipere; non in aliquibus tantum, vt ait (h) Hippocrates, verum in omnibus morbis, vt in re quauis alia, ſemper inſunt & agunt huiuſcemodi vires cæleſtes; quod ait Ariſtoteles; cui primum, (i) *Eſt ex neceſſitate continuus quodammodo iſte* mundus elementaris *ſuperioribus lationibus, vt omnis ipſius virtus inde gubernetur.* Deinde, (k) cæleſti motu fiunt rerum generationes, & corruptiones omnes; ſpeciatimque, *Adueniente quidem Sole generatio eſt; recedente autem, corruptio.* Deinceps, (l) *Luna autem principium eſt,* pre-

c 2. de gen. an. c. 1.
d lib. 1. c. 5.
e 1. cæl. t. 32.
f 7. eudem. c. 18.
h 1. progn. 1.
i 1. meteor. cap. 2.
k 2. de gen. t. 56. 57. 58
l 4. de gen. an. c. 10.

propter Solis ſocietatem, receptumque lucis; ſit enim quaſi alter Sol minor: quamobrem conducit ad omnes generationes, perfectioneſque: calores enim, & refrigerationes, cum moderatione quidem, generationes; ſine moderatione, corruptiones efficiunt. Dæmones vero, Dæmonumque vires in morbis & producendis, & curandis, non latuiſſe Medicos antiquiores, ac Hippocratem præſertim, oſtendimus abunde nuper. Sed & Aetium, Oribaſium, Æginetam, Scribonium, & alios vetuſtiores Auicenna Medicos, agnouiſſe Cacodæmones, putaſſeque morbos ab illis infligi mortalibus, & curari, conſtat ex eo, quod hi Medici veteres non raro morbis curandis præſcribunt incantationes, & alia ſuperſtitioſa Dæmonibus conuenientia; ſiquidem antiquiſſimus autor, ac omnino Hippocrates ipſe teſtatur, qui curabant æuo ſuo morbum comitialem & melancholicum affectum expiationibus, & incantamentis, dicere ſolitos, illum a varijs Dæmonibus immiſſum fuiſſe; ſtatuit enim, Homines illos

n de morb. ſac.

(n) in hunc morbum, in ſingulis affectionis ſpeciebus cauſam Deo adſcribentes eſſe. Non enim ſemel, ſed ſæpius eorundem mentionem faciunt. Si quidem enim capras imitentur, & ſi balatum edant, & frendant, & ſi dextris partibus conuellantur, Matrem Deorum cauſam eſſe aiunt: Si vero acutiorem & concitatiorem ſonum emittant, equo aſſimilant, & Neptunum autorem eſſe dicunt. Si vero etiam aliquid ſtercoris emittant, quod ſæpe multis contingit præ morbo coactis, Hecates enodiæ appellatio additur. Si autem tenuiorem & denſiorem vocem edant, velut auicula, Apollo Nemius, id eſt paſtor. Si vero ſpumam ex ore remittant, ac pedibus calcitrent, Mars cauſam habet. Quæcumque porro pauores noctu ingruunt, timoreſque ac deliria, & exaltationes e lecto, terroreſque, ac fuga foras, Hecates inſidias eſſe dicunt, & Heroum inſultus; expiationibuſque vtuntur ac incantamentis, & ſceleſtiſſimum ac impuriſſimum, meo quidem iudicio, faciunt numen. Itaque vetuſtiſſimorum Medicorum æuo putabantur Cacodæmones immittere morbos, & expiationibus curare. Verum & hoc ex Galeni multiplici teſtimonio confirmatur; namque (o) Galenus ex Rufo, & Poſſidonio, quod etiam obſeruat (p) Aetius, ait, *Euadunt pleriſque melancholici in venerem proniores, obliuioſi, timidi, miſericordes, ad fletum prompti, ſolitudinum amantes: Dæmones ab inimicis veneficis immiſſos ſibi quidam ſuſpicantur.* Sed & alibi (q) refert æuo ſuo proſtare libros Medicorum *ſcribentium incantationes, transformationes, & decanorum, Dæmoniorumque herbas ſacras perferentium. Quibus hominibus præſtigiatoribus vnicum fuerit ſtudium, vt vulgus imperitum talia ſcribentes in ſui admirationem verterent, vel ex ipſis Pamphili libris diſcere liceat, qui primam inter herbas conſcripſit Abrotonon* &c. de quo paulo antea dixerat, *Nam & Pamphilus eum in modum tractatum de herbis compoſuit. Verum is ad fabulas verſus aniles eſt, ſimulque præſtigiaturas quaſdam deliras ægyptias, iunctis nonnullis incantationibus, quas quum herbas colligunt, admurmurant. Et ſane vtitur ad periapta, id eſt quæ ſuſpenduntur, & magnaas non ſolum curioſas, & a Medicina alienas, ſed etiam falſas vniuerſas.* Pamphilus ergo Medicus ante Galenum, etſi non receptus a Galeno, poſuit morbos a Dæmone miſſos, qui præſtigijs & incantationibus curarentur. Sed ipſe Galenus de medicamentis parabilibus agens, inſit, (r) non abhorrens a ſuperſtitioſis, *Ad morſum ſcorpij Teſtam igne candentem impoſito: aut alam ex melle potui dato: aut humum reſpiciens, quem lapidem premebas, eum imponito.*

o de melanch. ex R. & P. init.
p lib.6.c.9.
q 6. Simpl. init.
r l. 3. rem. 188.

Ad

Ad (ſ) veneficia & praſtigia, Caridion & latum cuminum, & Zochij radicem ad ſ 189.
tertiam partem decoque, & ex vino vetere potui da: geſtet & glaneum oſſa: hac enim ſuffita Dæmonas abigunt. Sic ergo vel ipſe Galenus morbos ex Dæmone ponit. Nec Auicennas ipſe recedit ab hac opinione; dum enim de Melancholia tractat, hæc ad amuſſim profert, (t) *Et quibuſdam Medicorum viſum eſt,* t l.3.f.1.tr.
quod melancholia contingat a Dæmonio: ſed nos non curamus quum phyſicam docemus, 4.c.17.
ſi illud contingat a Dæmonio, aut non contingat; poſtquam dicimus, quoniam ſi contingat a Dæmonio, ſufficit nobis vt conuertat complexionem ad choleram nigram, & ſit cauſa eius propinqua cholera nigra: deinde ſit cauſa illius cholera nigra Dæmonium, aut non Dæmonium. Ex cauſis vero fortibus in generatione melancholia eſt ſuperfluitas triſtitia, & timoris. Vnde conſtat aperte, Auicennam non aſſerere melancholiam a vulgo Dæmonem exiſtimari, quaſi huiuſmodi popularem irrideret, ſed conſtituere illam fuiſſe quorundam Medicorum ſententiam, quam ipſe non improbat; ſed ait cognoſcere num melancholia proueniat a Dæmone, non attinere ad therapeuticam, ſed ad phyſiologiam: conſtituitque Dæmonem, non immediate melancholiæ morbum producere, quando talem affectionem gignit, ſed producendo bilem atram in homine, quæ proxima cauſa eſt morbi melancholiæ; bilis autem atræ productionem in Dæmonem refert non obſcure, dum ſtatuit humorem iſtum generari maxime ab exuperante triſtitia, & a vehementi timore: quas paſſiones incuti nobis a Dæmone poſſe vel viſo, vel imaginatione concepto, nemini dubium eſt, & ſupra manifeſtum fecit (x) Hippocrates. Quare valde propendet Auicen- x de morb
nas, immo deſcendit in hanc Medicorum ſententiam, vt melancholiæ mor- virg.
bus aliquando producatur a Dæmone per terrores vehementes producente triſtitiam, & vbertatem atræ bilis. Quod etiam conſtat ex ijs, quæ paulo antea de Mania dixerat Auicenna, ſcribens, (y) *Expoſitio maria eſt Dæmonium* y l.3.f.1.tr.
lupinum. Canina vero eſt ſpecies eius exiſtens cum ira permiſta triſtudio, & inqui- 4.c.15.
ſitione corrupta permiſta petitioni, quemadmodum eſt natura canum. Et ſcias quod materia faciens Dæmonium lupinum, eſt in ſubſtantia materia facientis melancholiam: quoniam vtraque ſunt melancholica; verumtamen cauſa faciens Dæmonium lupinum, eſt melancholia aduſta, facta aut a cholera, aut a melancholia, qua eſt deterior. Et multo prius hoc morbo detentos appellauit Dæmoniacos Auic. dicens, (z) *Et Iudæus quidam inquit, Suffumigatio facta cum ſemine eius* (de pæonia z l.2.tr.2.
tractat) *confert Dæmoniacis, & epilepticis, & ſanat eos. Et ſimiliter ſi fumatur fru-* c.562.
ctus eius, & bibatur cum mel. roſ. confert vehementer. Ego autem dico, quod forſitan hac eſt ſpecies pæonia Romana; nam illa, qua ex India fertur ad nos, non habet magnũ effectum in hoc capitulo. Supponit igitur, vereq. ponit Auic., homines Dæmoniacos, quibus pęonia Indica non multum prodeſt: Quin & a Dæmone Maniacos homines efficit; nec non a terrefaciente Dæmone bilem atram augeri, quæ melancholiam pariat. Sed fruſtra præſcribit hiſce medica præſidia; nam Dæmones artis humanæ remedijs non fugantur; & in locum atræ bilis eductæ medicamentis, nouam clam procreant morbi conſeruatricem: at vero quando dubius eſt, an a Dęmone morbus oriatur, medicaměta recte prębentur, num forte valeat ijs infirmitas curari. Sic igitur e meo penu diuinum in morbis Hippoc. iuſſu pręnoſcendum a Medicis, oſtenſum eſt eſſe Cacodæmonis maleficium.

M Amo-

Digitized by Google

Amoris impotentis affectum octauo loco ſignari pro diuino prænoſcendo in morbis Hippocratica iuſſione. Cap. XVII.

VErum enimvero quoniam ante me duplex aliud genus diuinorum, in morbis a Medico prænoſcendum ex Hippocratis decreto, prodiderunt inſignes viri; quorum opinionem arbitror habere poſſe locum in propoſito, veritatique Hippocraticæ conſentaneam eſſe; propterea non duxi ſilentio prætereundum ac veluti damnandum, negligendumve geminum hoc aliorum placitum. Sit igitur Octauum diuinum in morbis prænoſcendum a Medicis vbi contingat ineſſe, Amoris venerei affectus impotens; de quo veterum communis opinio vulgata non ſolum ab Euripide (a) celebratur, Phedræ nouercæ amoris impotentis affectum erga priuignum Hippolytum, vocante malum (b) incurabile, diuinitus immiſſum; ita Nutrix,

a in Hippol.
b verſ. 598.
c ver. 475.

(c) *Fortiter autem Amorem tolera. Deus voluit hac.*
Laborans vero morbo, morbum hunc bene fini.
Sunt autem incantationes & verba demulcentia.
Inuenietur aliquod remedium huius morbi.

d ver. 525.

(d) *Amor, amor, qui per oculos*
Stillat deſiderium, inducens ſuauem
Animæ voluptatem illis, *aduerſus quos militat,*
Ne mihi vnquam cum damno appareas,
Ne mihi immoderatus venias:
Neque enim ignis, ne-
que aſtrorum ſuperum telum eſt tale
Quale Venereum
Mittit e manibus
Amor filius Iouis.

e in Phædro.
f 1. progn. com. t. 3.

Sed & apertius a Platone ſcribente, (e) mortalibus a Venere atque Amore Deo furorem diuinum immitti, quemadmodum ſupra notauimus. Neque Galeni contradictio me mouet ad oppoſitum ſentiendum; qua ſcribit, (f) *Non igitur putamus diuinum haberi morbum Amoris affectum; id enim credentes quidam, veram ſcripſerunt hiſtoriam, deprehendiſſe Eraſiſtratum, ob amorem*
„ *ægrotare filium Regis: diuinum tamen eſſe nequaquam docuerunt, neque ab Hippo-*
„ *crate, neque ab Eraſiſtrato vocatum, neque ab alio quodam medico Amorem. Por-*
„ *ro eos, qui graciles ſint, decoloresve, aut inſomnes, aut febricitantes ex cauſis ama-*
„ *torijs, illo capite complectuntur maiores, quo de cauſis procatarcticis, id eſt progreſſis*
„ *commemorant. Quum enim hæ in plura diducantur genera, vnum ex his triſtitia*
„ *eſt. Triſtantur vero, hi quidem intermortuis liberis, aut neceſſarijs, aut cognatis,*
„ *aut amicis: illi vero expectantes ſeipſos, vel ſuos affici, vel etiam patriam omnem*
„ *fore euerſam. Itidem triſtantur ſtudioſi pecuniarum, priuati pecunijs: vel etiam*
„ *ambitioſi, priuati gloria: & ita alij omnes ita afficiuntur. Ex his ergo ſunt, qui*
„ *ob amorem triſtantur, haudquaquam diuinam perpeſſi, ſed humanam affectionem.*

Niſi

Niſi quis credat Poetis, qui fabulantur Dæmonem quendam fuſillum, recens natum, gerentem faces ardentes, homines quoſdam in hanc agere affectionem. ,, Hæc ,, inquam me non turbant: Etenim morbum illum, qui nullis artis medicæ præſidijs curari poteſt, quum vere morbus ſit, diuinum quidpiam in ſe habere cenſuit Hippocrates; agnoſcens omnes morbos a cauſa phyſica progenitos, quicunque curationem admittunt, artis Medicinæ remedijs phyſice tolli poſſe. Licet in eius libris apud nos extantibus non habeamus, Eroticum morbum, affectumque impotentis Amoris, eſſe diuinum; attamen id facile colligimus tum alijs rationibus, tum ex eo, quod in eius Vita ſcripſit Soranus; quam & Foeſius, & Cornarius e Græco transferunt in hæc verba, *Soranus vero Cous, qui Coorum bibliothecas perſcrutatus eſt, addit, ſub Abriada Monarchia, Agriani menſis ſeptima & viceſima die, in qua etiam vſque in hunc diem Coos Hippocrati omnia ſacra facere tradit. Porro quum in arte Medica, totoque diſciplinarum orbe, exercitatiſſimus eſſet; functis vita parentibus, ex patria diſceſſit, vt quidem maligne de eo Andreas in eo, quem de medicina origine ſcripſit, libro prodit, propterea quod publicam Gnidiorum bibliothecam igne concremaſſet. Alijs autem eo propoſito patriam reliquiſſe dicitur, vt rei Medicæ effectus & ſucceſſum per multos locos cognoſceret, & in his varijs modis exercitaretur. Quemadmodum vero Soranus Cous narrat, Somnus Deus eum per ſomnium admonuit, quo ſe ad Theſſalorum regionem inhabitandam conferret. Ceterum per omnem Græciam Medicinæ gloria omnibus admirationi fuit, adeo etiam vt a Perdicca Macedonum Rege, qui tabe laborare putabatur, vocatus publice ſit; ad ipſumque vna cum Euryphonte, qui ipſo ætate maior erat, peruenit; animique hunc Regis affectum eſſe, certis ſignis deprehendit. Poſt mortem enim Alexandri parentis, vnam ex pellicum eius numero, Phylam nomine, Perdiccas deperibat; ad quam cum rem ipſam Hippocrates detexiſſet; poſtea ex illius conſpectu omnino illum mutari obſeruauit; atque ita morbo depulſo, Regem conſeruauit:* Quem certe perdidiſſet, ſi remedijs Medicinæ, tabido dari conſuetis, eum vti perſuaſiſſet. Nec Hippocrates ægritudinem iſtam, ab Amore natam, artis medicæ remedijs non curabilem, ſed amatæ mulieris poſſeſſione, diuinam dicere recuſabit: qui Tellurem, tanquam deam coluit; eique (*i*) ſupplicationes fieri iuſſit; vt vidimus. At quomodo Tellurem Hippocrates credidit eſſe Deam? certe doctus id ab Orpheo, Heſiodo, & Homero, Gentilitatis antiquiſſimis Theologis; quorum fabulis omnes Ethnicos crediſſe, teſtatur (k) Iſocrates: At vero illimet ipſi Theologi Deum eſſe dixerunt Amorem, ſimul cum Parmenide, non minus quam Terram; vt obſeruat etiam Ariſtoteles inquiens, (*l*) *Suſpicaretur autem aliquis Heſiodum primum hoc quæſiuiſſe, & ſi quis alius Amorem aut deſiderium in entibus vt principium poſuit; ſicuti Parmenides; etenim is Vniuerſi generationem monſtrando,*

i de Som.

k orat. ad Demonic.

l 1. meta. ſu. 2. c. 2.

,, *Primum quidem inter omnes Deos Amorem, ait, produxit.*
Heſiodus vero, ante omnia fuiſſe Chaos;
,, *Deinde Terram ſpatioſam, atque Amorem,*
,, *Qui inter omnes immortales elucet.*

Præterea vero, quomodo Soranus ille Cous agnoſcere potuit, a Somno Deo monitum inſomnio fuiſſe dudum Hippocratem, vt ad Theſſalorum regio-

Digitized by Google

nem habitandam ſe conferret, niſi legiſſet hoc in Coorum bibliothecis, quas perſcrutatus fuerat? ſed quomodo legi potuit id ibi niſi ſcriptum ab ipſomet Hippocrate? nemo ſiquidem alterius inſomnia primum narrare poteſt, niſi propheta fuerit; vt conſtat e ſacra pagina; in qua legimus (m) *In anno ſecundo regni Nabuchodonoſor, vidit Nabuchodonoſor ſomnium, & conterritus eſt ſpiritus eius, & ſomnium eius fugit ab eo. Præcepit autem Rex vt conuocarentur arioli, & magi, & malefici, & Chaldæi, vt indicarent Regi ſomnia ſua. Qui quum veniſſent, ſteterunt coram Rege, & dixit ad eos Rex: Vidi ſomnium; & mente confuſus ignoro quid viderim. Reſponderuntque Chaldæi Regi Syriace: Rex in ſempiternum viue. Dic ſomnium ſeruis tuis, & interpretationes eius indicabimus: Et reſpondens Rex ait Chaldæis: Sermo receſſit a me. Niſi indicaueritis mihi ſomnium, & coniecturam eius, peribitis vos: & domus veſtra publicabuntur. Si autem ſomnium, & coniecturam eius narraueritis, præmia & dona & honorem multum accipietis a me. Somnium igitur, & interpretationem eius indicate mihi. Reſponderunt ſecundo, atque dixerunt: Rex ſomnium dicat ſeruis ſuis, & interpretationem eius indicabimus. Reſpondit Rex, & ait: Certe noui, quia tempus redimitis, ſcientes quod a me receſſerit ſermo. Si ergo ſomnium non indicaueritis mihi, vna eſt de vobis ſententia, quod interpretationem quoque fallacem & deceptione plenam compoſueritis, vt loquamini mihi donec tempus pertranſeat. Somnium itaque dicite mihi, vt ſciam quod interpretationem quoque eius veram loquamini: Reſpondentes ergo Chaldæi coram Rege dixerunt: Non eſt homo ſuper terram, qui ſermonem tuum, Rex, poſſit implere; ſed neque Regum quiſquam magnus & potens verbum huiuſcemodi ſciſcitatur ab omni ariolo & mago & Chaldæo. Sermo enim, quem tu quæris, Rex, grauis eſt; nec reperietur quiſquam, qui indicet illum in conſpectu Regis, exceptis Dijs, quorum non eſt conuerſatio cum hominibus. Quo audito, Rex in furore & in ira magna præcepit vt perirent omnes ſapientes Babylonis. Et egreſſa a Rege ſententia, ſapientes interficiebantur. Quærebaturque Daniel & ſocij eius vt perirent. Tunc Daniel quæſiuit de lege atque ſententia ab Arioch principe militiæ Regis, qui egreſſus fuerat ad interficiendos ſapientes Babylonis. Et interrogauit eum qui a Rege poteſtatem acceperat, quam ob cauſam tam crudelis ſententia a facie Regis eſſet egreſſa. Quum ergo rem indicaſſet Arioch Danieli; Daniel ingreſſus rogauit Regem, vt tempus daret ſibi ad ſolutionem indicandam Regi. Et ingreſſus eſt domum ſuam, Ananiæque, & Miſaeli, Azariæ, & ſocijs ſuis indicauit negotium: vt quærerent miſericordiam a facie Dei cæli ſuper ſacramento iſto: & non perirent Daniel & ſocij eius cum ceteris ſapientibus Babylonis. Tunc Danieli myſterium per viſionem nocte reuelatum eſt. Et benedixit Daniel Deum cæli,* &c. quibus fuſe Daniel enarrat, & interpretatur ſomnium Regi. Quum itaque Soranus non fuerit Propheta, cui Deus reuelauerit ſomnium Hippocratis; neceſſum eſt, huiuſcemodi ſomnium ab Hippocrate vel voce primum ciuibus inuulgatum, per continuatam traditionem poſtea peruenisse ad aures etiam Sorani; vel potius deſcriptum in notis proprijs, inuentum a Sorano fuiſſe inter Hippocraticas notas in Coorum bibliothecis conſeruatas; *nam* (vt obſeruat non ſemel (n) Galenus) *ſcripta ab Hippocrate in diuerſis vel chartis, vel tabulis eius filium Theſſalum collegiſſe, aiunt*. Qui ergo ſomnum pro Deo habuit Hippocrates, cur non & Amorem cui Somnus plurimum dignitate cedit? Deinceps autem Hippocrates ipſe

m Daniel 2

n cõ. 2. in 3. 6. epid. ini. & cõ. 1 in 6 epid. ini. & cõ. t. 13.

Digitized by Google

ipſe iureiurando dicens, (*o*) *Apollinem Medicum, & Aeſculapium, Hygeamque,* o in Iuram.
ac Panaceam iuro: Deosque omnes, itemque Deas teſtes facio, me hoc iusiurandum, &
hanc conteſtationem conſcriptam, pro viribus, & iudicio meo integre ſeruaturum eſſe:
clare Panaceam, & Hygeam non minus quam Apollinem, & Aeſculapium,
inter Deos veneratur. At vero Gyraldi (*p*) teſtimonio, *Salus a Romanis Dea, vt* p Deor. gēt.
Græcis Hygeia, culta fuit: cuius ſignum in antiquis Antiochi τ omiſmatibus adhuc ſynt. 1.
cernitur: nempe Triangulus triplex, inuicem inſertus, ex lineis quinque conſtans, in
quibus Ygiaa inſcribitur. Orpheus Hygeæ, hoc eſt Sanitati Deæ Suffimen-
tum Manna poſuit hymno celebri. Pauſanias (*q*) ait, Hygeam, quam filiam q i Attic. &
Aeſculapij fuiſſe dicunt, habuiſſe templum, quo Dea colebatur, & ſignum Corinth.
proprium: Nempe Sanitas, quæ Medici producitur opere, Medici Dei filia
Dea colitur ab Hippocrate, ſicut ab Orpheo, & antiquis alijs in Gentilitate:
Qui ergo Sanitatem Deam veneratur, quæ corporis eſt affectio materialis,
aut illius prototypus, & Idea; nonne Cous multo magis Amorem Deum
eſſe cenſebit qui prototypus eſt & idea affectus immaterialis animi, atque
voluntatis incorporeæ? Sed & Panacea, quæ filia pariter Aeſculapij Dea co-
litur ab Hippocrate, nihil aliud eſt, quam Remediorum Medicinalium ma-
teries, omninoque Medicamentorum ſilua, Medicorum inuentum, adeoque
Medici Dei filia Dea Gentilitati; quod adnotat aperte Plinius, aſſerens,
(*r*) *Panaces ipſo nomine omnium morborum remedia promittit: numeroſum & Dijs* r lib. 25.
inuentoribus aſcriptum vnum quippe Aſclepion cognominatur, quoniam is filiam Pa- cap. 4.
naceam appellauit. Si medicamentorum omnium congeriem ſub nomine Pa-
naceæ coluit ethnicus Hippocrates, tanquam Aeſculapij filiam Deam, quod
Medicus inuentor ſit remediorum omnes ægritudines profligantium: Quis
iure neget ab Hippocrate cultum fuiſſe Deum Amorem, a priſcis omnibus
Theologis Gentilium diuina veneratione proſecutum? Et certe apud om-
nes ethnicos autores Amor Deus ponitur in vniuerſa Gentilitate: ſic in Ti-
mæo, & in Phędro Plato; ſic Orpheus, Homerus, Heſiodus, Empedocles,
Parmenides, & alij: Non aliter igitur ethnicus Hippocrates cum ceteris
Amorem Deum eſſe credidit, venereas cupiditates, libidinisque furores in-
ſpirantem Dæmonem, qui nuncupatur in ſacris (*ſ*) litteris Aſmodeus, quaſi ſ Tobiæ 8.
notatus Amor Deus gentilium; nam omnes Dij Gentium (*t*) Dæmonia: & ſeqq.
Vnde morbum contrahentes impotentis ac diræ libidinis, eo (*u*) diuinitus t Pſal. 95.
laborare dicuntur; quo mortales affecti, non medicamentis vllis, ſed ama- u Virg.
ti corporis vna poſſeſſione ſanitati reſtituuntur. Quare, ne Medici fruſtra Aen. 9.
ſua præſidia præſcribant cum artis dedecore, præcipit ipſis (*x*) Hippocra- x 1. Prog.
tes vt in morbis obſeruent num inſit aliquid huiuſcemodi diuinum. Neque init.
vero (quod obijcit deinde Galenus) morbis amatorijs diuinitatem Hippo-
crates negauerit, quia conſiſtant in affectu triſtitiæ, quo ſimiliter anguntur
homines tum ob mortem liberorum, affinium, cognatorum, amicorum:
tum auari priuati pecunijs: tum ambitioſi priuati gloria, & item alij om-
nes afficiantur eodem modo; quorum neminem dicimus affectione diuina
laborare, ſed humanam paſſionem perpeti: Quia ſimilitudo morbi, optime
Galene, non arguit identitatem cauſæ; quum idem effectus a varijs, & ali-
quando contrarijs etiam efficientibus produci valeat: eandem febrem ephe-

meram

meram efficit, modo Solis ardor, modo labor, modo triſtitia, modo ira, mo-
do frigus, modo vigilia, modo cruditas, modo ebrietas, modo crapula, modo
y 1. de diff. febr. c. 2. alia pleraque; ſicut admonet ipſe (y) Galenus. Ita cogitet, homines poſſe
triſtitia laborare, modo diuinitus, modo a cauſa phyſica & humana. Pari-
z Rhod. l. 15. c. 14. ter idem ignis incenditur, modo diuinitus a Sole, vt apud (z) Veſtales: mo-
do confrictu lignorum, vt apud Indos: modo chalybis, & filicis affrictu, vt
apud nos. Deinde vero, quia ſimilem habet hæc obiectio Galeni ſolutionem
illi, quam adhibet Ariſtoteles oppoſitioni negantium fortunam, effectusque
fortuitos, qui dicuntur prouenire ab incerta & indeterminata cauſa, eo quod
omnium euentuum pariter aſſignari poſſe videatur cauſa certa & determi-
a 2. phyſ. t. 40. & ſeqq. nata, dum ait, (a) *Quidam enim & ſi ſint, an non, caſus, & fortuna; dubitant:
nihil enim fieri a fortuna dicunt, ſed omnium eſſe aliquam cauſam determinatam, quæ-
cunque dicimus a caſu fieri, aut a fortuna: vt veniendi a fortuna in forum, & repe-
riendi quem volebat quidem, non autem putabat, cauſa eſt velle, quum venerit, emere.
Similiter autem & in alijs, quæ a fortuna dicuntur, ſemper aliquam eſſe accipere cau-
ſam, ſed non fortunam. Quoniam, ſi aliquid eſſet fortuna, inconueniens vtique per-
quam vere videbitur, & dubitabit vtique aliquis propter quid nullus Antiquorum
ſapientum cauſas de generatione, & corruptione dicens, de fortuna quicquam deter-
minauit, ſed (vt videtur) nihil opinabantur illi eſſe a fortuna.* (Quod eſt alte-
rum argumentum Galeni, dicentis Amorem neque ab Hippocrate, neque ab
Eraſiſtrato, neque ab alio vllo Medico vocatum fuiſſe diuinum. Verum iſtas
Galenicas obiectiones eluendi nobis anſam præbet Ariſtoteles, dum illico
diluens conſimiles dubitationes allatas, addit) *Sed & hoc mirabile; multa
enim & fiunt, & ſunt a fortuna, & caſu, quæ non ignorantes quod licet referre ad ali-
quam cauſam vnumquodque eorum, quæ fiunt, vt antiquus ſermo dixit, deſtruens
fortunam; horum tamen alia quidem eſſe dicunt omnes a fortuna, alia vero non a for-
tuna. Quocirca & quodammodo erat facienda ipſis mentio. At vero neque illorum
quidem aliquid opinabantur eſſe fortunam, vt amicitiam, aut litem, aut ignem, aut
intellectum, aut aliquid aliud talium. Inconueniens eſt igitur, ſiue non putauerunt
eſſe, ſiue putantes reliquerunt, præſertim aliquando vtentes, vt Empedocles, non ſem-
»per aerem ſegregari ſuperius dicit, ſed vt accidit; dicit enim:* Sæpe alias aliter, ſed
» tunc ſic forte cucurrit. *Et partes animalium a fortuna fieri plurimas ait.* Ad
iſtam Ariſtotelis trutinam pendentes argumenta Galeni ſolutionem eorum
facilem habemus, aſſerentes: Etſi triſtantur omnes homines priuatione pe-
cuniarum, gloriæ, ceterarumque rerum amatarum impenſius; attamen di-
uini morbi nomen illi triſtitiæ peculiariter inditum eſt ab Hippocrate, Pla-
tone, Euripide, atque antiquioribus alijs, qua mortales ægrotant ob Amo-
rem. Gratisque petens in principio, falſoque penitus aſſumens id, quod ſi-
bi probandum fuerat, ait nec ab Hippocrate, nec ab Eraſiſtrato, nec ab vllo
alio Medico morbum Amoris appellatum fuiſſe diuinum; nam vt omit-
b 1. 3. epi. com. t. 4. tam, a Galeno non habitas fuiſſe ſcripturas omnes Hippocraticas; quum
ipſemet aſſeueret, multas ſcripturas Hippocratis (b) infeliciter diſſipatas
c com. 3. in lib. de arti-cul. t. 32. fuiſſe: quin (c) & multa Hippocratis opera non haberi; in quibus tale quid
eſſe potuit: multi tamen Medici, contra quos nunc ipſe Galenus ediſſerit,
vel ſuo ipſius teſtimonio, dixerunt Hippocratem hic per diuinum in morbis

ob-

Digitized by Google

obſeruandum a Medico, ſignificaſſe morbum eroticum, impotentis nimirum Amoris affectum, excarnificantem ſummo cum animi cruciatu corpora mortalium. Et reuera concedentes, quæ Galenus de propoſito ſcribit alibi dicens, (d) *Reſtat, vt quod tibi ſuperius pollicitus ſum, deinceps ſubijciam: hoc enim præſenti ſermoni compellor adijcere; præſertim quum nonnulli Medici, qui ſibi plurimum ſcire videntur, exponentes, quomodo Eraſiſtratus amari nouercam a priuigno cognouerit; & in pulſu arteriarum iuuenis amatorie pulſantem Eraſiſtratum deprehendiſſe ſcribant, non tamen id etiam ex pulſibus iuuenum eſſe fateri volunt, patris eam vxorem fuiſſe. Ego tamen, qua ratione Eraſiſtratus id nouerit, dicere tibi non poſſum.* Id tamen fortaſſe patebit tum ex Luciano, tum ex Plutarcho; ex Luciano quidem primum in Dialogo de Syria Dea ſcribente, anno Salutis Centeſimo, temporibus Traiani, *Videtur autem mihi Stratonice illa eſſe, quæ a priuigno amata fuit; cuius amorem Medici induſtria deprehendit. Poſtquam enim ipſum ægritudo hæc inuaſerat, dubius animi; propterea quod illi malum hoc turpe videretur, ſilentio rem premens, morbo decumbebat. Iacebat autem nullo quidem certo dolore affectus, verumtamen & color eius omnino immutabatur, & corpus indies marceſcebat. Medicus autem vt ipſum aſpexit, nullum manifeſtum morbi indicium præſeferentem, amorem eſſe morbum cognouit. Amoris autem occulti multa indicia ſunt: oculi videlicet languentes, & vox, & color, & lacrymæ. Quæ omnia quum ille in hoc animaduertiſſet; huiuſmodi quædam fecit: Manu quidem dextra adoleſcentuli cor tenebat; eos vero, qui in domo erant; omnes intro in cubiculum, vbi ille decumbebat, vocabat. Ille igitur cæteris quidem ingredientibus omnibus cum ſumma quiete iacebat: at vbi nouerca adueniebat, tum demum & colorem mutare, & ſudorem emittere incipiebat, tremoreque corripiebatur; & ei cor ſubſultabat. Quæ quum ita fierent; manifeſta amoris indicia Medico præbebant. Ac ipſum hoc pacto ſanitati reſtituit. Aduocato adoleſcentis patre, qui admodum tum filij cauſa ſollicitus erat: Hic morbus, inquit, haudquaquam morbus eſt, ſed iniuria quædam; Nam ille quidem dolore nequaquam premitur, ſed amor ipſum & vecordia tenent: Expetit autem ea, quæ illi haudquaquam aſſequi licet: Vxorem enim meam amat, quam ego minime dimiſſurus ſum. Atque hæc ille tum prudentia mentiebatur. Pater autem continuo precari cæpit: Per prudentiam ego te tuam, perque ipſam medicinam obteſtor, ne mihi perditum eas filium. Non enim ſua ſponte hoc malo tenetur, ſed morbus illi inuito hic accidit: quare tu nequaquam æmulande velis luctum toti regno conciliare: neve Medicus, quum ſis, hanc homicidij notam inurere medicinæ. Atque hoc pacto ignarus ille, tamen precabatur. Alter autem reſpondens ei rurſum: Nefaria, inquit, moliris, coniugem meam a me auferre quærens, & homini medico vim faciens. Tu vero quonam pacto ipſe affectus eſſes, ſi quis vxoris tuæ deſiderio teneretur, quando nunc iſta a me poſtulas? Tum ille ad hæc reſpondit, quod neque ipſe vxori vnquam parſurus fuiſſet, neque filio ſalutem inuideret, etiamſi nouerca deſiderio teneretur: neque enim parem iacturam eſſe, vxorem, ac filium amittere. Quæ quum Medicus audiſſet: Quid igitur me, inquit, obteſtaris? etenim tuæ ille vxoris deſiderio tenetur: & quæ ego tibi modo dicebam, omnia falſa fuere. Adducitur itaque hiſce pater, ac filio quidem & vxorem relinquit & regnum: Ipſe vero in terram Babyloniam abijt, & ciuitatem ſupra Euphratem, cognominem ipſi, condidit, vbi & mortem poſtea obijt. Atque hoc quidem pacto tum Medicus*

(d) de p̄cog. ad Poſth. c. 6.

amo-

amorem cognouit, & curauit. Ex Plutarcho vero, qui poſtea floruit Adriani temporibus, Anno Chriſti Domini xx ſupra centeſimũ, non diſſimiliter hanc totam hiſtoriam diligenter ita deſcribente, dum vitam Demetrij narrat, *In rerum curſu tam ſecundarum nuncium accipit, liberos ſuos, & vxorem dimiſſos, additis inſuper a Ptolemæo muneribus & honoribus. Adfertur etiam filiam eius, quam Seleuco collocauerat, Antiocho Seleuci filio nupſiſſe, ac ſuperiorum prouinciarum renunciatam reginam. Forte enim Antiochus amore deperiens Stratonicæ iuuenculæ, quæ puerum iam ex Seleuco ediderat, grauiter fuit affectus, multaque ad reluctandum animi motui molitus eſt. Poſtremo perpendens dira ſe libidine teneri, ægritudine affligi deplorata, & conſilio eſſe deſtitutum; rationem quæſiuit vitæ deponendæ, corpusque inſtituit ſenſim curationis negligentia, atque inedia conficere, morbum ſimulans. At Medicus Eraſiſtratus facile Amorem eius deprehendit. Verum vt cuius amore flagraret, quod coniectu erat arduum, exploraret: agebat aſſidue apud eum in cubiculo. Si quis formoſus adoleſcens, vel fœmina ingrederetur, obſeruabat Antiochi vultum, & membra, quæ potiſſimum affectibus animi conſentire ſolent, ac corporis inſpiciebat motus. Quum igitur ad ceterorum ingreſſum nihil moueretur; Stratonice vero & ſola, & cum Seleuco ſubinde eum inuiſente, illa Sapphus in eo omnia exiſterent, vocis compreſſio, rubor, vultus igneus, tectus oculorum coniectus, ſudores præcipites, confuſio & perturbatio pulſus, denique vi victo animo perplexitas, ſtupor, & pallor: his veriſimilibus coniecturis reputans Eraſiſtratus in nullam aliam exardeſcentem Regis filium in ſilentio ad mortem vſque perſeuerare, graue hoc putauit enunciare, ac detegere. Attamen indulgentia fretus in filium Seleuci, tentauit aliquando ei aperire, amore adoleſcentem affligi, ſed deplorato amore incurabilique. Obſtupefacto, & rogante Rege, quemadmodum incurabile? Quia hercle, inquit Eraſiſtratus, meam amat vxorem. Et tu, inquit, neges Seleuco Eraſiſtrate, qui amicus noſter es, haſce filio meo nuptias; idque qui vnum hunc cernis rerum noſtrarum ſacram anchoram eſſe? Ne tu quidem, inquit ille, id facias pater, ſi Stratonicem Antiochus adamaret. Vtinam vero, inquit, amice Deus aliquis, vel homo eo traducat morbum: Nam equidem vel regnum, modo retineam Antiochum, cupiam dimittere. Ita commoto Seleuco vna cum lacrymis ſuo dexteram Eraſiſtratus iniiciens, nihil eum Eraſiſtrato ait indigere: Nam quum pater, vir, & rex eſſet, ipſum ſimul medicum domus ſuæ optimum fore. Hinc Seleucus totius exercitus aduocata concione, declarauit velle ſe & ſtatuiſſe omnium ſuperiorum regionum Antiochum regem & Stratonicen declarare reginam connubio iunctos. Arbitrari ſe filium, qui parere ſibi vbique ſit ſolitus, & dicto audiens eſſe, non repugnaturum ſibi in hiſce nuptijs. Quod ſi vxor ſua ab re inuſitata abhorreat, orare amicos, vt doceant, & inducant eam, vt omnia quæ Regi videbantur, & ſint ex vſu publico, recta habeat & iuſta. Atque Antiochi cum Stratonice ex huiuſcemodi perhibent occaſione conciliatas fuiſſe nuptias.* Quam hiſtoriam abbreuiat, ac tantum non mutilat ipſe Suidas inquiens, *Eraſiſtratus* Medicus *Antiochum Regem, qui ob nouercæ Stratonices amorem ægrotabat, morbo deprehenſo ſanauit, quum manum ad ipſius cor admotam tenuiſſet, & palpitationem*, id eſt, ex ipſa cordis palpitatione morbum *coniecisset. Quoties enim Antiochus ſuam nouercam fortuito tranſeuntem aſpiciebat*, toties ipſum *cor ob illius amorem maxime palpitabat.* Verum enim vero Plutarchus non ab re dixit, Eraſiſtratum faci-

le

Digitized by Google

le deprehendiſſe Amorem Antiochi, priuſquam noſſet cuius amore flagraret; quia filium Regis, Patri dilectiſſimum, nullius indigum eorum bonorum, quibus fortuna ſuos beare ſolet, ſine febre, ſine cauſa malæ valetudinis inſomnem vitam agere, taciturnum, triſtem, & anxium, corporiſque ſui cura neglecta, fame ſe ſe macerare conantem, non difficulter Eraſiſtratus Amoris impotentis affectu ſolo cruciatum perdite contabeſcere, nec vlla re prorſus alia laborare; ſpeciatimque facilius hanc animi paſſionem agnoſcere potuit Eraſiſtratus, quo ſcriptorum Hippocratis ipſe ſtudioſiſſimus, nam vel obſeruatu Galeni, (e) ſiue alius, quiſquis fuerit autor libri de Catharticis inſcripti, *Eraſiſtratus Homeri verſus cantabat, & Hippocratis libros amore medicinæ per diuerſas ciuitates, prouincias, & ſingulas regiones proficiſcens, experimento cognoſcitur collegiſſe; & artificioſe vitam, & theoremata conſummaſſe: & quomodo ordinando nobis medicinam derelictam, voluiſſe perquirere vt poſteris traderet*: adeoque notiſſimam habuit hiſtoriam de Perdiccæ Regis amore, quam ex Sorano retulimus: vt videns Antiochum ſine cauſa contabeſcere, ſtatim affectum Perdiccæ ab Hippocrate cognitum & curatum in memoriam ſibi reuocari ſenſerit ex affectuum & perſonarum ſimilitudine, atque congruentia, priuſquam amatam perſonam agnoſceret. At vero longe maior Eraſiſtrati mihi videtur extitiſſe ſolertia moralis, atque dexteritas, qua Seleuco Regi detexit per ambages amorem inceſtum filij, ac patrem induxit aſtuta nimium calliditate ad propriam vxorem, iuuenculam pulcherrimam, ex qua prolem ſuſtulerat, filio periclitanti ex amore nouercæ reginæ, deſponſandam. Quare Galenus hac de re fruſtra clam Plutarchum taxare videtur: adoleſcens etenim Regis filius, qui corporis proprij curam omnino negligens, alimenta renuens non poterat alia de cauſa ſe ſponte cruciare, macerareque fame, niſi mortem accerſeret, conſciſcereque ſibi vellet, ex amoris deſperati paſſione vehementiſſima, quam promulgare non auderet ob turpitudinem ac verecundiam optimæ vir indolis. Galenus autem ſe dicere non poſſe ſcribit, qua ratione nouerit Eraſiſtratus Antiochum amore languere, priuſquam eum deperire Stratonicen agnouiſſet, fortaſſis vt Plutarcho ſuæ tempeſtatis inſigni Philoſopho, maiorique natu, & Imperatoribus charo, clam contradiceret; etenim Plutarchus floruit ſub Aelio Adriano, anno ab ortu Chriſti Domini CXX: quum Galenus floruerit anno ab eiuſdem Natalibus CXL. ſub Antonino Pio. Ceterum addit antea poſitis Galenus, (f) *Quo pacto tamen mulieris amorem ipſe deprehenderim, commemorare valeo. Vocatus vt inſpicerem feminam noctu vigilantem, & ex vna iacendi forma in aliam crebro ſe transferentem, vt ipſam ſine febre reperi, percontatus ſum quæcunque ſigillatim illi contigiſſe poterant, ob quæ vigilias euenire ſcimus. Illa autem vix, & interdum nihil reſpondebat, perinde atque fruſtra ſe interrogari ſignificaret; demum auerſa ſtragulis adductis ſe totam operuit, & quodam paruo velo ſupra caput adducto in morem eorum, qui dormire volunt, cubare cœpit. Id videns diſceſſi, duorum alterum mecum ipſe colligens, vel atra bilis vitio mulierem animi defectionem pati: vel rei, quam fateri nollet, mœſtitia laborare. Quamobrem poſtero die cunctа diligentius obſeruare propoſui. Quum itaque acceſſiſſem, ex ancilla, quæ ipſi aſſiſtebat, comperi fieri non poſſe, vt tunc ægram Dominam viſerem: abij igitur, & deinde rediens vt idem de-*

e li. de Catharticis.

f de præſ. ad Poſth. c. 6.

nuo comperi, tertio reuerſus ſum: ſed & tum ancilla renunciante vt diſcederem (nolle enim tunc heram vexari; nam ſimul atque ſecunde receſſiſſem, abluiſſe ſe illam, & ſolitum cibum ſumpſiſſe) diſceſſi: & ſequenti die rediꝭ, ſolus cum ancilla varijs de rebus diu collocutus, aperte mœſtitia quadam Dominam laborare cognoui, quam caſu poſtea reperi, opinor, quomodo Eraſiſtrato quoque obtigit. Nam quum prius noſcerem nulla corporis parte mulierem afflictari; verum animi moleſtia quapiam perturbari; contigit, vt quo tempore feminam inſpicerem, iſtud ipſum, quod eſſe ſuſpicabar, mihi confirmaretur; nam quidam, tum e theatro quum veniſſet, narraſſetque ſe Pyladem ſaltantem conſpexiſſe; ſtatim mulieris vultus, & faciei color immutatus eſt. Quod quum viderem, brachio manum ſtatim admoui, pulſumque ſubito varijs modis agitatum inueni: id quod animi perturbati indicium eſt: talem enim pulſum & qui de re aliqua certant, habere ſolent. Quocirca ſequenti die cuipiam ex ijs, qui me ſequebantur, præcepi, vt, quum ad mulierem veniſſem, me paulum poſt ſubſequeretur, & nunciaret Morphum eo die ſaltaſſe: quod quum feciſſet, nullam in pulſu mutationem obſeruaui. Sequenti die quoque, quum iuſſiſſem, vt idem annunciaret hiſtrionem, qui ex tribus reliquus erat, ſaltaſſe: ſimiliter pulſus non ſe mutauit. Quarto die quum ad multam noctem de induſtria expectaſſem, vbi renunciatum eſt Pyladem ſaltaſſe, diligenter annotaui pulſum varijs modis ſubſultaſſe: atque ita mulierem Pyladis amore captam deprehendi: Quod ſecutis etiam diebus attentius obſeruatum, me in opinione adhuc magis confirmauit. Ad hunc modum & alterius cuiuſpiam diuitis ſeruus atrienſis mihi cognitus eſt ſimili morbo laborare: nam, quum mæſtitia afficeretur ex eo, quia rationem pecuniarum, quas adminiſtrauerat, redditurus eſſet; ſummaque non parum deeſſe ſciret; præ mærore vigilabat, animumque deſpondens tabeſcebat. Prius itaque illius domino ſenem ſeruum nullo corporis morbo laborare aſſerui; deinde vero vt animaduerteret, monui, atrienſem propterea timere, quia rationem eorum, quæ adminiſtrauerat, expoſtulaturus eſſet, triſtitiaque ipſum idcirco angi, ſcientem haud parum deeſſe. Vt igitur me bene coniectaſſe dominus reſpondit, maioris notitiæ gratia conſului, vt atrienſi diceret, ſe id tantum argenti, quod haberet, repetiiſſe; ne commiſſa alteri ſeruo, quem nondum expertus eſſet, domeſtica gubernatione, hic inexpectata morte periret; nam ab eo poſtea rationes expoſcere non oportere. Vt autem dominus hæc ei expoſuit, credens ſe adminiſtrationis ſuæ rationes non redditurum, atque idcirco triſtitiam animo deponens; priſtinum corporis habitum tertio die recepit. Quid igitur Medicos fefellit, qui ante me ſeruum hunc, & Mulierem inſpexerant? nam hæc vulgari prudentia reperiuntur, etiamſi quis exiguam Medicinæ ſcientiam adeptus ſit. Arbitror, quia neſciunt quid ab animo perturbato corpus pati ſoleat: fortaſſe vero nec a concertationibus, & paſſionibus animum ex improuiſo turbantibus immutari pulſum intelligunt. Quod quum ſciret Eraſiſtratus; & eſſet eadem domus iuuenis ægrotantis & dilectæ feminæ: facilius, quam ego, amorem deprehendere potuit; quum frequentius æger amatam intueretur, & non pluribus interiectis diebus, quemadmodum noſtra mulier, neque tum denique viſo Pylade, ſed nominato ſolum turbaretur. Nugæ ſunt igitur, quod aiunt aliqui, pulſum amatorie moueri, eorum qui vel neſciunt amoris pulſum nullum eſſe, vel putant re quapiam animo perturbato pulſum non immutari, ſed in eandem æqualitatem & ordinem eum perſeuerare. Profecto nos Galeno concedentes, in ægrotantibus ex amore pulſum non habere determinatos motus, certasque notas vi-

las,

las, quibus, alia quacunque re circumſcripta, dignoſcatur amoris affectus: Negamus in primis, vt antea, morbi ſimilitudinem arguere cauſam penitus eandem; etenim vt ephemera febris, autore (*g*) Galeno, gignitur *ex laboribus, ira, & triſtitia, & Solis ardoribus, atque frigoribus, vigilijs, & cruditatibus, ebrietatibus, & crapulis*: Eidemque febris peſtilens (*h*) oritur aliquando ex interna cauſa putreſcentibus humoribus in corpore: ſæpius ex inſpiratione aeris infecti vel putredine cadauerum multorum poſt prælia non crematorum, vel ex lacuum, aut paludum æſtatis tempore euaporatione: vereque ſicuti peſtis Athenienſis, a Thucidide, Lucretioque tam belle deſcripta cauſam habuit vapores tetros ex Aegypti ſepulchris antiquioribus apertis elatos, & ventorum flamine in Græciam delatos aut impulſos: & nihilominus alia lues conſimilis, quæ tum Græcorum exercitum in Aulide, nec non ſecundo prope Troiam in Aſia, tum Hebræos numeratos in Syria multo prius afflixerat, ira Numinis diuinitus immiſſa fuit; vt infra latius demonſtrabitur: Vtque conuulſio (*k*) Galeno & (*l*) Hippocrati tum ex inanitione, tum ex oppoſita repletione fieri ſolet; tum ex dolore, vulnere ve neruí, tum ex refrigeratione: verba Galeni clariſſima ſunt, (*m*) *Proinde recte dixit Hippocrates neruorum conuulſiones & a plenitudine, & ab inanitione euenire*: & alibi dicit Hippocrates, (*n*) *Fiunt etiam conuulſiones ex laboribus, ex reſibus, ex plaga, & ſi quis onus maius tollat, & ex curſibus, ac lucta, & omnibus id genus*. vt nihil magis tritum ſit apud Hippocratem & Galenum, quam idem morbi genus a pluribus, & diuerſis, & contrarijs etiam cauſis oriri poſſe. Sic igitur eadem ægritudo cum vigilijs & corporis tabe potuit in atrienſi ſeruo diuitis enaſci humanitus ex mærore, ſed in Antiocho Eraſiſtrati, in Perdicca Hippocratis, & in muliercula Galeni, diuinitus ex Amoris œſtro ſecundum Hippocratis opinionem. Deinde vero, quum animus in nobis diuinum quid ſit apud antiquos omnes, vt antea ſatis oſtendimus; profecto qui motus in corpore fiunt ab anima principium habentes, vt ait (*p*) Ariſtoteles; quique morbi naſcuntur in corpore ex intenſioribus animi curis, diuinum aliquid in ſe habere dicuntur ab (*q*) Hippocrate, ſicut antea fuſe probatum eſt. Quare non minus atrienſis ſerui ægritudo ex timore, ac mærore nata, quam feminæ morbus ex amore Pyladis, in ſe diuinum quid habuit, ad quod Hippocratis iuſſu Medicus reſpicere debet; etenim ſola remotione cauſæ procatarcticæ torquentis animum facile curatur; artis Medicæ præſidijs adhibitis, aſſumptiſque, potius exacerbatur, & in morbum peiorem, ac in mortem etiam facile præcipitatur. Quo nomine ſapienter Hippocrates huiuſce diuini præcognitionem imperat Medicis, ne curationem importunam aggreſſi medicamentis perderent ægrotantes. Neque vero morbus Eroticus iſte ſolum in animi triſtitia, propter amati corporis priuationem, conſiſtit, vt ait Galenus; at corpus ita quoque conficitur, vt ad tabem deducatur; quod Perdiccæ Regi ex amore decumbenti, laboranti ve, contigiſſe nouerat Hippocrates. Neque ſumam iterum a Galeno, Amorem appellatum non fuiſſe Deum, neque Diuinum ab Hippocrate, nec ab Eraſiſtrato, nec ab alio quopiam Medico; quia ſicuti viſum eſt de Hippocrate, ſic aſſerendum cenſeo de Eraſiſtrato; nempe Gentilem hominem non contradi-

g 1. de diff. feb. c. 2.
h ibid. c. 4.
k 2. de loc. aff. c. 7.
l 5. aph. 3.
m 2 de loc. aff. c. 7.
n 1. de morb.
p 1. de an. t. 64. & 10. eth. c. 7 & 8.
q 1. progn. init.

Digitized by Google

xiſſe ſummis Ethnicorum Theologis, atque Philoſophis, Orpheo, Homero, Heſiodo, Empedocli, Parmenidi, & alijs, qui vnanimes Amorem Deum celebrant, & venerantur. De Medicis alijs mirum quod hoc afferat Galenus, quum ipſe contradicat in præſentia Medicorum ſententiæ dicentium Hippocratem ſub diuini nomine nunc agere de Amoris affectu; & afferentium veram hiſtoriam Eraſiſtrati, qui deprehendit filium Regis ob amorem egrotare, nec non fortaſſis etiam Hippocratis, qui Perdiccam Regem eadem paſſione tabeſcentem agnouit, & abſque medicamentorum vſu, ſola dilectæ mulieris poſſeſſione ſanitati reſtituit. Verum & Plato, quem ſemper magnifacere conſueuit Galenus, non ſolum ipſe paſſim Amorem eſſe Deum fatetur in Phedro, & in Sympoſio, ſed etiam introducit Eryximachum in arte medica præſtantem, hæc aſſeuerantem, (ſ) *Magnum quoque atque mirabilem hunc Deum Amorem per omnia tam humana, quam diuina latiſſime ſe porrigere. A Medicina peritia primo exemplum capiam, vt artem meam venerer. Corporum ſane naturam Amorem hunc geminum continet. Quod enim in corporibus noſtris bene valet, & quod male, aliud & diſſimile eſſe conſtat. Quod vero diſſimile eſt, diſſimile cupit, & amat. Alius ergo, qui in ſano corpore, Amor; alius, qui in agroto* &c. Ex quibus liquido patet, Medicos antiquiores etiam Platone diuinitatem Amori tribuiſſe, vel teſtimonio Platonis. Certe noſtratium Ficinus etiam (t) ipſe Medicus & Philoſophus magnus inter Platonicos, Amorem de ſententia Veterum eſſe ſcribit Dæmonem, ex copia & inopia genitum, qui mortales plerumque nimium crucians, in morbos impellit. Plutarchus in Erotico teſtis eſt, *Antiquitus in Helicone certamen quinquennale celebrari conſueuiſſe, vt Muſis, ita etiam Amori, magnifice admodum ac ſplendide.* Cui communi ſacro nemo Medicorum contradixiſſet impune. Sed & mox poſcenti: *Quonam reſpexerint ij, qui primi nomen Dei Amori fecerunt*: *Videre*, inquit, *rem mihi tentare magnam, audaxque facinus, atq; adeo immobilia, quod dicitur, mouere: cauſam poſtulans reddi ac demonſtrari noſtrarum de Dijs opinionum. Sufficit enim antiqua, & a maioribus ad nos propagata perſuaſio; qua nullum euidentius inueniri poteſt argumentum.* & reliqua: quibus fuſe demonſtrat, Amorem ab omni Gentilitate diuino titulo cultum fuiſſe. Nec vnquam Galenus oſtendere certoq. probare poterit, a nullo Medico vetuſto Amorem vocatum fuiſſe Deum, Amoriſque paſſionem appellatam fuiſſe diuinam affectionem; quod aſſertio negatiua de humanis actionibus probationem non habeat vllam. Dum autem denique concedit Galenus, diuinam affectionem eſſe Amorem apud eos, qui credunt Poetis, fabulantibus Dæmonem quendam puſillum, recens natum, gerentem faces ardentes, homines quoſdam in hanc agere affectionem: meminerit ipſe Poetarum fabulas apud antiquos ethnicos doctiores habere ſenſum myſticum, ſiue allegoricum, quem & Hippocrates non poeta ſi vſurpauit, vt antea vidimus, aſſerens Democritum, qui prope patriam Abderam in villula ſuburbana philoſophabatur, habitare longinquam regionem, quam incolunt Dei Dæmones, Artes Omnes, Conſilia, Senatus, & diſciplinæ: vbi polus eſt magnus, valde mobilibus aſtris coronatus; adeoque facile Coum ſenem adhibiturum eſſe fidem Poetis vniuerſæ Gentilitatis Theologis, Orpheo, Homero, Heſiodo, & alijs, qui talia de Amore pronunciauerunt; dum ſub apo-

ſ in Conu.

t com. in Conu. or. 3 cap. 9.

apologi tegmine ſignificant Amorem eſſe Dæmonem, mole quidem paruum, ſed virtute magnum, (quod de Intellectu dicebat (x) Ariſtoteles) indicantes affectum Amoris ex paruo principio naſcentem, ac irrepentem in animos hominum; quos cupiditatibus ardentibus, veluti facibus adactis, vrit, & excarnificat ad tabem, vigilijſque cruciat. Nam & ipſe Plato Poetas conſimilia fabuloſa nectentes, ait vera quodammodo dicere, ſeque talia dicentibus credere; ſicut etiam antea notauimus. Patet igitur, Hippocratem inter ea diuina, quæ iubet in Prognoſticis Medicos obſeruare, prænoſcereque num inſit in morbis eorum aliquod, etiam numerare Amoris impotentis affectum; nam vbi quis ægrotet ex Amore, valere iuſſis omnibus Medicinæ præſidijs, Medicus ex Hippocratis decretis amatum obiectum ægrotanti concedendum eſſe debet imperare, cuius vnius fruitione facile ſanitati reſtitui poteſt æger: alioqui remedijs artis imperitus, in peiorem valetudinem, & in mortem detrudetur, magna cum Artis calumnia, & medentis ignominia.

x 10 ethic. c. 7.

In Ione.

Ira Dei ſontes punientis, nonum eſt diuinum in morbis obſeruandum a Medicis ex Hippocratis iuſſione. Cap. XVIII.

DEnique vero, Diuinum in morbis a Medico præcognoſcendum ex Hippocratico præcepto, nonum ſit, quod antiquitus propoſitum fuit, Galeni teſtimonio, Numinis Ira iuſta, mortales ob delicta puniens ægritudinibus, vlciſcenſque crimina morbis vel ad pœnam culpæ, vel ad emendationem, vt reſipiſcant homines, & ad virtutis pietatiſque ſemitam flagellis infirmitatum retrahantur, vel etiam ad exemplum, ne ceteri flagitijs emancipentur, formidine pœnæ; ſi non virtutis amore ſcelera fugere voluerint. De quo ſane diuino in morbis habemus non ſolum præclara teſtimonia Platonis, & Cornelij Celſi; ſed etiam tum hiſtorias antiquiores Hippocrati notiſſimas, tum non obſcuram in operibus Coi ſenis mentionem. Plato ſiquidem in Phædro ſcribit, *Atqui aduerſus morbos & labores maximos ob antiqua delicta quandoque diuina indignatione mortalibus imminentes gentibus quibuſdam alicunde furor adueniens, & prædicens quibus opus erat, remedia adinuenit, confugiens ad vota, cultuſque Deorum: vnde expiationes, propitiationeſque conſecutus, incolumem reddidit poſſidentem & in præſens tempus, & in futurum, abſolutionem præſentium malorum recte furenti occupatoque adeptus.* His innuit Plato multas & ſacras, & profanas hiſtorias de propoſito, quas & Hippocrates partim legit, partim legiſſe potuit. Celſus item eandem ſententiam ex Homero (a) confirmat, vt infra commodiori loco patebit: Nunc veteres illas hiſtorias afferre lubet; quibus Hippocrates non minus quam inſomnijs ordinem (b) ſeruantibus fidem adhibere debet, quum ordinem ſeruent accuratiſſimum & euidentiſſimum. Et profecto Dictys Cretenſis, qui ſub Idomeneo Duce, bello Troiano miles interfuit, illius expeditionis accuratam hiſtoriam texuit ſex integris libris, non poeta quidquam effingens, verum hiſtoricus res ge-

Morbi ob antiqua delicta.

a in Præf.

b epiſt. 2. Hipp. ad Philopœm.

geſtas ab ſe viſas enarrans; in quorum voluminum primo, & ſecundo geminum Agamemnonis refert ſacrilegium, ob quæ piacula tum ab irata Diana læſa, tum ab Apolline contempto, Græcorum exercitus bis atroci peſtilentia cruciatus eſt, vt Imperatorem ſacrilegum dignitate ſpoliarent, & filiam eius virginem nubilem læſo Numini ſacrificarent. Neque vero graſſantem luem artis medicæ præſidijs curare voluerunt, aut valuerunt in eo exercitu degentes Medici præſtantiſſimi, Podalyrius & Machaon Aeſculapij filij; nam agnoſcentes morbum diuinitus immiſſum, curationem eius non ſunt aggreſſi, fruſtranea reputantes omnia medicamenta; ſed ſolum ſupplicationibus, & cultu debito, ſatisfactioneque Numinibus placatis peſtis illa gemina deſijt exercitum perdere, prima quidem Europæa in Aulide Græciæ, ante nauigationem ob iram Dianæ immiſſa; altera vero poſt nauigationem ab Apolline in Aſiæ littore Troiano. Porro de hiſtorico non apocrypho, ſed veridico, teſtimonium perhibet Suidas, cui *Dictys hiſtoricus ſcripſit ephemeriden: Nouem autem libris res ab Homero prætermiſſas eſt complexus: Res Italicas: De Troiana Republica. Hic etiam ſcripſit de Raptu Helenes, & Menelao, & vniuerſa Iliaca hiſtoria. Dictys: Quum Claudio Imperatore Creta terræmotu concuſſa fuiſſet, multis ſepulchris apertis, in horum quodam opus hiſtoriarum Dictys eſt repertum, quod bellum Troianum continebat. Quod Claudius acceptum tradidit deſcribendum.* Qua de re multo prius, & multo diligentius *Q. Septimius Ro-*
„ *manus Q. Aradio S.D. Ephemeriden belli Troiani Dictys Cretenſis (qui in ea militia*
„ *ſub Idomeneo meruit) conſcripſit litteris punicis, quæ tum Cadmo & Agenore auto-*
„ *ribus per Græciam frequentabantur. Dein poſt multa ſæcula collapſo per vetuſtatem*
„ *apud Gnoſon (olim Cretenſis Regis ſedem) ſepulchro, eius paſtores quum eo deueniſ-*
„ *ſent, forte inter ceteram ruinam loculum ſtanneo a fabro clauſum offendere; ac theſau-*
„ *rum rati mox diſſoluunt: non aurum, nec aliud quidpiam prædæ, ſed libros ex philyra*
„ *in lucem producturi. At vbi ſpes fruſtrata eſt, ad Praxim, Dominum loci, eos deferunt.*
„ *Qui commutatos litteris Atticis (nam oratio Græca fuerat) Neroni Romano Cæſari*
„ *obtulit; pro quo plurimis ab eo donatus eſt. Nobis quum in manus forte libelli ve-*
„ *niſſent, auidis veræ hiſtoriæ cupido inceſſit, ea vti erant Latine diſſerere. magis con-*
„ *fiſi ingenio, vt otioſi animi deſidiam diſcuteremus. Itaque primum quinque volumi-*
„ *num, quæ bello contracta geſtaque ſunt, eundem numerum ſeruauimus: reliqua*
„ *quidem de reditu Græcorum in vnum redegimus; atque ad te miſimus. Tu, Ruffi-*
„ *ne mi, vt par eſt, faue cæptis.* Diodorus etiam Siculus hiſtoriæ dictis plenam fidem adhibens, in ſua volumina totam inſerere voluit vna cum hiſtoria Daretis Phrygij *de Excidio Troiæ*. Quæ omnia ſatis eximunt hanc hiſtoriam e numero voluminum apocryphorum. Statimque Dictys opus interpreta-
c Dict. de bell. Tro. lib. 1. tus, non multo poſt ab initio Septimius loquentem ſic vertit, (*c*) *Ita quum nulla iam res profectionem, niſi abſentia militis retardaret, cuncti duces veluti ſigno dato, vno atque eodem tempore Aulida confluunt. Interim in ipſa nauigandi feſtinatione Agamemnon, quem a cunctis Regem omnium declaratum ſupra docuimus, longius paulo ab exercitu progreſſus, forte conſpicit circa lucum Dianæ paſcentem*
Peſtis ob irã Dianæ. *capream: imprudenſque religionis, quæ in eo loco erat, iaculo transfigit. Neque multo poſt ira Dianæ obmutationem aeris corporibus pertentatis, lues inuadit: atque interim in dies magis magiſque ſæuiens, multa millia fatigare, & promiſcue pecora,*

atque

Digitized by Google

atque exercitum grauare. Prorſus nullus funeri modus, neque requies: vti quidque malo obuiam fuerat, vaſtabatur. Quibus rebus ſolliciti, Ducibus mulier quædam Deo plena Dianæ iram fatur: Eam namque ob necem capreæ, qua maxime lætabatur, ſacrilegij pœnas ab exercitu expetere: nec leniri, priuſquam autor tanti ſceleris filiam natu maximam, vicariam victimam immolaret. Quæ vox vt ad exercitum venit, omnes Duces Agamemnonem adeunt: Eum quippe primo orare, recuſantemque ad poſtremum cogere, vti malo obuiam properaret. Sed vbi obſtinate renuere videt, nec vlla vi queunt flectere, plurimis conuicijs inſecuti, ad poſtremum Regio honore ſpoliauere. Ac ne tanta vis exercitus ſine rectore profuſius, ac ſine more militiæ vagaretur, præficiunt ante omnes Palamedem: deinde Diomedem, & Aiacem Telamonium: quartum Idomeneum. Ita per æquationem numeri atque partium, quadripartitur exercitus. Neque interim vllus finis vaſtitatis. Tunc Vlyſſes, ſimulata ex pertinacia Agamemnonis iracundia, ob id domum demigrationem confirmans, magnum atque inſperabile cunctis remedium excogitauit. Profectus namque Mycenas, nullo conſilij participe, falſas literas tanquam ab Agamemnone ad Clytemneſtram perfert, quarum ſententia hæc erat: Iphigeniam (nam ea maior natu erat) deſponſam Achilli: eumque non prius ad Troiam profecturum, quam promiſſi fides impleretur: ob quæ feſtinaret, eamque & quæ nuptijs vſui eſſent, mature mitteret. Præterea multa pro negotio ementita argumenta locutus, fidem fecerat. Quæ vbi accepit Clytemneſtra, tum propter gratiam Helenæ, tum maxime quod tam celeberrimo homini viro filia traderetur, læta Iphigeniam Vlyſſi committit. Iſque confecto negotio, paucis diebus ad exercitum reuertitur atque ex improuiſo in luco Dianæ cum Virgine conſpicitur. Quis cognitis Agamemnon affectione paternæ pietatis metus, ne tam illicitæ immolationis ſceleri intereſſet, fugam parat. Eumque, re cognita, Neſtor, longam exorſus orationem, ad poſtremum in ſuadendi genere, in quo præter cæteros Græciæ viros iucundus acceptusque erat, a propoſito cohibuit. Interim Virginem Vlyſſes & Menelaus cum Calchante (quibus id negotium datum erat) remotis procul omnibus, ſacrificio adornant: Quum ecce dies fœdari, & cœlum nubilo tegi cœpit: Dein repente tonitrua, coruſcationes, fulmina, & præterea terra marisque ingens metus: atque ad poſtremum confuſione aeris ereptum lumen. Neque multo poſt imbrium atque grandinis vis magna præcipitata: Inter quæ tam tetra nulla requies tempeſtatis. Menelaus cum his, qui ſacrificium curabant, metu atque hæſitatione in diuerſa agebatur. Terreri quippe primo ſubita cœli permutatione, idque ſignum diuinum credere: Dein ne cœptum omitteret, detrimento multum commoueri. Igitur inter tantam animi dubitationem, vox quædam luco emiſſa, Aſpernari Numen ſacrificij genus, & ob id abſtinendum a corpore Virginis; miſereri namque eius Deam. Cæterum pro tanto facinore ſatis pœnarum Agamemnoni a coniuge eius poſt Troianam victoriam comparatum: Itaque curarent id, quod in vicem Virginis oblatum animaduerterent, immolare. Dehinc cœpere venti atque fulmina, aliaque quæ in magno cœli motu oriri ſolent, conſeneſcere. Sed quum hæc in luco aguntur, Achilles literas ſibi ſeorſum miſſas a Clytemneſtra, cum auri magno pondere accipit, in quibus et filiam atque omnem domum ſuam commendauerat. Quas poſtquam perlegerat, & Vlyſſis conſilium patefactum eſt omiſſis omnibus, propere ad lucum pergit Achilles, magna voce Menelaum & qui cum eo erant, inclamans, ab inquietudine Iphigeniæ cohiberent ſe ſe, comminatus perniciem omnibus, niſi paruiſſent. Mox attonitis his atque ſtupefactis ipſe ſuperuenit;

re-

*reformatoque iam die Virginem abſtrahit. Interim deliberantibus cunctis, quid-
nam, & vbi eſſet quod immolari iuberetur, Cerua forma corporis admiranda, an te
ipſam Aram intrepida conſiſtit. Eam prædictam hoſtiam rati, oblatamque diuini-
tus, comprehendere, moxque immolant. Quibus peractis, ſedata lues, inſtar que
æſtiui temporis cælum reſeratum eſt. Ceterum Virginem Achilles, atque hi, qui ſa-
crificio præfuere, clam omnibus Regi Scytharum, qui eo tempore aderat, commenda-
uere. At vbi Duces ſedatam vim mali animaduertere, ventorumque flatus nauu-
gandi proſperos, atque æſtiuam maris faciem, omnes læti Agamemnonem adeunt,
eumque interitu filiæ permæſtum conſolati, honorem Regni rurſum concelebrant.
Quæ res pergrata atque accepta per exercitum fuit: Eum quippe optimum conſulto-
rem ſuum, quem non ſecus quam parentem miles omnis percolebat.* Hanc anti-
quiſſimam hiſtoriam, quam Hippocrates non potuit non legiſſe, referre me
nunc ad verbum oportuit, vt comprobarem Hippocratem eundem, qui ſcri-
bit ad Philopæmenem ſe ſomnijs etiam credere, maxime quum ordinem
ſeruant, fidem adhibuiſſe narrationi Dictyanæ de peſtilentia diuinitus im-
miſſa ob iram Numinis in exercitu Græcorum, irritata Diana ſacrilegio
Ducis Agamemnonis, prius quam Claſſis ex Aulide ſolueret in Aſiam.
Quem poſtea ſecundo ſacrilegio reum, apud Troiam obſeſſam alterius peſti-
lentiæ lue multatum ab Apolline ſpreto cælitus in exercitum immiſſa, ſcri-
d lib.2. bit idem Dictys (d) infra dicens, *Per idem tempus Chryſes, quem ſacerdotem Smin-
Peſtis ob irã Apollinis. thij Apollinis ſupra docuimus, cognito filiam ſuam Aſtynomen cum Agamemnone
degere, fretus religione tanti Numinis, ad naues venit, præferens Dei vultus, & quæ-
dam ornamentorum templi eius, quo facilius recordatione præſentis Numinis vene-
ratio ſui Regibus incuteretur. Dein oblatis auri atque argenti donis plurimis, re-
demptionem filiæ deprecatur: deprecans vti magni facerent præſentiam Dei, qui ſe-
cum oratum eos ob ſacerdotem proprium veniſſet. Præterea commemorat, quæ in-
dies aduerſum ſe ab Alexandro, eiuſque conſanguineis, ob exhibitam a ſe paulo ante
immolationem, inimica hoſtiliaque pararentur. Quæ vbi accepere, reddendam fi-
liam Sacerdoti, neque ob id accipiendum præmium, vniuerſis placet: Quippe quum
per ſe amicus, fidelisque nobis, tum præcipue ob religionem Apollinis nihil non meri-
ti, credebatur. Namque iam multis documentis ac fama incolarum obſequi Nu-
mini eius per omnia deſtinauerant. Quæ poſt quam Agamemnon accepit, obuiam
cunctorum ſententijs ire pergit. Itaque atroci vultu exitium ſacerdoti commina-
tur, ni recederit: perditum ſenem, atque extrema metuentem, imperfecto negotio ab
exercitu dimittit. Tali modo conuentu diſſoluto, ſinguli Reges Agamemnonem
adeunt, cunque multis probris inſectantur; quippe quod ob amorem captiuæ mu-
lieris ſeque, & quod indigniſſimum videretur, tanti Numinis Deum contemptui ha-
buiſſet; ac mox vniuerſi execrati deſeruere. Obidque & memores Palamedis, quem
gratum acceptumque in exercitu haud ſine conſilio eius, Diomedes atque Vlyſſes do-
lo circumuentum, necauiſſent. Ceterum Achilles in ore omnium, ipſumque, &
Menelaum contumelijs laceſſebat. Igitur Chryſes vbi iniuriam perpeſſus ab Aga-
memnone, diſceſſit: Neque multi fluxere dies, incertum alione caſu, an vti omni-
bus videbatur, ira Apollinis morbus grauiſſimus exercitum inuadit: Principio graſ-
ſari dicto a pecoribus: deinde malo paulatim magis magisque ingraueſcente, per
homines diſpergitur. Tum vero vis magna mortalium, corporibus fatigatis peſtife-*

Digitized by Google

ra ægritudine, infando ad poſtremum exitio interibant. Sed Regum omnino nullus, neque mortuus hoc morbo, neque tentatus eſt. Ceterum poſtquam nullus morbi modus, & indies plures intereunt, cuncti Duces conuerſo iam in ſe quiſque timore, in vnum coeunt. Ac dein flagitare Calchanta, quem futurorum præſcium memorauimus, vti cauſam tanti mali ediſſerat. Ille autem perſpicere ſe originem huiuſce morbi, ſed haud liberum eſſe quicquam eloqui; ex quo accideret, vt potentiſſimi Regis contraheret offenſam. Poſt quæ Achilles Reges ſingulos adijt, vti interpoſita iuriſiurandi religione confirmarent, nequaquam ſe ob eam cauſam offendi. Hoc modo Calchas vbi cunctorum animos in ſe conciliauit, Apollinis iram pronunciat; eum namque ob iniuriam Sacerdotis infeſtum Græcis, pœnas ab exercitu expetere. Dein perquirente Achille mali remedium, reſtitutionem Virginis pronunciat. Tum Agamemnon conteſtans, quod mox accidit, Concilio tacitus egreſſus, cunctos quos ſecum habuit, in armis eſſe iubet. Id vbi Achilles animaduertit, commotus rei indignatione, ſimul pernicie defeſſi exercitus anxius; defunctorum corpora miſerandum in modum confecta, vndique in conuentu ante ora omnium proijci fecit. Quo ſpectaculo adeo commoti Reges genteſque omnes, vti aduerſus Agamemnonem a cunctis pergeretur, duceque atque autore Achille: ſi perſtaret, ſuadere exitio vindicandum. Quæ vbi Regi nunciata ſunt, pertinaci animo ab amore captiuæ nullo modo ſeiungi, apparatus experiri; nihil de ſententia remittendum deſtinauerat. At poſtquam Troiani cognouere conflagrationem corporum aſſiduam, crebraſque ſepulturas animaduertentes: doctique etiam reliquos incommodo cladis eius debiles agere, cohortati inter ſe arma capiunt, ac propere cum manu auxiliari effuſi portis, pergunt aduerſum: ac dein per campos exercitu bipartito, Troianis Hector, Sarpedon auxiliarijs duces facti. Tum noſtri, viſis contra hoſtibus, armati atque inſtructi pro negotio ſimplicis forma aciem compoſuere, circa cornua diuiſis ducibus: dextrum Achilles cum Antilocho, alterum Aiax Telamonius cum Diomede curabant; medios accepere Aiax Oileus, & Idomeneus Dux noſter. Hoc modo exercitu vtriuſque compoſito, pergunt obuiam. At vbi ad manus ventum eſt, cohortati ſuos quiſque, acie conflixere. Tum vero aliquantulum tracto certamine, plurimi vtriuſque partis cadunt, præcellentibus in ea pugna Barbarorum Hectore & Sarpedone, Græcorum Diomede cum Menelao. Dein nox, communis amborum requies, diremit prælium. Igitur reducto exercitu, corpora ſuorum cremata igni, ſepeliunt. Quibus perfectis, Græci ſtatuunt inter ſe, Achillem, cuius in aduerſis Græcorum caſibus ſollicitudo præcipua videbatur, Regem omnium confirmare. Sed Agamemnon anxius ne decus regium amitteret, in concilio verba facit: ſibi maxime cordi eſſe exercitus incolumitatem: neque vlterius differre, quin Aſtynome parenti remitteretur, maxime ſi reſtitutione eius inſtantem perniciem ſubterfugerent. Nec quicquam deprecari amplius, modo in locum eius Hippodamiam, quæ cum Achille degeret, vicarium munus amiſſi honoris acciperet. Quæ res quanquam atrox omnibus & indigna videretur: attamen conniuente Achille, cui id præmium pro multis atque egregijs facinoribus fuerat, effectum habuit. Tantus amor erga exercitum, curaque animo egregij adoleſcentis inceſſerat. Igitur aduerſa cunctorum voluntate, neque tamen quoquam palam recuſante, Agamemnon tanquam ab omnibus res conceſſa videretur, Lictoribus vti Hippodamia ab Achille abſtraheretur, imperat: hique breui iuſſa efficiunt. Interim Aſtynomen Græci per Diomedem atque Vlyſſem cum magna copia victimarum ad fanum Apol-

linis tranſmiſere. Dein perfecto ſacrificio, vis mali leniri paulatim viſa, neque amplius attentari corpora: & eorum, qui ante fatigabantur, tanquam ſperato diuinitatis leuamine relaxari. Ita breui per vniuerſum exercitum ſalubritas vigorque ſolitus renouatus eſt. Mittitur etiam Philoctetæ Lemnum portio eius prædæ, quam Græci per Aiacem atque Achillem aduectam, inter ſe viritim diſtribuerant. Cæterum Achilles memor iniuriæ ſupradictæ, abſtinendum publico concilio decreuerat, odio maxime Agamemnonis. Abolitoque amore, quem circa Græcos habuerat, ſcilicet quod eorum patientia, poſt tot bellorum victorias, ac facta fortia, Hippodamia, conceſſum pro laboribus præmium, per iniuriam abducta eſſet. Dein venientes ad ſe Duces aditu prohibere: neque cuiquam eorum ignoſcere, qui aduerſus Agamemnonis contumelias, quum defendere liceret, deſeruiſſent. Intus igitur manens, Patroclum & Phœnicem, hunc morum magiſtrum, alterum obſequijs amicitiæ charum; & aurigam Automedontem ſecum retinebat. Per idem tempus apud Troiam exercitus &c.
Quam hiſtoriam res geſtas tam ex ordine referentem, ab Homero receptam, & in Iliade Dictyanis fere verbis nedum ſententijs exaratam habemus hiſce (c) metris,

c lib. 1. v 6. & ſeqq.

„ *Ex quo ſane primam diſſenſerunt litigantes*
„ *Atrideſque Rex virorum, & diuus Achilles.*
„ *Quiſnam ipſos Deorum contentioni commiſit vt pugnarent.*
„ *Latonæ & Iouis filius; hic enim Regi iratus*
„ *Morbum per exercitum ſuſcitauit malum: peribant autem populi.*
„ *Quoniam Chryſen inhonorauit Sacerdotem*
„ *Atrides: hic enim venit celeres ad naues Achiuorum.*
„ *Liberaturuſque filiam, ferenſque infinita pretia liberationis,*
„ *Coronamque habens in manibus longe-iaculantis Apollinis*
„ *Aureo cum ſceptro: & obſecrabat omnes Achiuos.*
„ *Atridas autem maxime, duos principes populorum:*
„ *Atridæque, & alij bene-ocreati Achiui,*
„ *Vobis quidem Dij dent cæleſtes domos habitantes*
„ *Expugnare Priami ciuitatem: feliciter vero domum reuerti.*
„ *Filiam autem mihi ſoluite dilectam: hæc vero pretia liberationis accipite,*
„ *Venerantes Iouis filium longe iaculantem Apollinem.*
„ *Tunc alij quidem omnes fauerunt linguis Achiui*
„ *Reuerendumque eſſe ſacerdotem & ſplendida accipienda pretia liberationis;*
„ *Sed non Atridæ Agamemnoni placuit animo:*
„ *Sed ineuiliter dimiſit, grauem & ſermonem mandauit.*
„ *Ne te ſenex, cauas apud naues offendam,*
„ *Vel nunc tardantem, vel poſt denuo reuertentem:*
„ *Non vtique tibi proderit ſceptrum & corona Dei.*
„ *Hanc autem ego non ſoluam antequam ipſam & ſenectus adeat,*
„ *Noſtra in domo Argis procul a patria*
„ *Telam percurrentem, & meum lectum curantem:*
„ *Sed abi, ne me irrites, ſaluus vt redeas.*
„ *Sic dixit: timuit autem ſenex, & obediuit mandato:*
„ *Ibat autem tacitus iuxta littus multiſtrepentis maris.*

Mul-

Digitized by Google

,, *Multum autem poſtea ſeorſum vadens imprecabatur ſenex*
,, *Apollinem Regem, quem pulchricoma peperit Latona:*
,, *Audi me argenteum arcum habens, qui Chryſam tueris,*
,, *Cillamque valde diuinam, Tenedoque fortiter imperas,*
,, *Smintheu, ſi quando tibi gratum templum coronaui,*
,, *Vel ſi quando tibi pingues coxas cremaui*
,, *Taurorum, & caprarum, hoc mihi perfice deſiderium:*
,, *Pendant pœnas Danai ob meas lacrymas tuis ſagittis.*
,, *Sic dixit orans: hunc autem exaudiuit Phœbus Apollo.*
,, *Deſcendit autem ex cæli verticibus iratus cor,*
,, *Arcus in humeris habens, circumtectamque pharetram:*
,, *Clanxerunt autem ſagittæ in humeris irati,*
,, *Quum moueretur: ipſe autem ibat nocti ſimilis:*
,, *Sedit poſtea ſeorſum a nauibus, ſagittam autem immiſit:*
,, *Terribilis autem clangor factus eſt argentei arcus.*
,, *Mulos quidem primum inuaſit, & canes veloces.*
,, *Sed poſtea in ipſos ſagittam mortiferam immittens,*
,, *Feriebat: ſemper autem pyræ mortuorum incendebantur frequentes:*
,, *Nouem dies quidem per exercitum ibant ſagittæ Dei:*
,, *Decimo autem ad concionem vocauit populum Achilles:*
,, *Huic enim in mentibus poſuit Dea albas-vlnas-habens Iuno:*
,, *Curam enim gerebat Danaorum, quia vtique morientes videbat:*
,, *Hi autem poſtquam congregati ſunt, in vnumque conuenerunt,*
,, *Hos exurgens affatus eſt pedes, velox Achilles.*
,, *Atride, nunc nos iterum errantes puto*
,, *Retroceſſuros, ſi modo mortem quidem fugiamus:*
,, *Si quidem ſimul bellumque domat & peſtis Achiuos.*
,, *Sed age iam aliquem vatem interrogemus, vel Sacerdotem,*
,, *Vel & ſomniorum interpretem (etenim ſomnium ab Ioue eſt)*
,, *Qui dicat, cur tantum iratus eſt Phœbus Apollo:*
,, *Siue hic* nos *ob vota non reddita incuſat, ſiue ob hecatomben:*
,, *Si forte ouium nidorem, caprarumve integrarum*
,, *Aſſecutus velit a nobis peſtem depellere.*
,, *Certe hic ita locutus ſedit: his autem reſurrexit*
,, *Calchas Teſtorides augurum longe optimus,*
,, *Qui ſciebat & præſentia, & futura, & præterita,*
,, *Et nauibus dux fuit Achiuorum ad Ilium*
,, *Suam propter vaticinationem, quam ei præbuit Phœbus Apollo:*
,, *Qui ipſis bene-ſapiens concionatus eſt, & dixit:*
,, *O Achilles, iubesne me, Ioui dilecte, eloqui*
,, *Iram Apollinis longe iaculantis Regis?*
,, *Igitur ego dico: tu autem paciſcere, & mihi iura,*
,, *Certe quidem mihi promptum verbis, & manibus te auxiliaturum:*
,, *Certe enim puto virum iratum iri, qui magnum omnium*
,, *Argiuorum imperium habet, & ei obediunt Achiui.*

„ *Potentior enim Rex quando iraſcitur viro inferiori,*
„ *Quamuis enim iram & eodem die decoxerit,*
„ *Tamen & poſtea retinet iram, donec perfecerit*
„ *In pectoribus ſuis. tu tamen dic ſi me ſeruabit.*
„ *Hunc autem reſpondens allocutus eſt pedes velox Achilles,*
„ *Confiſus valde dic vaticinium quodcunque ſcis,*
„ *Non enim per Apollinem Ioui dilectum (cui tu Calchas*
„ *Vota faciens Danais vaticinia oſtendis)*
„ *Quiſpiam me viuente, & in terra vidente,*
„ *Tibi cauas apud naues graues manus inferet*
„ *Cunctorum Danaorum, neque ſi Agamemnonem dicas,*
„ *Qui nunc longe potentiſſimus in exercitu iactatur eſſe.*
„ *Et tunc iam animum ſumpſit, & dixit vates irreprehenſibilis:*
„ *Neque hic ob vota non reddita incuſat, neque ob hecatombem.*
„ *Sed gratia Sacerdotis, quem contumelia affecit Agamemnon,*
„ *Neque liberauit filiam, & non accepit pretia liberationis,*
„ *Idcirco dolores dedit longe-iaculans, & adhuc dabit:*
„ *Neque hic prius a peſte graues manus continebit,*
„ *Quam patri dilecto reddatur nigris-oculis puella*
„ *Inempta, ſine redemptionis pretio, & ducatur ſacra hecatomba*
„ *In Chryſam: tunc ipſum forte placantes perſuadebimus.*
„ *Certe hæc ita locutus conſedit. Hic autem ſurrexit*
„ *Heros Atrides late-dominans Agamemnon*
„ *Contriſtatus: ira autem valde, præcordia circumfuſa caligine*
„ *Plena erant, oculi autem ipſi igni lucenti ſimiles erant,*
„ *Calchanta primum male intuens allocutus eſt.*
„ *Vates malorum, nunquam mihi gratum dixiſti:*
„ *Semper mala animo tuo iucundum eſt vaticinari:*
„ *Bonum autem nondum aliquod dixiſti verbum, aut perfeciſti:*
„ *Et nunc inter Danaos vaticinans concionaris,*
„ *Quod idcirco ipſis longe-iaculans dolores facit,*
„ *Quoniam ego puellæ Chryſeidis præclara liberationis pretia*
„ *Non volui accipere: quoniam valde cupio ipſam*
„ *Domi habere: etenim Clytemneſtræ propoſui*
„ *Vxori, quam Virginem puellam duxi, quum non ipſa inferior ſit*
„ *Neque corpore, neque indole, neque mentibus, neque item operibus:*
„ *Sed nihilominus volo reddere, ſi hoc eſt melius:*
„ *Volo ego populum ſaluum eſſe, potius quam perire.*
„ *Sed mihi præmium ſtatim præparate, vt non ſolus*
„ *Argiuorum ſim ſine munere: nam neque decet.*
„ *Videtis enim hoc omnes, quod mihi præmium abit alio,*

Et poſt grauia probra inter Achillẽ, & Agamemnonẽ vtrimq. iactata, hic ait,

f v. 141. & ſeqq.

(f) „ *Nunc autem age nauem nigram deducamus in mare diuum.*
„ *Intus autem remiges idonee congregemus, intus autem hecatomben*
„ *Ponamus: ipſam vero Chryſeida pulchram genas.*

Aſcen-

„ *Aſcendere faciamus: vnus autem aliquis princeps vir conſiliarius*
„ *Vel Aiax, vel Idomeneus, vel Diuus Vlyſſes,*
„ *Vel tu Pelide omnium terribiliſſime virorum,*
„ *Vt nobis longe-iaculantem places ſacra faciens.*

Et iterum redintegratis opprobramẽtis vtrimq; addit Atrides Achilli, mox, *g* v. 182. & ſeqq.
(*g*) „ *Quoniam a me aufert Chryſeida Phœbus Apollo.*
„ *Hanc quidem ego cum nauique mea, & meis ſocijs*
„ *Mittam: ego quoque abducam Briſeida pulchram genas,*
„ *Ipſe veniens ad tentorium, tuum præmium; vt bene ſcias*
„ *Quanto melior ſim te: timeat autem & alius*
„ *Aequalem ſe mihi dicere, & aſſimilari contra.*

Et alijs contumelijs inter hos iactatis, appoſitisque Palladis iam, atque Neſtoris epiſodijs, ſubdit (*h*) Homerus, *h* v. 307. & ſeqq.
„ *Atrides autem nauem velocem in mare deduxit,*
„ *Intus autem remiges elegit viginti, intus autem hecatombem*
„ *Impoſuit Deo, Chryſeidem vero pulchrigenam*
„ *Conſcendere fecit adductam: in ea autem princeps aſcendit prudens Vlyſſes.*
„ *Qui quum aſcendiſſent, nauigabant per humidas vias.*
„ *Populos autem Atrides luſtrari iuſſit.*
„ *Illi autem luſtrabantur, in mare ſordes iaciebant.*
„ *Faciebant autem Apollini perfectas hecatombas*
„ *Taurorum & caprarum iuxta littus maris infructuoſi.*
„ *Nidor autem ad cælum ibat inuolutus circa fumum.*
„ *Sic hi quidem hæc operabantur per exercitum: neque Agamemnon*
„ *Ceſſabat a rixa, qua primum minatus fuerat Achilli.*
„ *Sed hic Talthybiumque & Euribatem affatus eſt:*
„ *(Hi ipſi erant præcones & fortes miniſtri)*
„ *Abite ad tentorium Pelidæ Achillis,*
„ *Manu capientes adducite Briſeida pulchrigenam.*
„ *Si autem non dederit, ego ipſe auferam*
„ *Veniens cum pluribus: quod illi & horribilius erit.*
„ *Sic dicens præmiſit, durum autem mandatum iuſſit.*
„ *Hi inuiti iuerunt iuxta littus maris infructuoſi:*
„ *Mirmidonum vero ad tentoriaque & naues peruenerunt.*
„ *Hunc autem inuenerunt apud tentorium & nauem nigram*
„ *Sedentem; neque ſane hos intuitus lætatus eſt Achilles.*
„ *Hi quidem perterriti, & reueriti Regem,*
„ *Steterunt: nequaquam vero ipſum alloquebantur, nec interrogabant:*
„ *Sed hic cognouit ſuis in mentibus, dixitque:*
„ *Saluete præcones Iouis nuncij, atque etiam virorum:*
„ *Propius accedite: nihil mihi vos culpandi, ſed Agamemnon,*
„ *Qui vos præmiſit Briſeida cauſa puellæ.*
„ *Sed age generoſe Patrocle educ puellam,*
„ *Et ipſis da vt ducant: vos ipſi autem teſtes eſtote*
„ *Coram Dijs beatis, coramque mortalibus hominibus,*

,, *Et coram Rege inmiti, ſi vnquam poſt hac*
,, *Opus me fuerit ſæuam perniciem remouere*
,, *Ab alijs: certe enim h:e perniciosis conſilijs furit,*
,, *Neque ſcit intelligere præſentia, nec futura,*
,, *Vt ſibi apud naues ſalui pugnare queant Achiui.*
,, *Sic dixit: Patroclus autem dilecto obediuit ſocio:*
,, *Eduxit autem ex tentorio Briſeida pulchrigenam,*
,, *Deditque ducendam: hi autem retro iuerunt ad naues Achiuorum.*
,, *Illa vero inuita vna cum his mulier ibat.*

Poſt hæc Achillis interiecta lamentatione cum matre Thetide de abducta Briſe filia Hippodamia, quod eam in locum Aſtynomes Chryſe filiæ voluerit Agamenon iniuria, multisque Dearum Iunonis, & Palladis epiſodijs interpoſitis, cum iterata narratione ſacrilegij Agamemnonis Apollinem contemnentis in retinenda Chryſeide, tandem ait (s) Homerus, in omnibus fere
i v. 430. & ſeqq. Dicty conſentiens,

,, ------------------------------ *Sed Vlyſſes*
,, *In Chryſen peruenit, ducens ſacram hecatombem.*
,, *Qui quando portum valde profundum intra peruenerunt,*
,, *Vela quidem collegerunt, poſueruntque in naui nigra:*
,, *Malum autem thecæ accommodarunt, rudentibus dimittentes*
,, *Statim: hanc autem in portum protraxerunt remis.*
,, *Anchoras iecerunt, ac puppes ligauerunt:*
,, *Verum & ipſi exierunt in littus maris,*
,, *Et hecatombem expoſuerunt longe-iacienti Apollini.*
,, *Sed & Chryſeis naui exiuit pontigrada.*
,, *Hanc quidem poſtea ad altare ducens prudens Vlyſſes,*
,, *Patri charo in manibus poſuit, & ipſum allocutus eſt:*
,, *O Chryſe, præmiſit me Rex virorum Agamemnon:*
,, *Filiamque tibi vt ducerem, Phœboque ſacram hecatombem*
,, *Facerem pro Danais, vt placemus Regem,*
,, *Qui modo Arzmis multi ſuſpirij dolores immiſit.*
,, *Sic dicens, in manibus poſuit: hic autem ſuſcepit gaudens*
,, *Filiam dilectam: hi autem ſtatim Deo inclytam hecatombem*
,, *Ordine ſtatuerunt bene-ædificatum circa altare.*
,, *Manus lauarunt poſtea, & fruges ſalſas ſumpſerunt.*
,, *His autem Chryſes valde precabatur manus eleuans;*
,, *Audi me argenteum-arcum-habens, qui Chryſen tueris,*
,, *Cillamque valde diuinam, Tenedoque fortiter imperas,*
,, *Iam quidem aliquando me antea exaudiſti precantem,*
,, *Honoraſti quidem me: valde autem læſiſti populum Achiuorum:*
,, *Item & nunc mihi hoc perfice deſiderium:*
,, *Iam nunc a Danais ſæuum exitium remoue.*
,, *Sic dixit orans: hunc autem exaudiuit Apollo.*

& cetera, quibus Homerus antiquos ritus affert coquendi, & comedendi ſacrificia. Hanc igitur hiſtoriam & apud Dictym, & apud Homerum, tanto

ab

Digitized by Google

ab vtriſque Claſſicis deſcriptam ordine, dubio procul Hippocrates vt legit, ita plane veram ſimpliciter exiſtimauit, qui ſomnium ſibi viſum, plurima circa Democriti valetudinem oſtendens, quod ordinata forent, verum eſſe putauit: vti ſupra viſum eſt, vbi ait Hippocrates, (l) *Atque hæc vera eſſe mi Philopæmen, credo: & ſunt ſane. Et non contemno ſomnia; maxime vbi etiam ordinem conſeruant.* Verum itaque cenſuit hiſtoriam Dictys, & poeſim Homeri, de peſte diuinitus in exercitum Græcorum immiſſa, propter iram Dianæ, & Apollinis; quum eum caſum vterque ſcriptor ordine maximo diligenter deſcripſerit. Ex traditis autem certiſſime conſtat, non vnica vice Græcorum exercitũ peſtilentia vaſtatum ab iram Numinis, at bis; prima quidem vice in Aulide, priuſquam Claſſis ex Europa ſolueret in Aſiam, ob iram Dianæ, cuius dilectam capream in ſacro ſibi luco Rex Agamemnon interfecerat, ad Iphigeniæ dilectæ filiæ ſacrificium pro ſacrilegio poſtulatus a Diana, regiaque dignitate priuatus: ſecunda vero vice poſt nauigationem in Aſiæ littore Troiano, propter iram Apollinis, cuius contemptu, ſacerdoti Chryſe filiam redimere parato, cum probris & minis negauerat idem Agamemnon. Homerus autem, qui ſibi celebrandam Epice propoſuerat in Iliade Iram Achillis, omiſſa priori peſtilentia, quæ nihil ad Achillis iram illam attinebat; vnius poſterioris luis rationem habuit in Aſiano littore Troiæ. Cornelius autem Celſus, qui maior natu Quintiliano Romæ floruit antequam Dictys hiſtoria comperta Latioque donata fuiſſet (etenim Quintilianus Romam cum Galba venit, Neronis in Imperio ſucceſſore; Cornelij Celſi meminit, eius opera (m) collaudans, vt obſeruat non ſemel (n) Volaterranus; verba Quintiliani ſunt, *Scripſit non parum multa Cornelius Celſus, Scepticos ſecutus, non ſine cultu ac nitore*; vnde colligo, Celſum ante Neronem floruiſſe; proindeque prius quam hiſtoria Dictys inuenta fuiſſet, ac Romæ delata) Celſus inquam, ignorato Dicty, ſolius Homeri meminit in propoſito noſtro, dicens (o) *Huius* Aeſculapij *deinde duo filij Podalyrius & Machaon, bello Troiano Ducem Agamemnonem ſecuti, non mediocrem opem commilitonibus ſuis attulerunt. Quos tamen Homerus, non in peſtilentia, neque in varijs generibus morborum aliquid attuliſſe auxilij, ſed vulneribus tantummodo ferro, & medicamentis mederi ſolitos eſſe propoſuit. Ex quo apparet, has partes Medicinæ ſolas ab his eſſe tentatas, eaſque eſſe vetuſtiſſimas. Eodemque autore dici poteſt, morbos tum ad iram Deorum relatos eſſe, & ab ijſdem opem poſci ſolitam.* Quum igitur Hippocrates ante Celſum legiſſet hiſtoriam Dictys de bello Troiano, ſimul & Iliadem Homeri; nulli dubium eſſe debet, quin apud eos vtramque peſtilentiam viderit, ob Agamemnonis geminum ſacrilegium, ira Dianæ, ac Apollinis, in eius Imperatoris exercitum & in Aulide prius, & in Troiano littore poſterius immiſſam. Cui quidem vtrique peſti non tulerint auxilium Aeſculapij nati, Podalyrius atque Machaon, non certe (pace Celſi dictum ſit) quia talem Medicinæ partem minime callerent, aut excolerent, qua peſtilentiæ lues curatur: nam in primis pater illorum Aeſculapius, & auus Apollo, vtramque, ac omnem Medicinæ partem calluit, & excoluit, Hippocratis aperto teſtimonio, dicentis, (p) *Medicina autem, & vaticinatio valde cognatæ ſunt; quandoquidem & pater ambarum artium vnus eſt Apollo progenitor noſter, & pra-*

l in epiſtol.

Celſi teſtimoniũ conſideratur.

m l. 10. c. 1.

n 14. & 19. lib. Antropol.

o de Med. in præf.

Celſus notatus.

p epiſt. 2 ad Philopœm.

& præſentes & futuros morbos prædicens, & ægrotos & ægrotaturos ſanans. Porro futuros morbos prædicere, ſanareque non dicitur ad Chirurgiam attinentes, ſed ad pharmaciam; & omnino morborum omnium curandorum artem tenuit Apollo, non eorum tantum, qui ſub vulneris genere continentur: & ideo Medicinæ partes omnes filium Aeſculapium docuit; qui ſimiliter natos ſuos Podalyrium & Machaonem peritos effecit non in Chirurgia ſolum, ſed in pharmacia quoque, ac omnino in omnibus partibus artis. Deinde vero peſtilentia morbus eſt, in quo frequenter etiam ferro, & medicamentis extrinſecus adhibitis opus eſt, ob anthraces, atque bubones in peſte frequentiſſimos; quorum illi Chirurgicum ignem poſtulant; hi cataplaſmatibus maturantur, & inciduntur maturi ferro, poſtquam primo medicamentis attrahentibus ad cutem humores malignos a partibus internis & nobilioribus, tumoris incrementum Chirurgus ipſe promouerit. Quin & bubones peſtiferi multi ſponte ſubnaſcentes in alis, vel inguine, vel alijs in partibus, natura valida propellente non admodum malignum ſuccum ad exteriora, Chirurgicum præſidium requirunt medicamentorum diſcutientium forinſecus adhibitorum. Vt maxime neceſſaria ſit Medicinæ chirurgica pars ad peſtilentiam curandam. Verum in exercitu Græcorum Homerus hoſce Medicos fere ſolis vulneribus curandis præficere videtur, non item peſtilentiæ; quia Poetam, belli negotium heroice tractantem, non decuit aliorum morborum medica remedia poſtulantium meminiſſe, quam vulnerum; nam Heroes atque milites vulnera decent in bello, dedecet ægritudo quæuis alia, quam otium & ignauia pepererit. Peſtilentia vero non ſemel in exercitũ Græcorum diuinitus ab irato Numine miſſa, quoniam a Podalyrio Machaoneque vel ſanari non potuerit adhibitis ab vtroque præſidijs artis: quod innuit aperte Dictys, aſſerens vtrobique, *nullum funeri modum fuiſſe, nullumque morbi modum extitiſſe*; ſcilicet inclytis Medicis illis in ea peſte curanda, morteque militum cohibenda, fruſtra laborantibus: vel potius eiuſdem luis curatio tentata non fuerit a ſapientibus viris, qui diuinam iram eſſe peſtis illius originem agnoſcentes, prognoſtico ſolum vſi ſint, aſſerentes, & alijs perſuadere non deſiſtentes, eam vtramque peſtilentia ſupplicationibus tantum, ſacrificijs, & reſtitutione virginis, placato numine, curatum iri; quod & vates confirmarunt, & euenta, vt Dictys, & Homerus conteſtantur. Quapropter Hippocrates progenitorum ſuorum ſententiam accipiens, iubet Medicis, vt ante remediorum vſum prænoſcant, num in morbis inſit aliquid diuini, quod artis præſidia faciat irrita. Verum enimvero Senex Cous non ſolum ex Dicty & Homero cognouit haſce duas peſtilentias ob iram Deorum in Græcos immiſſas fuiſſe; ſed etiam Philoctetæ vulnus in pede, ſiue ab hydro ſerpente, ſiue ab Hydræ felle venenata ſagitta Herculea, cõtigiſſe nouerat diuinitus, ob iram numinis, periurium, aut ſacrilegium vlciſcentis, nam Dictys etiam de propoſito ſcribit, (q) *Sed Chryſes, quem Sacerdotem Sminthij Apollinis ſupra diximus, vtriuſque exercitus offenſam metuens, quiſquis partium ad eum venerat, cum his ſe adiunctum eſſe ſimulabat. Interim in eo ſacrificio Philoctetes, haud procul ab Ara templi eius aſtans, morſu ſerpentis forte contingitur. Dein ab omnibus, qui animaduerterant, clamore ſublato,*

Philoctetis vulnus diuinitus inflictum.

q 2. de bello Troia.

Vlyſſes

Vlyſſes accurrens ſerpentem interficit. De propoſito Philoſtratus etiam in Heroicis infit; *Achiui Troiam adnauigantes, quum inſulis adhæſiſſent, Chryſæ Aram* ,, *indagabant, ab Iaſone olim extructam, quum Colchos peteret. Philoctetes memoria* ,, *repetita temporis, quo cum Hercule vixerat, Aram quærentibus oſtendit: & quum* ,, *hydrus ſerpens infeciſſet ei viru alterum pedem, ipſe Heros ictus in hac Lemno iacet re-* ,, *lictus, tabo fluente morbido ambeſo pede, vt ait Sophocles.* Hæc habentur fere in argumento Philocteris Tragœdiæ Sophoclęę, vel per ipſum Sophoclem effcto, vt innuit Philoſtratus, vel a Scholiaſte, vt alij dicunt; ſic enim verſum Latine legitur,

Chryſes Mineruæ Aram terra quondam obrutam,
Quam victimarum imbuere ſinguine Danaos
Reſponſa Diuum iuſſerant, Pœantius
Quam viderat Heros ſectatus pridem Herculem,
Dum quærit Argolicis oſtendere copijs,
Serpentis icitur virulentis punctibus.
Graij reliquunt hunc in Lemno ſaucium.

Apertius hoc ipſe Sophocles ait in Tragœdia, vbi Neoptolemus de Philoctete,

,, *Nihil horum mihi mirum videtur:*
,, *Nam hæc mala, ſi quid ego intelligo,*
,, *Diuinitus ipſum oppreſſerunt*
,, *In crudeli opido Chryſæ:*
,, *Et quod nunc affligitur abſque curatoribus,*
,, *Non hoc fit ſine conſilio Deorum:*
,, *Ne videlicet hic prius contra Troiam*
,, *Dirigat inuictas ſagittas,*
,, *Quam hoc tempus exactum ſit, quo dicitur*
,, *Oportere ipſam ab his ſuperari.*

Et inferius eundem Neoptolemum inducit, qui ſic alloquitur Philoctetem ipſum,

,, *Quæ diuinitus accidunt hominibus,*
,, *Ea neceſſe eſt ferre.*
,, *Tu vero hoc ſcito, atque in animo tuo ſcribito:*
,, *Hoc morbo enim affligeris diuinitus,*
,, *Quum acceſſeris ad anguem cuſtodem, qui apertum*
,, *Delubrum occulte latens cuſtodit.*
,, *Et remedium huic malo non vnquam*
,, *Inuenies, donec iſte Sol*
,, *Hic oritur, atque illic viciſſim occidit,*
,, *Priuſquam ad Troiam profectus,*
,, *Aeſculapij filios conſequaris apud nos,*
,, *Quorum opera hoc morbo leueris.*

Et infra loquentem Herculem de cælo ad Philoctetem ſic introducit:

,, ---------------------------- *Egoque Aeſculapium*
,, *Mittam ad Ilium, qui te hoc morbo liberet.*

P Vnde

Vnde conſtat morbum diuinitus inflictum non cedere medicamentis humanis, ſed etiam diuinitus ſanari. Quod & Cointhus Smyrnæus clare teſtatur
r lib.9.in f. (r) inquiens,

Sic intolerabili virum cruciatu depreſſum
Animoſi Heroes incumbentem ſibi, deduxerunt
Ad Mauortiam Argiuum frequentiam: Qui vbi viderunt (*biſſimo*
Omnes vehementer miſerti ſunt viri, iaculatoriæ artis peritiſſimi tum acer-
Vulnere confecti. Ad firmum ſanumque illum,
Subita cogitatione ocyus reddidit
Podalyrius Dijs cæleſtibus æqualis: dum ſcite deſuper
Multa vulneri medicamenta illinit: pieque nomen
Patris ſui inuocat. Subito igitur lætis vocibus Argiui
Omnes ſimul natum Aeſculapij celebrabant.
Hinc aquis mundarunt, oleoque perunxerunt
Animis propenſis. Funeſta tum ægritudo & calamitas
Deorum numine euanuit.

Quæ quidem ſubitaria ſanatio decennalis vlceris virulenti, non artis Medicæ præſidijs vllis adſcribi potuit in Hippocratica ſchola, ſed admirandæ poteſtati Numinis, remedijsque diuinitus impetratis, aut ab Aeſculapio per inſomnium filio demonſtratis; nam ægritudo tam diuturna non valet vnis naturæ viribus illico repentina curatione ſanari ſecundum Hippocratis do-
Philoctetis caſum varie narratū a Seruio. ctrinam. Ceterum paulo aliter Seruius apud Virgilium, neſcio quo vetere Scriptore fretus, hiſtoriam Philoctetis enarrat; quum tamen eius morbi cauſam ſimiliter ad iram Numinis, ob periurium referat, inquiens, (ſ) *Philo-*
ſ Aen.3. *ctetes fuit Pœantis filius, Herculis comes; quem quum Hercules in Oeta hominem exueret, petiuit, ne alicui ſui corporis reliquias indicaret, iurareque coegit; & ſuas ſagittas hydræ felle tinctas dedit. Et quum reſponſum fuiſſet, Herculis ſagittis opus eſſe ad expugnandam Troiam; inuentus eſt Philoctetes: & de Hercule interrogatus, negauit ſe ſcire: deinde quum cogeretur, confeſſus eſt mortuum: ſepulchrumque, ne iusiurandum frangeret, non voce, ſed pede oſtendit. Poſt hæc cum duceretur ad bellum, caſu in eum pedem, quo ſepulchrum oſtendit, ſagitta cecidit, vulnereque immedicabili affectus eſt; ac demum quum vulneris fætor a Græcis ferri non poſſet, in Lemno relictus, & pudore ne in patriam rediret impeditus, in Calabriam venit, & Petiliam condidit.* Mihi vero veriſimile non videtur, a ſagitta caſu cadente Philocteten ictum in pede; quia tam imprudens non erat Heros, vt e manibus elabi ſibi fineret in pedem ſagittam: Nec etiam tanti ponderis erat illa ſagitta, vt non ex alto cadens, neque violenter impulſa, leni motu breuique vulnus adeo letale, magnumque poſſet infligere, potiſſimum in pede militis ocreati;
t 1. Iliad. v.17. & alibi paſſim. namque Græci milites ab Homero nominantur aſſidue (t) BENE OCREATI: Quin & Euripides Hippolytum ponit iter facientem ocreatum, dum
u in Hippol. ponitur Heros (u) *Ipſis ocreis ornans pedem.* Nec obſtat, quod Hippocrates Democritum philoſophantem inuenerit (x) diſcalceatum ſedere ſuper lapidea ſede: Quodque ſerpens hydrus ocreatum pedem Philoctetis vulnerare
x Hip.epiſ. ad Damag. nequiuerit, ſi non & ſagitta cadens: etenim Philoctetes vt in itinere pergens ad militandum ocreatus erat; ita in templo ſacrificans, & orans, nudos pe-

des

Digitized by Google

des habuit; namque Pythagoræ præceptum fuit apud omnes antiquos obſeruatum, *Diſcalceatum oportet ſacra facere, & ad diuina accedere*; vt obſeruat Iamblicus, & poſt Iamblicum Rhodiginus inquiens, (y) *Ceterum quam attente, quam religioſe, quamque ex deſtinato Deum comprecari addeceat, optime omnium monſtraſſe Pythagoras videtur: Quum veneris, inquit, in templum, adora; neque aliquid interim quod ad victum pertineat, aut dicas, aut agas. Ex itinere præter propoſitum non eſt ingrediendum templum, neque orandum, neque etiam ſi prope veſtibulum ipſum tranſiueris; nudis pedibus ſacrifica & adora.* Hoc videtur Pythagoras a ſacra pagina didiciſſe, in qua legitur Deum Moyſi dixiſſe, (x) *Ne appropinques huc: ſolue calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt. Et ait: Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob.* Quo reſpicientes Aethiopes etiam Chriſticolæ ſacrum peragunt Sacerdotes nudis pedibus, nec vllus Eccleſiam ingreditur niſi diſcalceatus, vt D. Franciſcus Aluarez teſtatur de viſu; ait enim, (*) *Monaci Sacerdotes comam alunt, presbyteri non ſunt comati, ſed tonſi; & ita Miſſam dicunt, & ſemper diſcalceati; neque poteſt quiſquam Eccleſiam ingredi calceatus; & ad hoc allegant illud, quod dixit Deus Moyſi, ſolue calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo ſtas, terra ſăcta eſt.* Diſplicebat illis, videre Europęos ingredi Eccleſiam calceatos. Quare iam ſerpens hydrus nudum Philoctetæ pedem in templo ſacrificantem, aut adorantem facile vulnerare morſu potuit: verum ſagitta labens e manu Philoctetæ pergentis extra templum cum militibus ad Troiam beneocreatum pedem vulnerare nequiuit. De Democrito vero prope delubrum Nymphis dicatum iuxta domunculam philoſophante, vt ait Hippocrates, & antea viſum eſt: ſimiliter aſſerere poſſumus, eum tunc forte recens e delubro veniſſe, neque contemplationi vacantem perdere pendereve tempus voluiſſe in calceandis pedibus: vel etiam hunc fuiſſe Democriti morem peculiarem, nudis pedibus philoſophari, potiſſimum in loco non frigido, procul a vulgi frequentia; quod rerum philoſophicarum meditationem ecſtaticam haberet pro re quadam ſacra perinde ac ſacrificium & adoratio. Quare conſentiendum eſt plurimis autoribus Claſſicis, quibus in pede morſus eſt Philoctetes ab hydro ſerpente, qui exijt e tumulo Herculis, per Iaſonem ante: condito, in inſula Chryſe, dudum Mineruæ ſacra, & Herculis iuſſione poſtea ſuis cineribus continendis electo, terraque ſuperiniecta per Philoctetem occultato, demum Græcis oſtenſo: Demorſus autem diuinitus ab hydro fuit Philoctetes in pœnam tum periurij, tum ſacrilegij, propter anguis illius interemptionem, qui colebatur Genius cuſtos loci ſacri, vel famulus Herculis ibi ſepulti; ſicuti de conſimili (a) Virgilius ad Anchiſæ ſepulchrum memorat, quem e tumulo patris exeuntem videns Aeneas,

(y) lib. 11. cap. 13.

(x) Exod. 3.

(*) Nauig. vol. 1. pag. 194. C. ca. 12. 13.

(a) 5. Aen.

„ *Incertus Geniumne loci, famulumne parentis*
„ *Eſſe putet: cædit quinas de more bidentes,*
„ *Totque ſues, totidem nigrantes terga iuuencos:*
„ *Vinaque fundebat pateris, animamque vocabat*
„ *Anchiſæ magni maneſque Acheronte remiſſos.*

Et Ouidius in Faſtis ad hoc alludens ait,

(b) „ Hunc morem Aeneas pietatis idoneus autor

(b) l. 2. v. 143 & ſeqq.

Vnde conſtat morbum diuinitus inflictum non cedere medicamentis humanis, ſed etiam diuinitus ſanari. Quod & Cointhus Smyrnæus clare teſtatur

r lib. 9. in f. (r) inquiens,

Sic intolerabili virum cruciatu depreſſum
Animoſi Heroes incumbentem ſibi, deduxerunt
Ad Mauortiam Argiuum frequentiam: Qui vbi viderunt (*biſſimo*
Omnes vehementer miſerti ſunt viri, iaculatoria artis peritiſſimi tum acer-
Vulnere confecti. Ad firmum ſanumque illum,
Subita cogitatione ocyus reddidit
Podalyrius Dijs caleſtibus aqualis: dum ſcite deſuper
Multa vulneri medicamenta illinit: pieque nomen
Patris ſui inuocat. Subito igitur latis vocibus Argiui
Omnes ſimul natum Aeſculapij celebrabant.
Hinc aquis mundarunt, oleoque perunxerunt
Animis propenſis. Funeſta tum ægritudo & calamitas
Deorum numine euanuit.

Quæ quidem ſubitaria ſanatio decennalis vlceris virulenti, non artis Medicæ præſidijs vllis adſcribi potuit in Hippocratica ſchola, ſed admirandæ poteſtati Numinis, remedijſque diuinitus impetratis, aut ab Aeſculapio per inſomnium filio demonſtratis; nam ægritudo iam diuturna non valet vnis naturæ viribus illico repentina curatione ſanari ſecundum Hippocratis doctrinam.

Philoctetis caſum varie narratū a Seruio.

ſ Aen. 3.

Ceterum paulo aliter Seruius apud Virgilium, neſcio quo vetere Scriptore fretus, hiſtoriam Philoctetis enarrat; quum tamen eius morbi cauſam ſimiliter ad iram Numinis, ob periurium referat, inquiens, (ſ) *Philoctetes fuit Pœantis filius, Herculis comes; quem quum Hercules in Oeta hominem exueret, petiuit, ne alicui ſui corporis reliquias indicaret, iurareque coegit; & ſuas ſagittas hydra felle tinctas dedit. Et quum reſponſum fuiſſet, Herculis ſagittis opus eſſe ad expugnandam Troiam; inuentus eſt Philoctetes: & de Hercule interrogatus, negauit ſe ſcire: deinde quum cogeretur, confeſſus eſt mortuum: ſepulchrumque, ne iusiurandum frangeret, non voce, ſed pede oſtendit. Poſt hæc cum duceretur ad bellum, caſu in eum pedem, quo ſepulchrum oſtendit, ſagitta cecidit, vulnereque immedicabili affectus eſt; ac demum quum vulneris fætor a Græcis ferri non poſſet, in Lemno relictus, & pudore ne in patriam rediret impeditus, in Calabriam venit, & Petiliam condidit.* Mihi vero veriſimile non videtur, a ſagitta caſu cadente Philocteten ictum in pede; quia tam imprudens non erat Heros, vt e manibus elabi ſibi fineret in pedem ſagittam: Nec etiam tanti ponderis erat illa ſagitta, vt non ex alto cadens, neque violenter impulſa, leni motu breuique vulnus adeo letale, magnumque poſſet infligere, potiſſimum in pede militis ocreati;

t 1. Iliad. v. 17. & alibi paſſim.
u in Hippol.
x Hip. epiſ. ad Damag.

namque Græci milites ab Homero nominantur aſſidue (t) BENE-OCREATI: Quin & Euripides Hippolytum ponit iter facientem ocreatum, dum ponitur Heros (u) *Ipſis ocreis ornans pedem*. Nec obſtat, quod Hippocrates Democritum philoſophantem inuenerit (x) diſcalceatum ſedere ſuper lapidea ſede: Quodque ſerpens hydrus ocreatum pedem Philoctetis vulnerare nequiuerit, ſi non & ſagitta cadens: etenim Philoctetes vt in itinere pergens ad militandum ocreatus erat; ita in templo ſacrificans, & orans, nudos pedes

Digitized by Google

des habuit; namque Pythagoræ præceptum fuit apud omnes antiquos ob-
ſeruatum, *Diſcalceatum oportet ſacra facere, & ad diuina accedere*; vt obſeruat
Iamblicus, & poſt Iamblicum Rhodiginus inquiens, *(y) Ceterum quam at- y lib. 11.*
tente, quam religioſe, quamque ex deſtinato Deum comprecari addeceat, optime om- cap. 13.
nium monſtraſſe Pythagoras videtur: Quum veneris, inquit, in templum, adora; „
neque aliquid interim quod ad victum pertineat, aut dicas, aut agas. Ex itinere præ- „
ter propoſitum non eſt ingrediendum templum, neque orandum, neque etiam ſi prope „
veſtibulum ipſum tranſiueris; nudis pedibus ſacrifica & adora. Hoc videtur Py- „
thagoras a ſacra pagina didiciſſe, in qua legitur Deum Moyſi dixiſſe, (x) *Ne* x Exod. 3.
appropinques huc: ſolue calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo ſtas, terra
ſancta eſt. Et ait: Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus
Iacob. Quo reſpicientes Aethiopes etiam Chriſticolæ ſacrum peragunt Sa-
cerdotes nudis pedibus, nec vllus Eccleſiam ingreditur niſi diſcalceatus, vt
D. Franciſcus Aluarez teſtatur de viſu; ait enim, (*) *Monaci Sacerdotes comam* * Nauig.
alunt, presbyteri non ſunt comati, ſed tonſi; & ita Miſſam dicunt, & ſemper diſcal- vol. 1. pag.
ceati; neque poteſt quiſquam Eccleſiam ingredi calceatus; & ad hoc allegant illud, 194. C. ca.
quod dixit Deus Moyſi, ſolue calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo ſtas, 12. 13.
terra ſãcta eſt. Diſplicebat illis, videre Europæos ingredi Eccleſiam calceatos.
Quare iam ſerpens hydrus nudum Philoctetæ pedem in templo ſacrifican-
tem, aut adorantem facile vulnerare morſu potuit: verum ſagitta labens e
manu Philoctetæ pergentis extra templum cum militibus ad Troiam bene-
ocreatum pedem vulnerare nequiuit. De Democrito vero prope delubrum
Nymphis dicatum iuxta domunculam philoſophante, vt ait Hippocrates,
& antea viſum eſt: ſimiliter aſſerere poſſumus, eum tunc forte recens e delu-
bro veniſſe, neque contemplationi vacantem perdere pendereve tempus vo-
luiſſe in calceandis pedibus: vel etiam hunc fuiſſe Democriti morem pecu-
liarem, nudis pedibus philoſophari, potiſſimum in loco non frigido, procul
a vulgi frequentia; quod rerum philoſophicarum meditationem ecſtaticam
haberet pro re quadam ſacra perinde ac ſacrificium & adoratio. Quare
conſentiendum eſt plurimis autoribus Claſſicis, quibus in pede morſus eſt
Philoctetes ab hydro ſerpente, qui exijt e tumulo Herculis, per Iaſonem an-
tea condito, in inſula Chryſe, dudum Mineruæ ſacra, & Herculis iuſſione
poſtea ſuis cineribus continendis electo, terraque ſuperiniecta per Philocte-
tem occultato, demum Græcis oſtenſo: Demorſus autem diuinitus ab hydro
fuit Philoctetes in pœnam tum periurij, tum ſacrilegij, propter anguis illius
interemptionem, qui colebatur Genius cuſtos loci ſacri, vel famulus Hercu-
lis ibi ſepulti; ſicuti de conſimili (*a*) Virgilius ad Anchiſæ ſepulchrum me- a 5. Aen.
morat, quem e tumulo patris exeuntem videns Aeneas,

„ *Incertus Geniumne loci, famulumne parentis*
„ *Eſſe putet; cædit quinas de more bidentes,*
„ *Totque ſues, totidem nigrantes terga iuuencos:*
„ *Vinaque fundebat pateris, animamque vocabat*
„ *Anchiſæ magni maneſque Acheronte remiſſos.*

Et Ouidius in Faſtis ad hoc alludens ait, b l. 2. v. 143
(*b*) „ Hunc morem Aeneas pietatis idoneus autor & ſeqq.

,, Attulit in terras, iuſte Latine, tuas.
,, Ille patris Genio ſolennia dona ferebat:
,, Hinc populi ritus edidicere nouos.

Et Perſio vel pictus Anguis erat ſacer, vt ſacrilegium eſſet immingere locum, in quo pictus erat; quanto magis interficere ſerpentem viuum e tumulo prodeuntem; inquit (c) enim,

c ſat. 1. v. 128.

,, Pinge duos angues: pueri, ſacer eſt locus, extra
,, Meiite: diſcedo ------------

Ac certe Stephano, *Nea, inſula prope Lemnum, in qua Philoctetes ſecundum aliquos demorſus eſt a ſerpente.* Non amplius extabat ea vel æuo Pauſaniæ, cui, (d) *Chryſa inſula fuit, in qua e Lemno modicus erat nauigationis curſus: Ibi olim Philoctetes a ſerpentis ictu grauiter dicitur laboraſſe. Eam inſulam æſtus alluuies ad ima maris depreſſam aboleuit.* Nec inconueniens eſt, eandem alio nomine Neas quoque nuncupatam, ſicuti tum ante Stephanum vetus ille Nonarius aſſeruit, de Ara circa Neas Thracias prope Myrinam; etenim fuit inſula finitima Thraciæ, non procul a Lemno, in qua ciuitas maritima Myrina locabatur: tum etiam poſt vtrumque Suidas, apud quem, *Nea inſula prope Lemnum, a verbo Neo, id eſt Nato: ad quam, vt aiunt, Hercules adnatauit: in qua, vt quidam tradunt, Philoctetes ab hydro morſus fuit*: tum quia (e) Strabonis obſeruatu, plerumque varios ob caſus locorum nomina diuerſas mutationes olim ſubiere: tum quia ſimul etiam eidem loco varias ob cauſas diuerſæ denominationes impoſitæ fuere; nam & Ilium dicitur, & Troia, ciuitas eadem. Quare fieri potuit, vt inſula primum *Chryſe* nuncupata, dein ab Herculis natatu dicta fuerit *Nea*: Quodque Philoctetes in ea comportatum ex Oeta monte, vicinæ Thraciæ, Theſſaliæque conterminatum, Herculis buſtum e rogo reliquum tumulo condiderit; quem in Aram Mineruæ ſubſtruxerit (vt pote literis & armis pariter inſignem Herculem decenti ſibi monumento ſepeliret) vel ab Iaſone prius Mineruæ ſubſtructam elegerit dignum Herculis ſepulchrum; & iuratus occuluerit ex Herculis nuper viuentis imperatu, de ſuo mortali celando ſolliciti: Cui quum fidem fregerit impie periurus, eo ſepulchro Græcis detecto, ſtatim vulneratus fuerit ab hydro ſerpente, loci Genio, vel Herculis famulo, ex ira Dei periurum vlciſcentis. Nec vllis artis Medicæ præſidijs leniri dolor ingens, ſanarive plaga fœdiſſima, fætidiſſimaque potuerit, vel aggreſſus fuerit ab Aeſculapij filijs, tunc diuinitus inflictum vulnus attingere recuſantibus. Quare perturbans clamoribus, & imprecationibus Græcorum ſacrificium in Chryſe, quorum vi coactus peierare malum id pateretur: comportatus, & abiectus fuerit in vicinam Lemnon, vbi a Vulcani ſacerdotibus curaretur. Quibus etiam fruſtra circa rebelle vulnus operantibus: randem poſt decennalem cruciatum in pœnam criminis, a Podalyrio, & Machaone ſupplicationibus potius, quam medicamentis, diuinitus illico ſanitati reſtitutus fuerit. Quæ cuncta paſſim apud antiquos celebrata, tum ante Hippocratis ætatem a Dicty, tum Hippocratis etiam ſeculo a Sophocle, atque ab alijs non potuit Hippocrates ignorare; neque fidem hiſtorico Dicty, res geſtas ab ſe viſas enarranti, denegare. Præterea non latuit Hippocratem, a

d in Arcad.

e lib. 12.

Phi-

Digitized by Google

Philoctete Paridem Herculea ſagitta, hydræ felle venenata, vulneratum ad inguen ob iram Apollinis, quod in eius templo ſacrilegus Achillem proditorio telo neci dediſſet; atq; multo prius hoſpitij iura violaſſet Helenæ raptu; ſicut e Dicty (*f*) conſtat; vel quod fanum Veneris & Dianæ temeraſſet, inde rapiens Helenam, ſicuti Dares (*g*) Phrygius autor antiquiſſimus aſſerit: Quo vulnere ſummis cruciatibus affectus Alexander interijt, nequicquam Oenonis Nymphę, coniugis offenſæ repudio, medicam manum auxiliarem implorans in Idæ ſaltibus. Itidem agnouit Hippocrates, quod vulgatiſſimum erat, & creditum apud omnes, ob iram diuinam cæcitate mulctatum fuiſſe Tireſiam, quia contra Iunonem ſententiam tuliſſet de ſexus muliebris intemperantia (quam etiam ipſemet Hippocrates in vxore propria timuit; cuius propterea cuſtodiam commendat amico ſuo Dionyſio, procul abiens ad curandum Democritum Abderis ægrotare putatum, epiſtola integra) ſiue quia Tireſias nudam Palladem Deam oculis libidinoſis inſpexiſſet.

Vulnus Paridis diuinitus inflictum.

f lib. 1. de bello Troi.

g lib. 1. de Tro. excid.

Tireſiæ cæcitas ob irã diuinam.

Agnouit inſuper Cous ex Homero Bellerophontem ob iram Deorum inſaniæ morbo conflictatum; etenim (*h*) legitur de Bellerophonte

„ *Sed quando iam & ille exoſus fuit omnibus Dijs:*
„ *Hic per campum Aleium* deſertum *ſolus errabat,*
„ *Suum animum conſumens: conſortium hominum fugiens.*

Bellerophõtis morbus diuinus.

h 6 Il. v. 200 & ſeqq.

De quo & Ariſtoteles, (*i*) verſibus a Gaza Latio mollius donatis; nam De morbo ex atra bile laborantibus agens Philoſophus ait: *Id enim pleriſque atra bile conſiſtit; Et Lyſandro Lacedamonio proxime ante obitum genus id vlcerum emerſit. Adde Aiacem, & Bellerophontem: quorum alter penitus ad inſaniam prorupit, alter loca deſerta perſequebatur: Vnde illud Homeri,*

„ *Aſt hic quando etiam grauior Dijs omnibus errat*
„ *In campos ſolus latos, inque auia rura,*
„ *Ipſe ſuum cor edens, hominum veſtigia vitans.*

i 30. ſe. pr. 1

Nam hæc omnia, & alia multa conſimilia notiſſima dudum erant, atque credita priſcis omnibus, quæcunque de Dijs eorum, etiam fabuloſa, hoc eſt admirabilia narrabantur; vt apparet tum ex Pythagoræ ſymbolo, *De Dijs nihil admirabile diffidas, nec de diuinis dogmatibus.* Et Iamblichus de ſecta Pythagoræ tractans, inſit, *Si vero & ab antiquis ſermonibus, & fabulis ſacris, & alijs, & Pythagoraeorum admonere audientes, ordiamur hinc*, &c. tum ex Ariſtotele (*k*) ſcribente, *Philoſophum amatorem fabularum, quodammodo eſſe, eo quod fabula ex mirandis conſtet*: tum ex Iſocrate dicente, (*l*) *Quod ſi fas eſt mortali voluntatem Deorum coniecturis indagare, eos etiam in coniunctiſſimis potiſſimum, demonſtraſſe arbitror, quomodo & aduerſus homines improbos, & erga bonos viros eſſent animati; nam quum Iupiter (vt fabulæ tradunt, & omnes credunt) Herculem Tantalumque genuiſſet; alterum ob virtutem immortalitate donauit: alterum propter improbitatem maximis supplicijs afficit. Decet igitur in hæc exempla intuentes, virtutem & honeſtatem expetere.* Vnde conſtat (quod etiam alibi notauimus) Iſocratem ſacras Gentilium narrationes, quas ipſe veras exiſtimabat, & ab omnibus credi fatetur, appellare fabulas, nempe ſermones de rebus admirandis; & recte ponere, ſceleſtos ira diuina plerumque iuſte puniri; proindeque ſicuti fame ſitique Tantalum, ſic alios morbis etiam in hac vita mortali

k 1. meta. c. 2.

l orat. ad Demonic.

cru-

Digitized by Google

[..]ciari. Præterea vero frequenter apud antiquiſſimos etiam autores legit
Hippocrates, ob iram Numinis varios morbos inuaſiſſe mortalium corpora.
Quin & ipſemet paſſim videre potuit, multas hominum infirmitates nullis
medicinæ præſidijs cedere, ſed oraculorum monitis, remedijsque diuinitus
per inſomnia reuelatis vtcunque ſanari; quos morbos propterea Numinis
iram habere ſui cauſam aperte cognouit. Nouerat inſuper Hippocrates,
furore diuino percitos vates, Deorumque Gentilium ſacerdotes non infre-
quenter inſanire, menteque motos homines debacchari: quos vti noſcebat
œſtro diuino mente moueri, quo ſcirent alij conſulentes oracula, ſacerdotes
non a ſemetipſis mortalia loqui, ſed plane diuina proferre monita Deo-ple-
nos, & a Deo commotos: Ita non potuit ſenex Cous non agnoſcere, non
opinari, ſontes homines a Deo morbis etiam iuſte torqueri. Nec omitten-
dum eſt, quod in Hippocratis vita priſcus eius Coinſulanus Soranus ait,
Hip. pere- Hippocratem ex patria diſceſſiſſe, quo per varias regiones vagatus peregri-
grinatio ad narum gentium diſciplinas addiſceret: cuius exemplo, vt & aliorum inſi-
exteras di- gnium veterum permotus poſtea Plato petijt Aegyptum, vbi ſacra biblia
ſciplinas ſa- doctus eſt a ſacerdotibus. Quinimmo quum certum habeamus antiquiores
cras ediſcē- Hippocrate Mercurium Triſmegiſtum & (*l*) Homerum, coæuumque Hip-
das. pocratis Empedoclem, cognitas habuiſſe ſacras hiſtorias Moſis, & aliorum
l c.15. ſup. Prophetarum; multo magis iuniorem prioribus illis Coum ſciendi cupidiſ-
ſimum, atque laborioſiſſimum, earum lectionem quæſiuiſſe, ſibique compa-
raſſe dicendum eſt, in quibus aperte legere, noſſeque nullo negotio potuit,
ex ira diuina non raro morbos in homines iniquos aut ad pœnam ſcelerum,
aut ad emendationem vitæ, aut ad aliorum exemplum, aut in viros etiam
probos ad exercitationem virtutis patientiæ irrepſiſſe: namque non vno in
m 2. Reg. loco ſcribitur, (*m*) Deum iratum ob populi peccata, mediante Satana com-
24. mouiſſe Dauid vt numeraret ſibi ſubditas gentes Iſraelis; adeoque fiduciam
1. Paral. 21 debellandi ſuos hoſtes, non in vno Deo, ſed in multitudine militum poneret;
propter quod crimen *Immiſit Dominus peſtilentiam in Iſrael, de mane vſque ad
tempus conſtitutum: & mortui ſunt a Dan vſque Berſabee ſeptuaginta millia viro-
rum. Miſit quoque Angelum in Hieruſalem, vt percuteret eam: quumque percute-
retur, vidit Dominus, & miſertus eſt ſuper magnitudine mali: & imperauit Ange-*
n 1. Reg. 5. *lo, qui percutiebat, Sufficit, iam ceſſet manus tua.* Et alibi, (*n*) propter crimen
ſacrilegij, quo Philiſtæi tulerant Arcam Domini, poſuerantque in templo
Dæmonij Dagon, *Aggrauata eſt manus Domini ſuper Azotos, & demolitus eſt eos:
Et percuſſit in ſecretiore parte natium: & facta eſt confuſio mortis magna in ciuitate*:
nempe, vt recte Lyranus, percuſſi fuerunt a Deo dyſenteria vehementi, ſic
vt inteſtina inferiora, per quæ fæces emittuntur, putreſcerent, ſcaturirent-
que vermibus, & exterius prominerent. Cui malo nulla remedia medica
profuerunt ad ſanitatem: ſed ſolum Arcæ Dei remiſſio ad Iſraelitas, &
oblationes donariaque aureorum anorum, pro delicto, & ſigno, propter
quod eo morbi genere percuſſi fuerant a Deo, & diuinitus etiam ſanati; ſicu-
o Num. 21. ti fuſius habetur in ſacra pagina. Pariter in alio loco, (*o*) *Et tædere cœpit po-
pulum itineris ac laboris; locutuſque contra Dominum, & Moyſen, ait: Cur eduxiſti
nos de Aegypto, vt moreremur in ſolitudine? Deeſt panis, non ſunt aquæ, anima no-*

ſtra

ſtra iam nauſeat ſuper iſto cibo leuiſſimo. Quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes. Ad quorum plagas, & mortes plurimorum, venerunt ad Moyſen, atque dixerunt: Peccauimus, locuti ſumus contra Dominum, & te: Ora vt tollat a nobis ſerpentes. Orauit Moyſes pro populo: Et locutus eſt Dominus ad eum: Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno: Qui percuſſus aſpexerit eum, viuet. Fecit ergo Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit pro ſigno: quem quum percuſſi aſpicerent, ſanabantur. Quin & apud Danielem, *(p)* ob ſuperbiam, & alia peccata, quæ fruſtra monitus fuerat a Propheta Dei, eleemoſynis redimere, Nabuchodonoſor inſaniæ morbo mulctatus ab irato Deo, more beſtiarum in agris fœno paſtus ſub dio ſeptem annis abiectus e regno donec reſipiſcens a Deo pariter placato ſanitati ſimul & regno reſtitutus eſt; vt latiſſime patet in ſacra pagina. De quo quidem Rege Volaterranus ita, *(q) Potentia ac rebus geſtis florentem Nabocodroſorum teſte Strabone: Hunc ego putauerim Babylonæ Regem in ſacris libris commemoratum fuiſſe, literis quibuſdam permutatis, qui captiuos Iudæos duxerit, aut certe ex eo pregnatum.* & alibi, *(r) Nabocodroſorus Rex Aſſyriorum, quem Chaldæi magis extollunt, maioreſque dicunt res geſſiſſe, quam Hercules, & vſque ad columnas perueniſſe commemorant: autor Strabo libro* XIIII. Verum quid in alienis tamdiu moror? in libris proprijs Hippocrates ipſe confitetur aperte, morbos aliquando propter delicta diuinitus immitti; ſcribit enim opere ſuo *De Somnijs* inſcripto: *(ſ) Quæcunq; quidem igitur ſomnia diuina ſunt, & quædam euentura ſignificant aut vrbibus, aut populo priuato, ſiue bona, ſiue mala, non ob ipſorum delictum, de huiuſmodi ſunt, qui iudicant, certam artem habentes.* Quibus aperte ſupponit, & indicat, aliquando mala, proindeque morbos, vt peſtilentiam, & huiuſmodi paſſiones epidemicas, vulneraque, morteſque bellorum, vrbibus, & priuato populo contingere propter illorum delicta; quapropter & a Deo ſcelerum vindice. Quod ſi ciuitatibus, & integro populo priuato tale quid euenire cenſet Hippocrates; nonne quoque ſingulares aliquos homines improbos a Deo morbis quandoque puniri cenſebit? Itaque nonum ex illis diuinis, quæ debet Medicus obſeruare num adſit in morbis, eſt Hippocrati, vtrum morbus ad curandum propoſitus ortum habeat ex ira Dei, pœnas de corpore ſontium morbo repoſcentis; nam ab eius curatione Medicus abſtinere debet, nec vti fruſtra præſidijs artis, aſt æger admonendus eſt, vt ſupplicationibus Deum ſibi propitium reddat, & eius opem imploret.

p cap. 4.

q Geograph. pag. 332.

r Anthrop. p. 525.

Hip. proprium teſtimonium.

ſ finit.

Galeni contradicentis huic nono diuinorum generi dubitationibus occurritur. Cap. XIX.

NEque vero ſententiam iſtam demolitur Galenus, dum ait, *(a) Quidnam ſit diuinum illud, cuius* Hippocrates, *fieri admonet præſenſionem, inter expoſitores diſſenſio eſt. Nonnulli putant, ob iram quandam Deorum hominibus accidere morbum, dicuntque teſtimonium huius opinionis ex ijs, qui vocatas ſcripſerunt hiſtorias citra rationis adminiculum, nequicquam iudicantes, vtrum fuerit Hippocrates huius opinionis; quod, inquam, erat officium boni expoſitoris. Non enim*

a 1. progn. init. com. t. 3.

ſim-

ſimpliciter dicendum eſt per enarrationes quicquid nobis videtur verum; ſed quod ſit ſecundum ſententiam ſcriptoris; quanquam fuerit falſum. Conſtat enim vt Hippocrates nullo ſuolibro cauſam ægrotationis in Deum refundat, qui & Bletos, ideſt percuſſos, vndenam ducti veteres ita vocarint, volumine de victu acutorum morborum oſtendit. Hic igitur liber confeſſe verus germanusque eſt. At libro, qui eſt de ſacro morbo, multa quoque ſcripta ſunt ad obſtirpandam ſuſpicionem eorum, qui Deum mittere ægritudines contendunt. Hæc, inquam, nihil officiunt proxime probatis; nam in primis hic non probat Galenus (quod oportebat eum agere) Hippocratem non adhibere fidem tot hiſtoricis grauiſſimis antiquioribus, nuper allatis, qui pleroſque morbos hominibus contigiſſe ſcripſerunt ob iram Numinis vlciſcentis humana ſcelera; quum hiſtoriæ forma & anima ſit vna veritas, cui ſemper aſſentire ſe paſſim profitetur Hippocrates. Deinde, quid exquirit, expoſtulatque Galenus hic adminiculum rationis? in hiſtorico ne, an in eo qui producit hiſtorias aliorum in argumentum & comprobationem veritatis controuerſæ? ſi quidem in hiſtorico: quomodo non diſtinguit eum a ſcientifico? ſcientia certe rationibus cõfirmare tenetur ſuas concluſiones; at hiſtoria ſimplici nudaque narratione rerum geſtarum continetur, nec vllo rationis adminiculo probare debet illas eueniſſe, vel ita geſtas fuiſſe. Sin autem rationis adminiculum requirit Galenus in afferente confirmatrices hiſtorias; nonne rationem attulimus cum hiſtorijs allatis ex euentu comprobatis? quum enim exitus acta probet; quæ maior poteſt eſſe ratio de peſtilentia diuinitus immiſſa propter iram Numinis offenſi delictis hominum, quam dum luem ceſſaſſe monent hiſtorici ſtatim, placato Numine ſacrificijs, ſupplicationibus, & reſtitutione rerum ſacrilegio ſublatarum, vel inuito contemptoque Numine per vim detentarum? Inſuper Hippocrates non potuit non fidem præſtare plenam ethnicorum vatibus, Calchanti apud Homerum, & Mulieri fatidicæ apud Dictym, affirmantibus vtramque peſtem immiſſam fuiſſe diuinitus in Græcos ob iram Dianæ, ac Apollinis aduerſum Agamemnonem, vt viſum eſt. Præterea gratis accipit, & falſo ponit Galenus, Hippocratem nullo ſuo libro cauſam ægrotationum in Deum refundere: quia nuperrime vidimus, eum ciuitatibus, & populis priuatis, ob (*d*) delicta imminere quandoque calamitates, peſtilentias nimirum, bella, ſeditiones, adeoque morbos, & mortes. Dein etſi tum Apoplecticos omnes in opere: De victu morborum acutorum, tum Epilepticos vniuerſos in opuſculo de ſacro morbo, recte neget Hippocrates ab irato Numine percuſſos & afflictos eſſe; quoniam complures illis detenti morbis nullo ſcelere diuinam iram vltricem ſibi promeruerunt, & aduerſum ſe concitarunt; attamen ideo non negat, aliquos improbos homines ob ſcelera tum iſtis, tum alijs etiam morbis aliquando torqueri diuinitus in pænam flagitiorum. Negat omnes Apoplecticos a Deo percuſſos eſſe; pariter inficiatur omnes Epilepticos a Numine cruciatos: Non negat, morbos iſtos, & alios ex ira Numinis aliquando corripere ſontes, & affligere mortales. Immo vero non obſcure nobis innuit id non ſemel in opere De Somnijs, & loco ſuperius allato, & infra præſcribens ægrotantibus, vt ſupplicationibus vtantur, inquiens, *Sed & vocis exercitijs vtatur, & Dijs ſupplicet; & turbatio*

d lib. de Somn. init.

ipſi

ipſi ſedabitur. Ac inferius: *De ſignificationibus quidem igitur aſtrorum ſic iudicare oportet, prouidereque ac diætam ſtatuere, & Dijs ſupplicare, in ſecundis quidem rebus, Soli, Ioui cæleſti, Ioui poſſeſſori, Mineruæ opulentæ, Mercurio, Apollini: In contrarijs vero, Dijs malorum Euerſoribus, & Terræ, & Heroibus, quo mala & grauia omnia euertant*. Et mox: *Supplicet autem Terræ, & Mercurio, & Heroibus*. Quid Medicus præſtantiſſimus Hippocrates pro curatione morbi, loco remediorum medicinalium, ſupplicationes Numinum imperet ægrotis, niſi cenſeat eos laborare diuinitus immiſſis ægritudinibus? niſi putet in eorum morbis iram ſubeſſe diuinam, quæ ſupplicationibus placanda ſit? nam Hippocrates ad curationem infirmitatum, quas arbitratur abſolute originem ducere a cauſis mere phyſicis, vtitur ſemper præſidijs pure naturalibus ex arte medica, non autem extra omnem artis aream præſcribit ægris talium, vel talium Deorum peculiares inuocationes atque ſupplicationes. Quando vero certus eſt ægritudinem omnino diuinitus ex ira Numinis accidiſſe, tunc omiſſis artis remedijs, imperat ſupplicationes: quando autem dubius eſt, ac ſuſpicatur de tali diuino in morbis, tunc remedijs artis medicinalis adiungit etiam ſupplicationes. Porro quod attinet ad exarata in libro de ſacro morbo, ſi volumen illud Hippocratis genuinum non eſſe conſtituit Galenus; vt aliqui iudicant viri graues, certe non potuit Galenus ex dictis in eo confirmare quæ fuerit Coi ſenis opinio de propoſito: Si vero putauit illud opus eſſe germanum Hippocratis, nec ibi ſcripta conuincunt Hippocratem exiſtimare, nullum omnino morbum diuinitus vnquam accidere; ſiquidem eo loci damnat eos, qui comitialem morbum diuinum eſſe putant in omnibus hominibus, quos apprehenderit indifferenter; & cuicunque laboranti epilepſia præſcribunt expiationes: non autem negat aliquos homines eo morbo corripi poſſe diuinitus: quæ conſtant ex his ibidem allatis contra expiatores omnium epilepticorum, (c)*Sceleſtiſſimum, ac impijſſimum, meo ſane iudicio, faciunt numen. Expiant enim morbo correptos ſanguine, itemque alijs ſceleribus inquinatos, aut iniuſtos, aut ab hominibus intoxicatos, aut qui ſceleſtum aliquod facinus perpetrauerunt: quos contraria his facere oportebat; ſacrificare nimirum, ac precari, & ad templa progreſſos Dijs ſupplicare. Nunc vero horum quidem nihil faciunt, verum expiant: & alia expiamenta terra occultant, & alia in mare proijciunt, alia ad montes deferunt, vbi nemo attingat, neque conculcet. Oportebat autem ea ad templa deferre, ſi quidem Deus eſt autor*. Sic ergo contra ſacrificulos ac vates, curantes Epilepſiam in omnibus ea correptis, tanquam morbum ſacrum a Deo miſſum, inquiens Hippocrates oportuiſſe, ſi morbus iſte diuinitus acceſſit, non expiationibus curari, vt & ſcelera, ſed ſacrificijs, precibus, atque ſupplicationibus Deorum in templo peractis; ad quod & expiamenta deferre neceſſe fuerat, non in mare proijcere, neque ſub terram condere, nec ad montes deferre, per quæ Deorum auxilio quiſque ſanatus eſt; nimirum gratitudinis ergo, & in teſtimonium adeptæ ſanitatis, in templo ſuſpenduntur, & cunctorum oculis offeruntur diuini beneficij teſtimonio. Quum autem Hippocrates ipſe non ſemel imperet in libro ſuo De Somnijs, vt ægri Deo ſupplicationes habeant pro ſanitatis adeptione, ſicuti vidimus; certiſſimum iam eſt, in ſuis operibus Hippocratem poſuiſſe, morbos aliquando morta-

c de morb. ſacr.

libus diuinitus accidere in pœnam delictorum, non quidem omnibus promiſcue, tam probis, quam improbis: vt illi vates, contra quos ediſſerit, opinabantur: ſed improbis tantum, quos adacto morbo, remedijs artis non cedente, punit, & purgat, impetrata Numinis venia ſalutarique manu per ſupplicationes; & emendata vita ſi gitioſa: ſecus enim probos non inquinat, nec affligit iniuſte puriſſimus, & iuſtiſſimus ipſe Deus; quod immediate notat Hippocrates adijciens dictis, *Non tamen ego puto hominis* (cuiuſcunque nimirum epileptici) *corpus a Deo inquinari, ſordidiſſimum ſcilicet a puriſſimo: Verum etiam ſi contingat ab alio inquinari, aut aliquid perpeti; cupierit vtique a Deo purgari magis, quam inquinari. Deus itaque eſt, qui maxima ac ſceleratiſſima peccata purgat ac purificat, & liberatio noſtra exiſtit: ipſique terminos templorum, ac delubrorum Dijs deſignamus, vt nullus qui non purus ſit, eos tranſcendat: & ingreſſi reſperguntur, non velut qui inquinemur, ſed ſi quid etiam prius ſcelus habemus, purificemur. Et de expiationibus quidem ſic ſe res habere mihi videtur.* His procul arcet Hippocrates Magorum abhominabiles incantationes, & impuras expiationes a curatione morbi ſacri nuncupati: Cui, ſi diuinitus acceſſerit, aptas eſſe monet ſupplicationes, & puras purgationes ſcelerum, factas in templis atque delubris per mundas aſpergines: Sin autem humanitus contigerit ægritudo, ipſi præſidia dicit oportuna, quæ præſcribuntur ex arte Medica: Quod in fine voluminis afferit hiſce notis, *Oportet autem tum in hoc morbo, tum in reliquis omnibus, non augere morbos, ſed feſtinare vt ipſos exteramus: id, quod aduerſiſſimum eſt morbo, exhibendo, non quod amicum & familiare; a familiari enim & conſueto floret ac augeſcit; ab aduerſo vero & hoſtili perit & diſſipatur. Quiſquis autem talem mutationem in hominibus nouit, & humidum ac ſiccum facere poteſt hominem, calidum item ac frigidum per diætam, hic vtique & hunc morbum ſanauerit, ſi occaſionem eorum, quæ conferunt, pernoſcet, citra expiamenta & incantationes, citraque omnem aliam huiuſcemodi machinamentorum abſurditatem.* Quare Galenus adductis inſtantijs ſuis non euertit opinionem aſſerentium, Hippocratem interea diuina, quæ prænoſcenda iubet in morbis, reponere quoque Numinis iram, aliquando morbos immittentis in facinoroſos homines, quos aut punire vult incorrigibiles vindex ſcelerum iuſtiſſimus; & alijs exemplum ponere, ne peccent, Deus Optimus: aut correctionis capaces purgare benignus a labe delictorum, quemadmodum igne purgatur aurum a ſcoriæ metallicæ contagione.

Enumeratio Diuinorum in morbis, ex Hippocratis iuſſu prænoſcendorum. Cap. XX.

IAm ergo tandem concludamus, Diuinum illud in morbis, quod iubet Hippocrates Medicum prænoſcere num inſit, necne, non vnicum eſſe, ſed multiplex, ac omnino redigi ad nouem genera; quorum primum eſt Diuinatio Medica, ſiue Prognoſticum, de quo Medicus initio curationis obſeruare debet, vtrum in ægritudine locum habeat, & quomodo, an potius nulla ſit opus Prognoſticatione. Secundum eſt Inſomnium Diuinatorium, ſiue Medico

dico ſit Diuinitus immiſſum, ſiue contingat ægrotanti vel a Deo pariter immiſſum, vel ex humoribus peccantibus ortum habens, cuius ope Medicus diuinare valeat de morbi natura latente, de futuro ægritudinis euentu, deque remedijs oportunis ad curationem. Tertium eſt Ecſtaſis ægrotantium, non morboſa, ſed ſtudioſa, diuinaque, morboſæ nimium ſimilis: ob quam ſimilitudinem deceptus Medicus apparenter ægrotanti, ſed vere ſano corpori medicamenta porrigeret, quæ ſanitatem vitiarent, atque perderent. Quartum eſt Afflatus, Furorque diuinus, cum furore morboſo pariter habens maximam cognationem, quæ Medicos fallere poteſt, & adducere ad vſum remediorum intempeſtiuum cum magno ſanitatis detrimento, & aliquando quoque cum vitæ diſcrimine. Quintum eſt Animi vehemens Affectio, qui diuina pars eſt in nobis, trahens in ſui conſenſum corpus; & ægritudines pariens, quæ Medicinæ remedijs non curantur, ſed potius augentur, & plerumque terminantur ad mortem. Sextum eſt Terror a ſpectro viſo, perculſiove phantaſiæ vehemens a Dæmone. Septimum eſt Cacodæmonis verum & reale maleficium, remedijs naturalibus inſuperabile. Octauum eſt Amoris impotentis Affectus, homines tabefaciens, & inſomnes, atque ſuſpirioſos efficiens, & ad mortem etiam denique perducens; cui medicamenta nulla conferunt, ſed vnica dilectæ rei poſſeſſio. Nonum & poſtremum eſt Numinis ira iuſta fontes puniens ægritudine remedijs humanis non ſanabili, vt late ſuperius confirmatum eſt ad ſynceram Hippocratis mentem. Quæ quidem Diuina propterea ſunt a Medicis ante Medicamentorum vſum præcognoſcenda, num inſint in morbis, necne; quia morborum curationem variant præſentia, & abſentia ſua; ſicuti diſtincte diligenterque pariter oſtenſum eſt in ſuperioribus.

Hæc illa ſunt, inclyte Citeſi, quæ mihi nunc in mentem venere pro reſponſis ad tua nobilia, difficiliaque problemata. Quas quidem reſponſiones meas tuæ cenſuræ lubens volensque ſubijcio, nihil approbaturus, niſi quod tu non improbaueris. Vale, & me tui ſtudioſiſſimum amare ne ceſſes. Dabam Bononiæ, die 11. Februarij 1644.

Superiorum Reſponſionum approbatio Citeſiana. Cap. XXI.

Illuſtriſſimo Viro Domino Fortunio Liceto.

NVper tui nominis toto cælo celeberrimi fama permotus optaueram ſententiam tuam, Vir Eruditiſſime, ſupra duobus problematis; quorum, animi dubius, certam concluſionem, te auſpice, reportarem. Nunc vero poſtquam in vtroque enucleando tanta ingenij felicitate & fæcunditate rem totam aperuiſti & abſoluiſti, vnico iudicio tuo ſto; & in te vno, tanquam acus nautica in Cynoſura, conquieſco; atque profiteor me tibi eſſe deuinctiſſimum, quod dignatus ſis meas eſſe aliquid putare nugas, & eas tuis lucubrationibus adornare. Elegantiſſimos tuos dioriſmos quisquis lege-

ris, non eos tantum probabit, ſed etiam miris laudibus efferet. Quis non quoque mirabitur indefeſſum illum laborem in perſcrutandis tot grauiſſimis autoribus tum Theologis, tum Philoſophis, antiquis Poetis, & Medicis, quorum ſcriptis obſcuris ſplendidiorem lucem nemo dare poteſt, quam tu, Vir Doctiſſime, qui in Lycæo & in Gymnaſio Medico lampada præfers. Qua in totius Italiæ luce tantum gloriæ adeptus es, vt iam poſſis plenus bonorum, vtinam bonorum, deſinere, atque honeſto otio perfrui, niſi animus inquies, vt illius olim T. Liuij, paſceretur opere. Quod ſupereſt vitæ noſtræ totum Deo debemus, qui hactenus patriæ, parentibus, & amicis operam noſtram dedimus. Hoc munus Iunioribus Medicis iam relinquamus. Illi Clinicos ſe gerant, ægros perambulent, pharmacopæorum officinas perluſtrent, Seniores conſulant, quos non ſinit ætas ſaltem mea ſeptuaginta trium annorum, nocturna obſeruare manu, obſeruare diurna quæcunque circa ægros facienda monet Cous noſter ſenex. Non minus agit qui ad clauum ſedet in naui gubernator, quam qui malos ſcandunt, & qui per foros curſitant, ait Tullius: Imo multo maiora & meliora facit autoritate & conſilio. Sic ſeniores Medici quæ per multos annos longo vſu probata remedia conſulunt feliciorem euentum ſortiuntur. Sed alia mentem meam vis agit, maior Deus. Vnum deinceps mihi neceſſarium eſt, animæ ſalus. Meliorem partem elegiſſe videbor, ſi duo noſtra problemata, quandiu fuero, claudam hac prece, vt mihi det Deus mentem ſanam in corpore ſano, & to theion, ſeu Diuinum Numen ſemper toto corde complecti tribuat. In hoc omine deſino, & vt ſe ſemper ames rogat,

Vir Illuſtriſſime

Datum Lutetiæ Pariſiorum Nonis April. 1645.

Tibi addictiſſimus & obſequentiſſimus Seruus CITESIVS.

De Febre Syncopali humoroſa, num a bile poſſit eſſe ſecundum Arabes Medicos, & ex doctrina in Collegio Patauino recepta: & quæ prouenit a bile ſyncopalis, num minuta dici debeat. Cap. XXII.

Patauinæ Scholæ Medico Theorico Supremo Fortunio Liceto Ioannes N. Salutem.

ADeram & ego nudius tertius, Cl. Licete, ſimul cum Promotoribus alijs audiens Nobiliſſimum Candidatum, recitatione domeſtica ſe præparantem ad examen publicum in almo Collegio poſtridie ſubeundum. Propoſitis atque diſcuſſis argumentis, Philoſophicam, & Medicam aſſignatorum textuum explicationem vellicantibus. Tertius congregatorum Compromotorum ſenior curandam ægritudinem Adoleſcenti Laureando propoſuit hiſce plane verbis: *Propono tibi, Nobiliſſime Adoleſcens, Iuuenem ætate*

viginti quatuor annorum, temperamento calido & ſicco, æſtate media laborantem febri Syncopali humoroſa cum vomitu bilioſo, petens abſte morbi naturam, & curationem explicari. Quum autem Adoleſcens, in explicanda propoſitæ febris eſſentia, nulla facta mentione bilis, vniuerſam cauſam morbi retuliſſet in phlegma crudum, & aſſeruiſſet, vomitum bilioſum eſſe ſymptoma morbi periculum augens: expectato fine recitationis, Promotor ille Senior, qui caſum propoſuerat, admonuit Adoleſcentem, vt in examine publico, ſi morbus iſte ſibi proponeretur, aſſereret eius cauſam eſſe, non ſolam pituitam, ſed maxime bilem, apertiſſime demonſtratam ab ætate iuuenili patientis, a temperamento calido & ſicco, nec non ab æſtiuo tempore, potiſſimumque a vomitu bilioſo. Fuit attamen ex Compromotoribus Iunior, Laureatudi Magiſter, qui diceret, in propoſitione morbi ſermonem habitum *De fibre Syncopali humoroſa*, non autem *de Minuta*; quamobrem in Collegio ſumptum iri talem ægritudinem pro *pituitoſa*, non autem pro *bilioſa* febri; propterea Candidatum non male retuliſſe cauſam affectus propoſiti non in bilem, ſed in phlegma crudum. Cui dicto quum Senior ipſe nullam redargutionem adhibuerit, quæ tamen in promptu mihi videbatur: cuperem ſilentij noſſe rationem; num forte probas Iunioris aſſertionem? aſſertionem incuam de cauſa morbi relata in phlegma crudum, & de vomitus bilioſi periculo. Vale, & me ama. Dat. ex ædib. noſtris VI. Idus Martij M DC XLVI.

Reſp. Liceti de Febris appellatæ Syncopalis differentijs; & humoroſæ, non minutæ ortu ex bile, ſecundum Arabum doctrinam, & Iuniorum, in almo Collegio Patauino receptam. Cap. XXIII.

Cl. Viro Ioanni N. Fortunius Licetus B. A.

VNiuerſam Conſeſſus illius literarij veram hiſtoriam diligentiſſime propoſuiſti, Cl. Vir: Senioris vero ſilentij prætermiſſæque redargutionis, atque diſputationis cum Iuniore Compromotore contradicente, tres omnino cauſas extitiſſe puto; quarum prima Candidatum adoleſcentem reſpicit, altera materiam tractatam, tertia Promotorum officium, munuſque proprium. Circa primam, arbitratus fortaſſe fuit Senior ille Promotor, non eſſe tunc vtile Iuuenis animum discordibus opinionibus, & aduerſantibus argumentis confundere; ſed illi ſatius eſſe, vel falſam opinionem ſequi, quæ Doctori ſuo vera videretur, quamque Iuuenis a proprio præceptore doctus facile magis approbaret, magisque tractare poſſet. Quod attinet ad ſecundam cauſam, Illud in mentem ſubijt, quod aliquando monet Ariſtoteles, (a) Nihil prohibere, Scientificum illa deſpicere, quæ manifeſta ſunt; *a* 1. poſt. quum fruſtra ſit diſputare de rebus euidentibus: manifeſtum autem, & om- t. 76. nibus euidens eſſe, quicunque Medicinam, Arabum potiſſime (quorum ſectatorem maxime ſe profitetur Iunior ille Promotor Seniori contradicens) vel a limine ſalutauerint, Febrem ſyncopalem humoroſam in Iuuene, tem-

pe-

periei calidæ atque ſiccæ, diebus æſtiuis, cum vomitu bilioſo vigentem, a bile pendere, non autem a phlegmate crudo ſolo; quod omnes Arabes vltro fatentur, & Iuniores, & ratio ſuadet apertiſſima; namque febris appellata ſyncopalis tergemina eſt; duæ quidem ſimplices, humorales ambæ, tertia ex illis compoſita. Simplices duas proponunt Auicennas, Auerroes, atque Razes: compoſitæ meminiſſe videtur expreſſe ſolus Auicennas. Porro ſimplicium vna eſt, quæ fit a bile, quam primo tractant Auerroes, & Razes; Auicenna ipſam in ſecundum locum referente. Sane

b l. 10. *Razes.* Razes ait ad Almanſorem ſcribens, (*b*) *De Febre ſyncopali, quæ fit ex malitia humorum, & eorum acuitate. Cap. XIII. Quandoque febris alicui ſuperuenit, quæ ſecundum maiorem partem in die tertia paroxiſmum facit: cum qua facies ægri cito fit tornatilis, & corpus macreſcit: virtus quoque, quæ in pulſu attenditur, cadit poſt vnam, aut duas acceſſiones: Quod ſi acceſſio amplius aduenerit, perducetur æger ad ſyncopim poſt ipſam: & fortaſſe moritur ex illa ſyncopi. Hæc vero febris in corporibus ſemper generatur, quæ ſunt in vltimo complexionis calida & ſicca.* Quid euidentius, quam iſtam febrem a Raze deſcriptam, a Seniore Promotore fuiſſe propoſitam Adoleſcenti Candidato declarandam, atque curandam? quid manifeſtius eſt, quam iſtam febrem a Raze non appellari *Minutam*? Quid clarius, quam huiuſmodi febrem a Raze poni factam *ex humorum malitia, & eorum acuitate*? quid apertius eſt, quam febrem ex humorum malitia, & eorum acuitate factam, eſſe humoralem, & humoroſam appellari? Quid notius eſt, quam acutiem humoris in phlegmate crudo non eſſe, ſed in ſola bile? quid apertius eſt, quam febrem, quæ ſemper generatur in corporibus poſitis in vltimo complexionis calidæ ac ſiccæ, non oriri ex phlegmate crudo, ſed ex bile flaua? non ne fruſtra fuiſſet, non ne deſpicienda fuit diſputatio cum contradicente de re tam clara? Quis vel Medicinæ Theoricæ Tyro non nouit, eſſe tria ſumma febrium genera, diariam, hecticam, & humoralem? quis ignorat omnem febrem ſyncopalem, etiam quæ fit a pura bile, prorſus in humoralium genere collocari, & humoroſam ab Auicenna, ſicuti mox apparebit, appellari? non ne bilis humor? a bile febris igitur omnis humoralis: aut *humoroſa*, ſicuti vertit Bellunenſis, aut *humoriſtica*, ſicuti nouiſſime Stephanus. De hac eadem febri, nullam *Minuti*

c l. 7. c. 17. *Auerroes.* nominis mentionem faciens, egit Auerroes in ſuo Colliget inquiens, (*c*) *De Syncope proueniente cauſa ſtomachi. Cap. XVII. Syncope quidem ex ſtomacho procedens, ſi ex cholera, quæ in ore ſtomachi abundauerit, fuerit; in primis vomitum prouocare debemus, ponendo pennam in eis in ore: &, ſi cum hoc eijcere non poterit, naturam tunc mollificari debes. Et Galeno videtur, vt talibus in hoc caſu oleum tepidum dare debeamus; Quoniam ſi vomitum non habuerit ab eo, ſaltem natura mollificabitur inde. Sed quia hæ medicinæ, quæ habent vomitum prouocare, de ſui natura eſt & proprietate, ſtimulare virtutem plus eo, quod facit humor efficiens ſyncopen, & addit in eadem ægritudine: & propter hoc dico, quod longe melius eſt confortare eorum ſtomachum cum maſtiche, & ſpica nardi, & ſucco cydoniorum, & foliorum vitis: quia taliter virtus eorum expulſiua confortatur, & humorem expellit. Et ſi vomitus a ſe prouenerit in hoc caſu valde laudabilis exiſtit.* Ex quibus apertiſſime conſtat, Auerroem ponere febrem ſyncopalem hanc ex cholera in ore ſtoma-

ma-

Digitized by Google

machi abundante; proindeque talem, quam humor efficit, humoroſam dici debere; ac eo magis quo cholericus humor abundans ipſam efficit. Conſtat irem, ab Auerroe febrem, aut ſyncopen iſtam a bile prodeuntem, non appellari *Minutam*. Conſtat vlterius ab Auerroe ſimul, & a Galeno, quem ipſe citat, in febre ſyncopali ab humore bilioſo genita, maxime probari vomitum a natura factum; qui, ſi non ſponte ſuccedat, arte promoueri debeat. Vnde ſatius fuiſſet, Iuniorem illum Promotorem corrigere ſecundum errorem ſui diſcipuli, qui dixerat, febrem propoſitam eſſe periculoſam tum ratione ſyncopis, tum ratione ſymptomatis alterius, nempe vomitus; quum vomitus in eo caſu periculum arceat, non aduehat: vomitusque ſymptoma malum non fuerit, ſed bonum naturæ iudicium, criſiſque ſalutatis: Quem alterum errorem equidem corrigere volebam; ſed videns in controuerſia poſitam primam illam correctionem de cauſa morbi; nolui nouam occaſionem afferre contradicendi pariter in re notiſſima; nam & vomitum in illo caſu laudat Auicennas. *(d)* Igitur & poſt Razen Auerroes febrem ſyncopalem ex bilis abundantia in ore ſtomachi *Minutam* non appellat; ſed eam potius appellaret humoroſam, vt pote factam ab humore cholerico redundante in ore ſtomachi. [d l.4.f.1.tr. 2.c.59.f.] Sed ad Auicennam quod attinet, Ipſe quidem quaterna capita proponit de febre ſyncopali: duo de illius eſſentia, totidem de cura: primum ſub hoc titulo, *Febris ſyncopalis humoroſa*. *Cap. LIII. Hæc ſecundum plurimum eſt propter phlegma crudum* &c. & in fine capitis ait: *Et quandoque accidit eis in quibuſdam horis ex cholera dominante groſſa: & fit cum ea in viſceribus aduſtio, & euomunt choleram: & ſunt ei periodi phlegmaticæ ſecundum plurimum*. [Auicennas.] Quem locum explicans Arculanus ait, *Hic Auicenna ponit ſyncopalem quandoque fieri a cholera groſſa multa; cuius ſignum, quia fit aduſtio in viſceribus, & euomunt choleram. Et ſunt ei, ſcilicet ſyncopali cholericæ, periodi phlegmaticæ ſecundum plurimum, propter multitudinem choleræ; ſicut enim phlegmatica propter paucitatem phlegmatis aliquando paroxyſmat paroxyſmis tertianæ; ſic etiam aliquando cholerica propter eius multitudinem, paroxyſmat paroxyſmis quotidianæ*. Sauonarola pariter in eandem ſententiam iuit, inquiens (*) de febre ſyncopali humoroſa: *Alij volunt, quod & a cholera fieri poſſit: ſed quicquid ſit, tamen ſecundum plurimum a phlegmate eſt; & ſic voluit Auic. vt de ait: hæc febris fit propter phlegma ex frequenti nauſeatiua repletionali ex multitudine ciborum crudorum. Subdit tamen, fit etiã iſta febris ſyncopalis humoroſa quandoque & in quibuſdam horis* (hoc eſt in diebus æſtiuis) *ex cholera dominante groſſa & vitellina multiplicata in viſceribus, quæ ibi putrefit; & vomunt choleram, & ſunt ei periodi phlegmaticæ ſecundum plurimũ* &c. [*l.de febr. phleg.rub. 11.] Addit Auic. *Febris ſyncopalis minuta ſubtilis. Cap. LIV. Hæc febris eſt acuta* &c. nox eius cura propoſita, ſcribit: *Cura febris cum ſyncope humoroſa. Cap. LIX.* & altero capite, *Cura febris cum ſyncope minuta. Cap. LX.* Circa quos titulos illud animaduerto, differentiã *humoroſæ*, atque *minutæ* non applicari febri ab Auic., quaſi voluerit febrium ſyncopen aduehentium aliam eſſe febrem humoralem, aliam minutam, vt multi vulgo putant; quum omnes iſtæ febres humoroſæ ſint, ab humoribus ortum habentes: at applicari titulos, & differentias illas ipſi ſyncopi; quod febrium aliæ ſyncopen humoroſam adiunctam habeant, aliæ ſyncopẽ minutam.

tam. Nomine ſyncopis humoroſæ veram ſyncopen intelligit Auic., factam ab humoris praui ſubſtantia ventriculi ſenſitiuũ os obſidentis: nomine vero minutę ſyncopis Lipothymiã indicat, ortam potius a vaporibus in corde latis: Quum vnicuiq; compertiſſimum ſit, Lipothymiam eſſe defectum animi multo debiliorem ſyncope: Qua de re ſuo loco (e) latius. At quod attinet ad propoſitum noſtrũ, Auic. ait in cap. priori, cui titulum fecit, (f) *Cura febris cũ ſyncope humoroſa. Cap. LIX. Hac febris eſt difficilis cura, & modus in curatione eius eſt euacuatio gradata ex ſubtili ad fortẽ* &c. quibus multus eſt in afferendis præſidijs pro curatione febris ſyncopalis ex pituita prouenientis: demum in fine cap. eiuſdem, in quo propoſuit curam febris cum ſyncope humoroſa, ſcribit, *Quod ſi fuerit in ea humor cholericus aliquis; tunc, ſi facilis eſt vomitus; & leniatur, & eſt iuuatiuus valde: & ad vltimum melius eſt, vt aſſidue proficiat in ea.* Poſt hæc immediate proponit Auic. alterũ caput ſub hoc titulo. *Cura febris cum ſyncope minuta. Cap. LX.* Quare notiſſimũ eſt Auic., non omnem febrem ſyncopalem humoroſam ex phlegmate genitã ponere: ſed quãdam febrem ſyncopalem humoroſam, quæ non ſit cum ſyncope minuta, cẽſere genitã ex humore cholerico in ore ventriculi. Qua quidẽ in re duæ Iuniorum opiniones habentur; alij volunt hãc febrem ſyncopalem humoroſam ex bile prouenientẽ, de qua ſcribit Auic. in fine capitis, eſſe ſimplicem, ex humore cholerico ſine permiſtione pituitę genitam: alij volũt eſſe compoſitam, velut hemitritęus, genitã ex pituita ſimul & bile putreſcentibus circa ſuperius os ventriculi. Priorem ſententiam coluit Marcus Garenaria, libro ſuo de remedijs morborum ſcribens: (g) *Cura ſyncopalis humoroſæ. Cap.* &c. Multisq. propoſitis pro cura febris ſyncopalis a pituita prouenientis, velut Auic. texturam ſecutus, addit in fine cap. *Cura vero ſyncopalis prouenientis a materia cholerica vitellina, cõueniens eſt euacuatio per vomitũ, & ventris ſolutio: & fricationes debent eſſe leuiores, quã in ea qua prouenit a materia phlegmatica. Et licet, autores, vt dicunt, relinquant eam tanquam notam: ego tamen credo quod euacuatio cum pharmaco, ſtantibus caſibus ſupra narratis, multo magis poſſet concedi: pracedente tamen digeſtione cum ſirupo appropriato & conuenienti, vt ſirupo acetoſo ſimplici, exhibito cum aqua lupulorum; quia tale eſt digeſtiuum bonũ in hac materia, vt dicit Nicolus. Et hac de cura iſta.* Poſtea ſtatim agit de ſyncopali minuta, proponens alterum caput ſub iſto titulo. *Cura ſyncopalis Minuta. Pro cura ſyncopalis minuta cholerica quinq; ſunt habẽda intentiones:* cuius eſſentiam prius poſuerat inquiens: *Febris ſyncopalis minuta ſubtilis. Cap LIV. Hac febris eſt acuta, & cadit pulſus & virtus in paroxyſmo vno aut duobus paroxyſmis, cum additione, & eueniens in corpore cũ velocitate: & quandoq; non ſufficit cum ea virtus vſque ad IV. & ſit ex chymis ſubtilibus, plurimum quorum cholericum eſt, vehemẽtis ſubtilitatis, & profundationis, mala ſubſtãtia venenoſa, cui iã accidit putrefactio in corporibus calida cõplexionis, ſiccę valde: & plures paroxyſmi huius febris ſunt paroxyſmi tertiana.* Ex quo loco patet etiã aduerſus aſſeriũ Cõtradictoris, originẽ febris ſyncopalis minutæ, non eſſe ſemper a bile, quinimmo nunquã eſſe a bile ſola, cuius ſolius meminit eius diſcipulus; ſed eſſe ſemper ex maſſa ſuccorum ſubtiliũ, qua bilis prædominatur alijs ſibi permiſtis. Quã ſententiam profert Arculanus, aiens, *Pro notitia ſyncopalis minuta primo videndum eſt, qui humores faciunt hanc febrem. Ex ſententia Auic. comprehendimus, hunc humorẽ*

eſſe

e l. de febr. ſyncop.

f loc. cit.

g pag. 218.

eſſe ſubtilē, venenoſum, ſecundū plurimum cholericum. Et infertur ipſam eſſe materiā furioſam. Iſti ergo humores, qui choleram habent huius conditionis, poſſunt facere hāc febrem, ſicut ſanguis ſubtilis vaporoſus; & forte hic faceret continuam concluſam. & forte aliquod phlegma ſubtile venenoſum. Sed Auic. inferius. Vnde conſtat ex humore cholerico ſine phlegmate fieri poſſe febrem ſyncopalem humoroſam, a minuta cōtradiſtinctā Huic ſententiæ plane ſubſcribit Autor libelli m.f. qui paſſim vagatur per manus Iuniorū Doctorum Collegiatorū, & Scholarium huius Academiæ, quem dicunt eſſe genuinū opus huius Contradictoris Iunioris; legitur autē in opuſculo ſententia verbis ipſiſſimis, *Syncopalis humoroſa eſt ex bile, ſecundū aliquos ex pituita (fac diſtinctionem vt in Lipyria, & Cauſone) putreſcente in venis oris ventriculi, partim illam ita vellicante, vt continuam faciat ſyncopen.* Licet e contra Rhazes non continuam, ſed interpollatam, atq; poſt tertiam acceſſionem in iſta febre ſyncopen fieri dicat. At vero quando m.f. opuſculi Autor ad cauſas Lipyriæ Cauſoniſq. refert diſtinctionem cauſarū ſyncopalis humoroſę, num ex bile fiat, an ex pituita; videndū eſt, quid in iſtis alijs febribus de propoſito ſcripſerit idem autor in eodem opuſculo; dixerat autem expreſſis verbis nuperrime: *Lipyria eſt intemperies calida & ſicca &c. ex bile putreſcente in venis maximis & cordi proximis cū refrigeratione partium externarum, & calefactione internarum. Nota: cauſa eſt etiam aliquando pituita: vt ſi eſt in ſene, temperamento frigido & humido, hieme.* & paulo prius: *Cauſon eſt intemperies calida & ſicca &c. ex bile putreſcente in venis maximis, & cordi proximis, ſi eſt iuuenis æger, tēperamento calido & ſicco æſtate: ex pituita ſalſa, ſi ſenex, temperamento frigido, & humido, hieme.* Quare nulli dubiū eſſe poterat, quin a Doctoribus Collegiatis, iſtā methodum laudantibus, propoſita febris ſyncopalis humoroſa in iuuene tēperamenti calidi & ſicci, media æſtate, cum vomitu bilioſo, referenda iudicaretur in bilem maxime, non in phlegma crudū. Quod ſi libellus ille m.f. continens methodū recitandi caſus in Collegio Patauino, germanū eſt opuſculū Iunioris huius Promotoris Seniori contradicentis (vt mihi plures teſtati ſunt) iam multo magis mirandū eſt de contradicendi prurītu Doctoris, qui non veritus fuerit aduerſari propriæ ſententiæ, aliudq. dicere verbis, aliud docere ſcripto; diſcipuliq. ſui manifeſtum errorem excuſare contra veram admonitionē Senioris Promotoris. Alteram vero ſententiā profiteri videtur Iōānes ille Stephanus, qui nouiſſime Paraphraſi tractatum Auic. de Febribus illuſtrauit; nam allatam doctrinā Auic. proponit in fine Cap. LIX. ſub titulo, *De Febris ſyncopalis humoriſtica curatione*; verbis ipſiſſimis; *Quod ſi vna cum pituita ſubſit bilis, quæ ad ſtomachum impetum faciat, vomitio facillima excitanda; hac enim proderit: & ſane, vt proſit, conſentaneum eſt.* Ego vero cenſeo dictum Auic. ſententiam vtramq; ſuſtinere poſſe: Quia pauca bilis in ore ſtomachi ſufficit ad ſyncopen excitādam, propter magnam cum corde proximo cōmunionem, qua dolor ventriculi dicitur cardialgia: & propter exquiſitiſſimū(*) ſenſum oris ventriculi dolores vehementiſſimos ab exigua bile perpeti natum; nam ex vehementia doloris accidere facile ſyncopen ex (*b*) Gal. conſtat apertiſſime. Quin etiā ſi ſola pituita cruda multitudine ſua poteſt in ore ſtomachi ſyncopen efficere; ſique valet eādem affectionē ſola bilis inducere; quidni valeat idem ſymptoma prouenire ſimul vtraq; cauſa morbifica

* Gal. 12. meth. c. 6.
b 12. meth. med. c. 7.

i cap.59.f ventriculi ſuperius os excruciante? Auic.igitur in cap.(*i*)de cura febris cum
ſyncope humoroſa,dum ad calcem inquit,ſyncopen humoroſam fieri,quan-
do humor cholericus aliquis in ea febri fuerit, ſiue loquatur de febre ſimpli-
ci ex bile ſola, ſiue de cōpoſita ex pituitoſo ſimul & bilioſo humore cōſtitu-
ta; ſatis aperte docet,febrē ſyncopalem humoroſam in iuuene temperamēti
calidi & ſicci æſtiuis ardoribus cū vomitu bilioſo iunctā , non bene relatam
fuiſſe in phlegma crudū,nulla facta mentione bilis;cuius potiſſima ratio de-
buerat inter affectus cauſas haberi. Porro de febre ſyncopali humoroſa,quā
k l.10.c.14 cruda pituita promouet,breuiter agit Razes ad Almanſorē,inquiens:(k) *De
febre ſyncopali,quæ ex multitudine,& cruditate humorum fit. Cap.XIV. Sæpe febris
aliquem inuadit,quæ ſecundū maius, paroxyſmū vt phlegmatica facit:in quâ corpus
mollificatur,& facies tumere incipit. Et,ſi corpus nō fuerit nutritū,ſed euacuatū,ſu-
peruenit ægro inde ſyncopis. Et,ſi nutrimentū adhibeatur,mollities conſequitur,& fe-*
l lib.4.f.1. *bris fiet validior,& in longū protrahetur tempus.* Auicennas(*l*)autē huius febris
tr.2.c.59.F curā ait eſſe difficilē;eamq. fuſius proponit,non aperte cauſam ipſius affert;
ſed ea remedia late profert,quæ cōferunt ad attenuandū & digerēdū phleg-
m 7. Coll. ma crudū. Et Auerroes euidentius eiuſdē febris cauſam aperit,aiens, (*m*) *In
c.17. ſyncope quidē facta ab humoribus frigidis dabis de electuario diatrion pipereon,ſtudē-
do extrahere humores,quemadmodū dicturus ſum in curis cuiuſq. mēbri* Quū ergo
nemo tāmū Claſſicorum Arabum in febri ſyncopali humoroſa prouenīēte ex
humore pituitoſo meminerit ætatis iuuenilis, aut æſtiui tēporis,aut tem pe-
raturæ calidæ ac ſiccæ, aut bilioſi vomitus;certo certius eſt,febrē ſyncopalē
humoroſam in iuuene,tēperamēti calidi & ſicci,diebus canicularibus, euo-
mente bilioſa, non debuiſſe referri ad phlegma crudū, nulla facta mentione
bilis. Cuius etiā meminiſſe neceſſe fuerat,ſi propoſita fuiſſet febris ſyncopa-
lis humoroſa cōpoſita ex phlegmatica & bilioſa . Tertiū vero genus hoc fe-
bris ſyncopalis cōpoſitæ dari,cōpertiſſimū eſt:etenim cōpoſitā eſſe non raro
febrem ex ea,quā ſimplicē pituita facit,& ea,quā ſimplicē bilis efficit,aper-
te liquet in hemitritæo;quæ febris vnica cōpoſita eſt ex duabus de ſe ſimpli-
cibus,quarū alterā quotidianā pituita procreat,alterā tertianam ipſa bilis:
n l.4.f.1.c. qua de re luculentiſſime tractant (*n*) Auic.(*o*) Gal.(*p*) Aetius,(*q*) Paulus,om-
17.& ſeqq. neſq. ceteri Medicorū Claſſici.Quod autē ſimul eodē tempore ſæpius in ſto-
o 3.de diff. macho coaceruetur multa copia crudi phlegmatis craſſi & viſcidi cum bile
feb.c.9. praua tenui & acuta,quotidiano cōprobatur experimēto;nam obſeruare li-
2.de criſ. cet eijci paſſim vomitu multā pituitæ crudioris vbertatē cū permiſtione bi-
c.9. lis amariſſimæ,ſæpe flauę,frequentiſſime viridis,nonnunquā æruginoſę,quā
p lib.5. ait(*r*) Auic.in ſtomacho generari ex bile mitiori,ab hepate in vētriculū trāſ-
q lib.2. fuſa.Sic igitur iſti duo putreſcentes humores in venis oris ventriculi ſpecia-
r l.1. f.1. tim,febrē cōpoſitam efficiunt ſyncopalem humoroſam;de qua clare videtur
d.4.c.1. Auic.egiſſe(*ſ*)loco prius allato,capite de cura febris ſyncopalis humoroſæ.
ſ l.4.f.1.tr. Statim autem in alio cap.(*t*)ſequenti loquitur Auic.*de cura febris cum ſyncope
2.c.59.f. minuta. Cap.LX.* Sane qui ſyncopen humoroſam appellauit Auic.eā,quæ ve-
t cap.60. ra ſyncopes eſt,orta ex humore ſiue phlegmatico, ſiue bilioſo,ſiue vtroq; ſi-
mul ſua ſubſtantia ventriculi ſuperius os exquiſitiſſimi ſenſus afficiēte;nunc
ſyncopen minutā appellat ab humoroſa contradiſtinctam,quæ vera ſyncope

non

non eſt,ſed leuior affectio, quam Græci vocant Lipothymiam, & Lipopſychiã, Arabes minutam ſyncopen,hoc eſt leuem; quæ non a ſubſtantia prauorum humorũ obſidente vẽtriculi ſuperius os efficitur, vt humoralis; aſt a vaporibus prauis in cor delatis,animi languorẽ, & vitaliũ ſpirituum exolutionẽ aliquã promouentibus,quæ prope verã ad ſyncopen accedit, & eã æmulatur:Quod euidentiſſime conſtat ex curatione,quã adhibet Auic.huic febri cum ſyncope minuta,proſpiciens cordi,non ori ventriculi; dicit enim agens *De cura febris cum ſyncope minuta.Cap.LX.Oportet vt emplaſtretur pectus eius cum ſandalis,& aqua roſarum;& viuificetur cũ cibo paulatim Et ſit cibus eius,ſicut panis de ſimila infuſus in aqua granatorum infrigidata, ſi deſiderat ipſam; & ſimiliter in aqua de fructibus . Si autem indigetur ad virtutem almoſuſat (cibis acetoſis) facies ex pullis cũ aceto,& aqua agreſta,& oleribus frigidis, & proprie corãdro, erit iuuamẽtum in hoc,ſi exhibeatur.* Vbi neq; de bile,neq; de ſtomacho,neq; de humoribus Auic.agit in curationem proponit,quæ cor potius, quã ſtomachũ reſpicit: non enim quidquã ventriculo præſtat emplaſtrũ adhibitum pectori, ſed cordi,quod eſt in thorace; quum vẽtriculus infra pectus iaceat in imo vẽtre. Quidni ergo,propoſitam febrem ſyncopalem humoroſam cum vomitu bilis in iuuene tẽperamenti calidi & ſicci,media æſtate laborãtẽ,nulla facta prorſus *Minutæ* mentione, Candidatus explicare debuit a bile natam,aut nõ ſine bile genitã?a vomitu bilioſo nõ augeri tanquã a ſymptomate ſecundo morbi periculũ;ſed imminui,tolliq. viceuerſa periculum,velut a bona criſi cauſam morbificã euacuante,morbũq. bene iudicante? Sic igitur ex doctrina Razes, Auerrois,Auicennæ,Gattenariæ,Arculani,Sauonarolæ,quin & autoris opuſculi m.ſ.vulgati; quorum dogmata maxime ſequũtur almi Collegij Doctores bene ſentiẽtes,approbarent in allato morbo cauſam eſſe bilem, & vomitum bilioſum eſſe ſalutarem,non ſymptomaticũ,ſed criticum: Recteq. correctus fuit Candidatus a Seniore Promotore,non ita recte laudatũ eius dictũ a Iuniore. Quæ ſecunda cauſa fuit,ob quã de re peritis euidentiſſima,Senior Promotor cõtradicentẽ Iuniorem coarguere neglexit, & altera correctio de vomitu non pertimeſcendo prætermiſſa fuit. Tertia demũ cauſa reſpicit morem,munus,atq; decorum in ordine Cõpromotorum;quia cõuenientes plures Compromotores ad audiendum Candidatum recitantem intra domeſticos parietes ea, de quibus in Conuentu publico ſubiturus eſt examẽ rigoroſum poſtridie, Iuniores ætate Promotores ex officio proponunt argumenta contra doctrinam a Laureando recitatã:qui ſi bene reſponderit,collaudatur, & animo læto eſſe iubetur: ſi contra defecerit in aliquo,blande corrigitur ab ijſdẽ,vel a Senioribus. A Seniore poſt illos,vel eius nutu ab alio proponitur eidẽ Cãdidato morbus aliquis explicandus,atq; curãdus:in cuius dictis vbi ſit aliquid corrigendũ,id a Seniore fit,vel ab eo qui caſum propoſuerit:ac vt Senior poteſt ad libitũ ſphalmata corrigere;ſic nõ decet,Iuniorẽ ſibi arrogare cenſurã dictorũ a Seniore;ſed e cõtra Senior iudicare poteſt de dictis aliorũ. Quare Senior contradicenti Iuniori,qui fortaſſis ad pauca reſpiciens, de (u) facili redargutionem ſuam pronunciauit,adhibendã reſponſionẽ nõ exiſtimauit. Hanc autem tibi poſtulanti negare non potui Cl. Vir. Vale, & me ama. Dabam Patauij e meo Scalumnæ Muſæo v. Idus Martij M DC XLVI.

u t.de gen. t.7.

De duplici ſanguinis euripo a corde ad partes, & a partibus ad cor: Deque numero ventriculorum cordis. Cap. XXIV.

Viro vndiquaque doctiſſimo D. D. Fortunio Liceto Thomas Bartholinus Danus Caſp fil. S.P.D.

PReteriti morbi vim ſingulari Numinis prouidentia & propriæ artis cura iam feliciter ſuperatam, nimium quantum gaudeo. Enimvero ex ægritudine veſtra non parum dolui, vt ſimilem doloris ſenſum iure amicitiæ videretur mihi impreſſiſſe, quod vtrumque pari vehementia vexabat. Sed facilem eius affectionis ſolutionem ſponte mea augurabar, cui nota antea Liceti & virtus, & ex ea apud ipſos Deos veneratio. Dictante Genio ſciebam pro tua ſalute vota concepiſſe Saluti quotquot literato Orbi fauebant. Nec minus Muſarum interfui & Apollinis, quorum a Te vigor dependet, vt in Orbis ſui duraturum decus digniſſimum magnæ animæ domicilium diutius circumferres, quam nobis, qui ſolita libertate quid ad publicum fori noſtri bonum conferas non ad oſtentationem deprædicamus. Quippe paruum hactenus tibi viſum mortalia ſcrutari & labentia ſeculorum veſtigia iuſtam diligentiam perſequi; paruum &, vt credo, ad tantæ gloriæ culmen minus fuit terrarum ſedibus contineri, nobiliſſimi incolæ varia animi corporisque monſtra ad examen & luſtrum vocaſſe. En ſublimiori genio terras prætervectus æternos cælorum gyros ſcrutaris & labentem per diuerſa diuerſorum eiuſdem corporum curſum ea fidelitate explicaſti, vt altioris Naturæ Interpres iure meritiſſimo de cælo lapſus poſt Catonem quartus exiſtimeris. Aeternum hunc nobis augurarer, ſi per Deorum iniuriam liceret, & niſi valde fallor ad Diui Iulij exemplum, duraturum Orbi noſtro ſidus pari ſplendore ingredieris, cui iam obſcurior terra faſces ſubmittit. Stat terra, & mens noſtra ad exemplum trahitur facili deſidia. Tu mentem altiorem poli motu metiris, & famam ad Eoas occiduosque cum Phœbo meritis tuis deuoto transfers. Infinitus fertur ſuperorum gyrus, quia circularis, & ad perfectum compoſitus. Tua virtus & fama mortalitatem vicit, nec prius quam homines definet, aut clarorum meritorum veneratio. Hoc fato in circulum delapſa ingenij tui vbertas videtur & promptitudo ab Annulorum veterum ductu forſan excitata, quos doctiſſimo Commentario nuperrime a ſitu vindicaſti & ærugine. Imagines ſunt hæ æternitatis, in qua ſubſiſtis: & dum circulo caperis, Vniuerſum reciproca viciſſitudine amplitudinis Tuæ cepiſti, vt non tam mirer quam exultem in hos Circularis ſanguinis motus deuolutum, qui doctrinæ vaſtitate omnia complectitur. Duplicem ſanguinis circuitũ reciprocum in duplici venarum genere a te deſcribi ſumma intellexi admiratione, forſan ad Vniuerſi ductum, quod duplici reuolutione in contrarium ducunt Mathematici, ſubinde & Tertium longo ſeculorum decurſu adijcientes, quem nec in nobis deſiderares. Dubium tamen

men

Digitized by Google

men animum verſat in eodem loco & tempore motus contrarius, qui mihi ex data opinione exſurgere videtur. Locus ſeu medium commune eſt vel Vena, vel Arteria: Eodem autem temporis ſpiramento a partibus redit, quod ab earum ſupererat nutritione, labiturque nouus ſanguis vt continuo alat: quem motum & refugit Natura ordinis ſeruantiſſima, & impediunt valuulæ ad vnius tantum tranſitum, velut oſtioli portitores, conſtitutæ. Certe appareret & ad ſenſum ligato brachio, nec cordi viciniores venæ inanitæ detumeſcerent, nec remotiores arteriæ intercepta vinculo via. Sed mihi nunquam præſumo dubia facere, quæ Ingenij Tui felicitas firmauit, aut impugnare, quæ Licetus ad aciem inſtruxit. Non enim dubitare licet quin hæc, aliaque, quæ nouæ coniecturæ opponi poſſunt ab ingenioſis, ingenioſius ab Auctore Operis ſoluantur. Interim dum legendi ſpem lacto, liceat coram Te ineptire vt erudiar, & ſapientiæ Tuæ fonte genij mei tenuitatem temperem. Commodum autem, nec Reipubl. literariæ repugnans accideret, ſi ex circulo, quem verſas, ad centrum momento temporis deſilires, ab hoc dependere fertur ille, ſicut vtrumque a Liceto. Centrum communi ore cor iactatur, a quo lineæ profluunt, & ad quod reducti gyri reflectuntur. De eo talia paſſim diuulgantur, vt nec Rationi fere, nec oculis plane fidamus, adeo diuerſa docent Ratio, & Auctores; adeo dubia oculorum ſenſus. Ariſtotelis ſummi Naturæ Interpretis nota de Ventriculorum Cordis numero ſententia, notum & vulgare de ea Doctorum noſtrorum iudicium, nempe erraſſe bonum virum, &, vt in paucis alijs, deceptum. Et ſane quis aliud prima fronte ſuſpicaretur? Conſtans eius doctrina de Hiſt. anim. lib. 1. c. 17. Sinum triplicem eſſe omni animantium generi, & ex ſingulis ſua vaſa profluere. Verum enimvero ſui immemor duorum vaſorum ex finibus vulgatis exortorum vbique meminit, tertij nuſquam: neque verbulum de Tertij illius vſu notauit alioquin diligentiſſimus. Obſeruationem ſuam communem homini vult, vt ex laudato Capite eſt euidens. At quis tertium vnquam, etiam maxime Lynceus, in humano corde vidit? vnde poſitionem illam Ariſtotelis non immerito Galenus multiplici ratione conuellit, inquiens lib. 6. de vſu part. c. 9. *Sed iam tempeſtiuum eſt numerum vaſorum, quæ in ipſo* corde *ſunt, percenſere: tum orificij cuiuſque ipſorum formam explicare: poſtremo autem & de ventriculorum ipſius numero nonnihil attingere, quæque hæc comitantur, omnia percurrere. Numerus itaque cordis ventriculorum (inde enim auſpicari par eſt) in omnibus animalibus haudquaquam eſt idem: ſed, quæ aerem inſpirant per pharynga, per nares, & os, protinus quidem his quoque eſt pulmo, & cordis dexter ventriculus: reliquis vero omnibus, neque pulmo eſt, neque ad dextram cordis partem ulla latitudo: duo enim hæc neceſſario vnacum pulmone intereunt, animalis vox, & cordis dexter ventriculus. Ex quo intelligi poteſt, quantam ipſorum vtrumque vtilitatem afferat: nam dexter ventriculus gratia pulmonis eſt factus, pulmo vero ipſe reſpirationis ſimul, & vocis eſt inſtrumentum. Non igitur recte Ariſtoteles numerum ventriculorum definiuit, ad magnitudinem corporis, & paruitatem, multitudinem ipſorum referens. Neque enim maximis quibuſque animalibus ſunt tres, neque minimis eſt vnicus: eandem enim plane equus habet cordis fabricationem, qui maximus eſt, & minimus paſſerculus: & ſi murem*

aſ-

diſſecueris, aut bouem, aut aliorum animalium quoduis, ſiue præterea id minus mure, ſiue maius boue fuerit, omnibus ipſis, tum ventriculorum numerum comperies æquabilem, tum reliquam cordis fabricam eandem. Neque enim Natura pro corporis magnitudine, aut paruitate diuerſas facit, atque immutat inſtrumentorum formas, ſed in ipſa conſtructione propoſitam habet ſibi ceu ſcopum, actionis varietatem: ipſas porro rurſus actiones prima vtilitate dimetitur: ſitque eo modo admirabilis quædam ſeries, ac continuatio actionum, atque vtilitatum inter ſe excipientium, vt ſuperiore omni oratione comprobauimus, atque in nunc quoque propoſita nihilominus eos docebimus, qui non negligentiſſime ipſam expenderint, cuius ſumma hæc eſt. Vtilitas vocis piſcibus certe nulla eſt, vt qui in aqua degant: ſed ne reſpirare quidem ipſis licet per pharynga, quomodo ne nobis quidem ipſis, quando in eum merſi fuerimus. Non igitur, quemadmodum volucribus, ac greſſilibus animalibus, ita etiam illis e re fuit maximum vnum reſpirationis, ac vocis, ortum eſſe meatum; ſed earum, quas branchias nuncupamus, conſtructio ipſis vice pulmonis eſt; cum enim crebris ac tenuibus foraminibus ſint branchiæ hæ intercepta, aeri quidem & vapori peruijs, ſubtilioribus tamen, quam pro mole aquæ, hanc quidem extra repellunt, illa autem prompte intromittunt. Huc adde, quod natura etiam frigidiores ſunt piſces, quam vt ipſorum cor magna indigeat refrigeratione. Indicant autem eorum temperamentum cum alia multa, tum maxime ſanguinis penuria: aut enim carent omnino, aut paucum plane habent ſanguinem. Quocirca, quæ aquatilium multo ſanguine ſunt prædita, ac calida, vt delphinus, vitulus, balæna, hæc omnia ex aere reſpirant, admirabili quodam reſpirationis modo, quem nobis olim licebit breuiter percurrere, cum aliorum animalium conſtructionem, vt nunc hominis, explanabimus; ad quem erit tempeſtiuum reuerti, vbi de illis id tantum dixerimus, quantum ſatis eſſe videtur ad demonſtrandam pulmonis ſimul & dextri cordis ventriculi vtilitatem. & mox. Cap. 11. *Quæ animalia pulmonem non habent, eadem neque in corde duos habent ventriculos, ſed illis ſolus is ineſt, qui motus arterijs omnibus dux eſt: nam venæ ab hepate ducunt initium* &c. Quod enim in Corde Veneri iſtius Velaturam facientis obſeruauit non ita pridem, & lib. 6. Nobil. Exerc. 1. c. 5. ſcripto ſignauit Cl. V. Aemylius Pariſanus, communem Naturæ Ordinariæ ſortem tranſgreditur. Et quamquam ſententiam ſuam videatur Philoſophus reſtrinxiſſe ad animalia ſolum maiora lib. 3. de part. cap. 4. tamen neque hic experientiæ conſonat. Obſeruauit quidem in bouini cordis ſepto intermedio ſuperna parte ſecundum eius longitudinem ſinum tertium experientiſſimus noſter Iohannes Vitelæus, vt ex data ad me Epiſtola Priore innotuit, ſed neque cum Ariſtotelis illo conuenit, neque id ſæpius ab vllo obſeruatum: Ludit namque Natura, & ſubinde grata varietate indiuiduorum ſortem diſtinguit, ex qua in perpetuam veritatem nemo eam aſſerere audeat. De triplici, ni fallor, Cordis ſinu in ſquamoſa piſcium ſpecie fidem fecit Gulielmus Rondeletius lib. 3. de Piſcib. cap. 14. quæ tamen de ſubſtantiæ varietate verius quam ſinuum numero interpretari poſſumus. Niſi aliud ſuadeat Tua auctoritas, qua Philoſophum vel aſſeres, vel deſtrues, noſque doceas quæ vix alius ſæculi Doctor perſuadebit. Vale Maior Helicone anima, publicoque bono ſerior cæli incola mortalitatem tranſgredere. Scripſi Patauij 4. Iulij. æræ Chriſtianæ MDCXLIII.

Re-

Reſp. Liceti ad Quæſitum de duplici ſanguinis euripo. Cap. XXV.

Cl. Viro Thomæ Bartholino Dano Caſp. fil. Fortunius Licetus B. A.

A Summa benignitate tua, quam oſculor, & valetudinis meæ ſenſus, & exiſtimationis meæ cultus eximius ille prodijt, quem in epiſtola tua legi. Gratias tibi ſummas habeo de mira voluntatis tuæ erga meam incolumitatem propenſione, quam ſcias me pari affectu recolere. Indicium vero tuum de mentis meæ qualicumque facultate non poſſum non magnifacere, lætusque ſuſcipere; quippe tui ſummum candorem agnoſco, mirificamque doctrinam; etſi talis eſſe vellem, qui tuis arduis difficultatibus æquam ſolutionem adhibere poſſem cum integritate diſciplinæ Peripateticæ: Dicam tamen, vt iuſſioni tuæ paream, quid mihi nunc in mentem venerit de propoſitis. Ac ſane pauca de priore quæſito, duplicem ſanguinis euripum per eaſdem vias eodem temporis libramento, laceſſente; quoniam hac de re latius videre poteris, quæ Cl. Veſlingio noſtro, conſimilia roganti, perſcripſi; nam huiuſcemodi ſpartam de circulo ſanguinis Harueiano fuſius apud eum ornare tentaui. Sane cenſeo iugiter tum a dextro ſinu cordis per venam cauam & eius ramos influere ſanguinem ad omnes corporis particulas alendas, quoad earum ſubſtantiam craſſiorem; & quod earum nutricatui ſupereſt exiguum redire per eadem vaſa verſus cor, inde copiam ſpirituum & caloris vberiorem recepturum, neceſſariam ſemini prolifico, in quod verti debet, vbi teſtes hoc vltimi nutrimenti mutati excrementum vtile de trunco venæ magnæ, & per hunc a corde, ad ſe attraxerint: tum ſimiliter a ſiniſtro nuncupato ſinu (quem Ariſtoteles medium vocat, vt mox apparebit) per arterias proficiſci ſanguinem ad alendam ſpirituoſam ſubſtantiam implantati calidi, & humidi radicalis particularum omnium; & quod earum nutricatui ſuperabundat, excrementum vtile rurſum per eaſdem arterias recurrere ad eundem ſinum cordis, a quo ſpirituum & caloris influentis eam vbertatem acquirere debet, quæ neceſſaria eſt materiæ ſeminis prolifici, quam teſtes attrahunt per vaſa ſpermatica de trunco aortæ, ac eo mediante de ſinu cordis, vnde talis arteria naſcitur. Qui quidem vterque motus neque vere contrarius eſt, neque fit eodem temporis libramento, neque in eodem proprie loco, neque Naturæ turbat ordinem vllum. Non quidem contrarius eſt, quia non eſt eiuſdem omnino mobilis; etenim a corde mouetur ſanguis multus a partibus nondum mutatus; recurrit autem ad cor non idem abſolute ſanguis, verum eius iam actione partium mutati ſuperabundans excrementum vtile, futurum ſemen: Quare ſicuti non eſt vere contrarius motus chyli a ventriculo & inteſtinis ad hepar, in quo mutatur in ſanguinem, motui portiunculæ ſanguinis huius per eaſdem venas meſeraicas

(vt

(vt multi volunt) ad alendum ventriculum & inteſtinorum genus; quia
a cap. de oppoſ. contraria nata ſunt fieri circa idem ſuſceptibile, vt ait Ariſtoteles; *(a)* ita
vere contrarius non eſt motus ſanguinis nondum mutati a corde ad partes
per venas & arterias, motui excrementi vtilis mutati ſanguinis a partibus
ad cor per eadem vaſa. Sed vterque motus iſte vere non fit eodem ſpira-
mento temporis; nam prius a corde ſanguis totus influit per venas & arte-
rias ad membra ſingula, deinde ſanguinis huius mutati portio recurrit a
membris per eadem vaſa ad cor: Abſurdum quidem eſſet, nedum impoſſi-
bile, ſanguinis eandem particulam ſimul moueri motibus contrarijs; at ve-
ro ſicuti non eſt inconueniens eodem ſpiramento temporis per eundem ae-
rem medium ſimul de terra leues exhalationes aſcendere, atque terrenas
aduſtiones ad terram deſcendere; ignem de terra ſurſum ſcandere, pluuias ex
alto deorſum agi: ſic abſurdum non eſt, ſanguinem non mutatum, a corde
ad partes moueri, & antea mutati excrementum a partibus ad cor ferri per
eaſdem vias. Præterea neque motus iſte reciprocus proprie fit in eodem lo-
co; quia quum locus æqualis omnino ſit locato corpori, locus idem duo
corpora non patitur: ſed in communi loco plures eſſe poſſunt partes, per
quarum vnam vnum mobile feratur, per aliam aliud ad oppoſitos terminos:
vt enim vena meſeraica locus eſt communis tum chylo ab inteſtinis ad he-
par, tum ſanguini ab hepate ad inteſtina (de multorum ſententia, quam ſuo
loco poſtea conſiderabimus) iugiterque motus vterque vtriuſque mobilis
in eadem vena fit: ita ſane nullo negotio eadem vena caua, eademque arte-
ria communis locus eſt, per quem aſſidue fluit a corde ſanguis ad partes alen-
das, & ſimul excrementum mutati ſanguinis a partibus ad cor recurrit. Ne-
que demum huiuſmodi motus reciprocus ordinem vllum Naturæ turbat,
quia Naturæ ordinem non turbat viris doctis conſimilis motus reciprocus
chyli & ſanguinis in venis meſeraicis: & reuera ſi non perturbat ordinem
b 2. de gen. t. 59. 68. 69 70. & 1. meteo. ſu. 3. c. 1. Naturæ motus circularis aſſiduus in magno mundo notatus ab *(b)* Ariſtote-
le vaporum de centro, ſiue de terra ſurſum aſcendentium in ſublimi, vbi fri-
giditate aeris mutantur in aquam, quæ deorſum iterum per eandem viam
deſcendit ad terram vniuerſi centrum: neque turbabit ordinem naturæ iu-
gis iſte motus reciprocus in microcoſmo ſanguinis de corde, veluti de cen-
tro fluentis ad partes omnes per vtrumque vaſorum genus ad eas alendas, &
ibi mutatus in materiam futuri ſeminis prolifici per eadem vaſa recurrens
ad cor, veluti ad microcoſmi centrum. Nec iſtiuſmodi circulationem im-
pediunt valuulæ tanquam oſtioli portitores in venis conſtitutæ, tum quia
non in omnibus venis valuulæ ſunt, vbi fit ſanguinis iſta reciprocatio, ſed in
artubus, & in corde tantum: tum quia vbi ſunt, non ita clauduntur exacte,
c 6. de vſu par. c. 10. 11. quin per aliquas rimas fluxui ſanguinis aditum præbeant, vt adnotat *(c)* Ga-
lenus, & obſeruare licet in analogis valuis fluuij Medoaci, quæ tantum im-
pediunt aquarum velociorem motum, & nimium fluxum, retardantes, non
d de cord. prohibentes; nam *(d)* Hippocrati venæ de corde promanantes fluminibus
de fonte ſcaturientibus comparantur: tum quia pro partium exigentia val-
uulæ naturali motu modo clauduntur, modo recluduntur, vt pylorus in fun-
do ſtomachi modo clauditur ante chylificationem, modo recluditur ea

per-

Digitized by Google

peracta fæcum & chyli exitui ad inteſtina. Denique vero, ligato brachio, cordi viciniores venæ non ſemper inanitæ detumeſcunt, vt ſæpius obſeruaui vel in meipſo; ſi quando vero tale quid contingit, nil mirum eſt, quia cordis ventriculus dexter de proximis venis ſanguinem haurit, quem per coronariam refundat in ſiniſtrum appellatum. Arteriæ vero remotiores a corde, intercepta vinculo via detumeſcere conſpiciuntur inanitæ; quod ſanguinem tribuant nutritioni ſpiritus implantati ſolidarum partium, nec ſubinde nouum hauriunt, quo repleantur; nam qui recurrit a partibus ad ſeminis prolifici materiam in arterias, tantulus eſt, quo non poſſunt illæ repleri, tumereque vt antea. Verum hac de quæſtione conſulas velim, quæ latius apud Cl. Veſlingium noſtrum diſſerui. Nunc ad aliam tuam de numero ventriculorum cordis inter Ariſtotelem & Galenum potiſſime controuerſo deueniamus. Qua quidem in contemplatione primum afferenda ſunt, & diligenter expendenda loca ſingula, in quibus Ariſtoteles agit de propoſito, vt eius mente plene perſpecta, de illius genuina ſententia rectum iudicium ferre valeamus, eamque vel abijcere, ſi veritati conſentire non videatur, vel accipere, atque ſartam tectam tueri, ſi veritatem in ſe contineat.

De triplici ventriculo cordis, Ariſtotelis opinio explicata, & ab oppoſitionibus vindicata. Cap. XXVI.

PErdifficilem & arduam ſane quæſtionem aggredimur, de numero ventriculorum cordis in animalium quoque genere; quam paſſim tractant, ſed breuiter expediunt Medici, quippe qui cenſent in ea nihil difficultatis haberi, cuncta ſenſu metientes, vel ea quæ ſenſus aciem ſubterfugiunt, autopſia ſenſuque dijudicare, determinareque volentes, non ita fortaſſe ſano conſilio: Et profecto nihil eſt, in quo magis cum Galeno Medici putent de Ariſtotele triumphare, quam dum de corde ſermo fit, atque ſpeciatim de cordis ventriculis, quos Ariſtoteles aſſerit eſſe tres; at in minutiſſimis animalibus vix vnum conſpici; ſed in non ita puſillis geminos apparere, in maioribus aperte cerni tres amplitudine, ſituque diſtinctos: Galenus in magnis æque ac in paruis animalibus duos cor habere ſemper ventriculos fatetur, ac tantum non irridet Ariſtotelem. Ceterum ſi Philoſophi dicta diligentius conſiderentur, facile veritati conſona videbuntur, & a Galeno non
recte culpata Litem iſtam componere nititur (a) Auicennas, inquiens Ariſto- a l. 3. f. 2.
telem pro ventriculo tertio, qui medius inter dextrum & ſiniſtrum habea- tr. 1. c. 1.
tur, accepiſſe cauitates a Galeno quoque notatas in ſepto dirimente ſinum
dextrum a ſiniſtro; quod non accipimus tum quia cauitates illæ multæ ſint,
non vna: tum quia cauitates illæ multo ſint anguſtiores quam ſiniſter ven- b 1. hiſt.
triculus, quo medium Ariſtoteles vult eſſe ſatis (b) ampliorem: tum quia c. 17.
de ventriculo medio vult (c) Ariſtoteles aortam oriri, quæ nullo pacto de ſe- c 3. hiſt. c. 3
pto naſcitur. Præceptori (d) Cl. Coſtæo placuit, Ariſtotelicum ventricu- d annot. in
lum in corde medium eſſe partem ventriculi dextri ad læuum inclinantem. Auic. loc.
Sed iſta pars nec eſt, vnde naſcitur aorta; nec medium ſitum habet inter cit.

dextrum & ſiniſtrum ventriculum; at ſiniſtrum appellatum medium cingit, vt & dexter. Non defuere, quibus in ſepto quandoque ſpectatus fuerit ſinus amplus æquans indicis digiti magnitudinem. Verum hoc raro ſpectatur; Ariſtoteles autem in omni corde tres ponit ventriculos. Age dicta Philoſophi diligenter conſideremus. Ait ergo primum, (e) *Cor ſinum triplicem continet*. & mox. *Habet ſinum triplicem; maximum dextro in latere, minimum in ſiniſtro, medium magnitudine inter ſiniſtrum, & dextrum. Omnes ad pulmonem foraminibus peruij redduntur: quæ res in vno tantum perſpicua eſt. Inferius vero a nexu ſuo, maximo ſinu vena coniungitur maiori, ad quam lactes etiam ſunt. Sinu autem medio aortæ annexum eſt*. & inferius accuratè magis, (f) *Habent intra ſe corda omnia ſinum triplicem, ſed magnitudine varia; minutiſſimorum enim animalium ſinus arctiores ſunt, ita vt vnus, qui amplior eſt, vix conſpici poſſit: reliqui ſenſum effugiant. Mediocrium animalium ſecundus etiam conſpicuus eſt: maximorum perſpici omnes poſſunt. Et, quum priorem in partem cor ſuo mucrone ſpectet, vt dictum eſt, ſinus, qui ampliſſimus eſt, dextrum ſupremumque recipit ſitum, minimus ſiniſtrum, mediocris medium. Qui autem maximus inter eos eſt, hic longe reliquis ambobus amplior eſt. Omnes tamen ad pulmonem foramine ſpectant perpetuo, ſed propter exiguitatem meatuum latent, præterquam in vno. Oritur ex eo ampliſſimo ſupremoque ſinu vena maior, ſedemque dextram tenet: mox per medium ſinum formam recipit vena, vt pote quum ipſe ventriculus cordis venæ particula ſit, in qua ſanguis reſtagnet. Aorta de ſinu medio exit, non eodem modo, ſed per fiſtulam multo arctiorem init ſocietatem, & tendit a latere cordis; quum vena maior ſua radice cor tranſigat, quum ſe promit*. Ex quibus apparet, Ariſtoteli ventriculum cordis medium appellari eum, a quo naſcitur aorta, & arteria venoſa, quæ arteria eſt, venæ formam habens: adeoque ſiniſtrum ventriculum Philoſopho dici particulam illam, ſeu breuem appendicem, quæ vergens ad ſiniſtram partem cordis, iungitur cum dextro ſinu, & cum eo veluti falcatam Lunam efficit, intra cuius cornua medius ventriculus habeatur, qui dicitur a Galeno ſiniſter. Quam ſententiam fuiſſe Ariſtotelis genuinam, nemo ante me poſuit, quantum ego viderim, præter vnum Galenum; cuius, poſtquam iſta ſcripſeram, huiuſmodi verba legere contigit in libro de Venarum arteriarumque diſſectione: (*) *Ac ſane ob id cordis ipſius corpus circumfuſas in ambitum duas habet arterias: alteram quidem maiorem, quæ maximam ipſius partem amplectitur: alteram ea maxime regione diſtributam, vbi tertium ventriculum exiſtimauit Ariſtoteles. Atqui hic in latiore cordis parte iacet, particula exiſtens dexterioris ventriculi, non etiam alius quiſpiam tertius ventriculus*. Adiungit alibi Philoſophus agens de conſpicuis ventriculis cordis, (g) *Ventriculum triplicem cor magnorum animalium habet, duplicem minorum, vnum ad poſtremum: nullumque eſt, quod ſine vllo ventriculo conſtet: & quam ob cauſam, dictum eſt; locum enim, & conceptaculum quoddam ſanguinis primi in corde haberi conuenit. Sanguinem autem primo effici in corde, ſæpe iam diximus. Sed, quum duæ venæ ſint principales, altera maior, altera minor, aortaque appellata; quæ ſparſa ramorum ſerie ceteras minores venas producant, atque inter ſe differant, vt poſthac exponemus, melius ſane eſt initia quoque earum eſſe diſtincta: quod fieri poteſt, ſi ſanguis diuerſus, diſtinctusque ſit. Quamobrem vbi fieri poteſt, ſanguinis* con-

e 1. hiſt. c.17.

f 3. hiſt. c.3

* cap. 9.

g 3. de par. c.4.

Digitized by Google

conceptacula duo habentur; fieri autem id poteſt in magnis: ſunt enim corda eorum ampliora: ſed melius tres eſſe ventriculos, vt vnus commune principium ſit: medium autem, & impar principium eſt. itaque magnitudo amplior ſubinde deſideratur. Vtile ſit, vt quæ maxima ſint, triplicem ventriculum habeant: dexter plurimum ſanguinis, & calidiſſimum continet; quamobrem pars corporis dextra calidior: ſiniſter parum, idque frigidiſſimum: medius mediocrem, tum copia, tum calore, ſed puriorem: principium enim quammaxime quieſcere debet: tale autem erit, ſi ſanguis purus, & mediocris, tum copia, tum calore ſit. Quæ ſic interpretabere, vt velit Ariſtoteles in magnis animalibus cor habere tres ventriculos ſenſui conſpicuos: in minoribus duos tantum, dextrum ſcilicet, atque medium, ſiniſtro propter exilitatem inadſpectabili; ſed in minutiſſimis vnicum, dextrum videlicet, alijs duobus ob exiguitatem ſenſui penitus occultis. Nullumque reperiri cor animalis abſque ſinu prorſus, quod eſſe debeat conceptaculum ſanguinis primi, tum quo ſanguineæ partes omnes primo conſtituuntur, tum quo conſtitutæ primo nutriuntur. Sed reuera licet inconſpicui, plures tamen vno debent in corde ventriculi ſimpliciter eſſe; quoniam a corde duæ principales venæ ſanguinem deducant in ſuos ramos pluríficatæ ad vniuerſas corporis partes alendas; quarum vna caua nuncupata de ventriculo dextro ſanguinem craſſiorem ſumit, affertque nutriendis omnibus membris ſolidis; altera minor, aorta nuncupata, de medio ventriculo ſanguinem puriorem perferat ad enutriendam ſpirituoſam ſubſtantiam implantati calidi, & humidi radicalis partium ſingularum, diuerſi vero ſanguinis, quales ſunt aortæ, ac venæ cauæ, diſtincta conceptacula debent eſſe, proindeque diſtincti ventriculi cordis: qui ſolum in magnis animalibus conſpicui ſunt ob cordis amplitudinem. Sed tamen melius eſt aſſerere, præter duos maiores, dextrum ſcilicet, atque medium ventriculum, qui ſunt principia venarum principalium, cauæ nimirum, & aortæ, dari tertium, quem ſiniſtrum appellamus, etſi tertius iſte ſiniſter omnium minimus in magnis tantum animalibus conſpicuus habeatur, & a dextro diſcretus non ſit omnino dirimente ſepto, ſed fere ſolo ſitu ad læuam partem cordis inclinatus; quo nomine viſui dicitur vnum eſſe commune principium venæ cauæ, venæque arterioſæ cum dextro; quare vena magna dicitur habere vnum commune principium ex dextro maximo, ſiniſtroque minimo ſinu velut in vnam cauitatem coeuntibus, vnde ſanguinem haurit pro toto corpore vena caua; quum aorta principium impar habeat, medium ventriculum; qui vulgo Medicis dicitur ſiniſter. Dexter autem ventriculus omnium ampliſſimus pro capacitate ſua plurimum ſanguinis continet, & ideo calidiſſimum; etenim caliditas eſt corporea qualitas, quæ in maiori ſubiecto maior eſt; quo namque nomine pueri calidiores eſſe iuuenibus dicuntur, quia in maiori copia radicalis humidi maiorem vbertatem caloris obtinent; etſi iuuenes æſtuoſiori calore polleant; eadem plane ratione ventriculus dexter cordis omnium ampliſſimus in vbertate maiori ſanguinis plus obtinet caloris, quam alij ſinus, qui prout anguſtiores exiſtunt, ideo pauciori ſanguine repleti minorem calorem habere dicuntur. Quare ſiniſter ventriculus, qui Ariſtoteli eſt appendicula dextri ad læuam partem cordis extenſa, ſanguinem ad-

modum paucum in ſe continet, exiguumque propterea calorem; vnde comparatione ad alios ventriculos maiores frigidiſſimum ſanguinem continere ſtatuitur. Medius autem inter hos ventriculus, ex quo naſcitur aorta, mediocrem ſanguinis copiam habens in ſe, mediocriter calidus eadem ratione dicitur; continet autem ſanguinem puriorem, vt puta vlteriori coctione magis elaboratum; & quum amplius non recipiat nouam concoctionem; ideo ſanguis in medio ventriculo coctus quieſcere conſtituitur apte ab alteratione noua in corde ſuſcipienda, quum ſatis purus ſit, & aptus alendæ ſubſtantiæ ſpirituoſæ particularum omnium. Neque vero, quod maximus ventriculus in corde ſemicirculari figura Lunæ creſcentis appendiculam ſui ad læuam cordis partem inclinatam habeat nullo a ſummo ad imum ſepto ſolido diſtinctam, ſed fere ſolo ſitu, ideo cenſendus eſt vnicus cum Galeno, & Medicis contra Philoſophum; tum quia duo maria ſolo ſitu diſcreta, nullo medio ſepto diſtincta recte dicimus oceanum, & mediterraneum; ac in mediterraneo pelagus orientale, atque occidentale: tum quia ſi Medicis licet in cerebro tres, aut quatuor ventriculos agnoſcere, quia ſinus varij quapiam in parte nullo ſepto corporeo dirimuntur, ſed ſolum ſitus & loci diuerſitate; quid aliquid ſimile non liceat Ariſtoteli cognoſcere in corde? id quidem facile patebit ſi cor per tranſuerſum diſſecueris, in quo conſpicies ventriculum, a quo naſcitur aorta, medium ſitum retinere inter cornua ſemilunaris ampliſſimi, cuius portiuncula ſiniſtrum cordis latus occupare videtur, quum eiuſdem ſinus amplitudo maxima dextram cordis regionem teneat. Et re-

h l. 4. c. 4. uera Valuerdij (*h*) notatu, quamuis in cerebro ventriculus dexter a ſiniſtro quapiam in parte diſpeſcatur intermedio ſepto corporeo, tamen in eodem viſcere medius ventriculus tertius ponitur, qui nullo ſepto corporeo, ſed ſolo ſitu, locove diſtinguitur a dextro, & a ſiniſtro, qui coeunt in vnico illo medio, nec ipſi eo loci diſcreti vllo ſepto corporeo; ſiquidem tertius iſte mediusque cerebri ventriculus eſt communis dextri ſiniſtrique cauitas coniungens continuansque dextrum cum ſiniſtro procul ab omni diſcrimine ſepti; nam ait citatis verbis, *Humilior enim priorum ventriculorum pars, quæ tota ſeſe longitudine continua eſt, in medio, vbi ſeptum hoc deficit, cauitatem conſtituit, ambobus ventriculis communem: cauitatem hanc tertium ventriculum dicimus.* At vero quid Valuerdium memoro? Galenus ipſemet duos priores ventriculos cerebri tandem in vnum alium terminari ſcribit, ſolo ſitu, locique poſitione diremptum ab eis, non vllo penitus interpoſito ſepto: ſcribit enim,

i 8. de vſ. par. c. 11. (*i*) *In vnum prius locum vtroſque ventriculos terminauit: quem ſane quartum totius cerebri ventriculum nonnulli Anatomici numerant. Sunt & qui hoc ipſum perforationem vocant duorum ventriculorum, nec concedunt alium quendam ventriculum oportere exiſtimare. Ego autem ſiue communem amborum, ſiue tertium quendam præter illos alium ventriculum velit quis hunc exiſtimare, ex his arbitror propoſitam huius ſermonis enarrationem nullum neque commodum, neque detrimentum eſſe accepturam. Cauſam vero cur anteriores ventriculi in vnum coeant, velim intelligere: fuerit autem hæc quædam, meatus ventriculos ipſos cum parencephalide*

k 6. de vſ. par. c. 9. *coniungentis generatio; nam ex hac cauitate profectus is meatus, ſpiritumque, qui in eo continetur, excipiens, parencephalidi tranſmittit.* Perperam igitur (k) antea

Ga-

Galenus accuſauit Ariſt.qui maioribus animalibus(*l*) tres ventriculos dederit,minoribus tantummodo duos; etenim qui dexter vnus eſt Galeno, geminus eſt Ariſt.nempe ſiniſter dextro coniunctus ad læuā cordis partem pertingens, & inclinans; quæ quidem inclinatio perſpicua ſatis eſt in maioribus animalibus,ob cordis amplitudinem;aſt in minoribus ob viſceris exilitatem nulla fere viſui percipitur, ac pro nulla cenſetur. Et reuera cauitas ampliſſima dextram cordis regionem tendens, viſcusque veluti cingens, figura creſcentis Lunæ ſemicirculum æmulatur; cuius tamen exigua portio cuſpidem terminans alterius cornu, cordis ad partem ſiniſtram terminatur; quam a ſitu propterea nuncupat Ariſtoteles tertium omnium ventriculorum minimum, atque ſiniſtrum; vt a ſitu pariter medium vocat, vnde naſcitur aorta, ventriculum, quem Galenus dicit eſſe ſiniſtrum;quia voluit in corde ventriculos diſtingui ſepto; quod tamen non duxit eſſe neceſſarium diſcretioni ventriculorum in cerebro; ſed vt Ariſtoteli de more contradiceret, ſibimet ipſi contradicere non eſt veritus,nunc aperte ventriculis cordis negans,quod alibi ventriculis cerebri conceſſit in eodem numeri diſcretioniſque propoſito. Ceterum ſi diligenter inſpexeris dextri vocati ventriculi baſim, aperte comperies ab imo cordis paululum extolli breue quoddam ſeptum vſque ad quandam altitudinem, quo diſpeſcitur ampliſſima cauitas illa in dextrum & ſiniſtrum ventriculum: etſi ſeptum id non extollatur ad ſummum cordis apicem ab ima baſi ſurgens; nam ad breuem altitudinem extollitur. Sed iam videamus argumenta, quibus Tu V. Cl. cum Galeno Ariſtotelis placitum vrges de triplici cordis ventriculo.Concedimus quidem Tibi,conſtantem eſſe doctrinam Ariſtotelis de triplici ſinu cordis in omni animantium genere, non ſolum in loco abſte citato, (*m*)ſed etiam luculentius alibi, (*n*) vt viſum eſt: ſed negamus primo, dixiſſe Magiſtrum, ex ſingulis ventriculis ſua vaſa profluere;nam ex medio deducit(*o*)aortam,ex dextro vero atq; ſiniſtro, tanquam ex communi principio (quippe nullo ſepto integre penitus dirimuntur) venam maiorem, quæ caua dicitur. Dum vero ſcribit, (*p*) omnes ventriculos ad pulmonem ſpectare foramine perpetuo, ſignificat arteriam venoſam,quæ de medio ſinu fertur in pulmones; & venam arterioſam, quæ de ſiniſtro pariter atque dextro, tanquam de communi principio,fertur itidem in pulmonum ſubſtantiam: ait autem omnes hoſce meatus ob exiguitatem latere, quia ramuli vaſorum huiuſmodi tenuiſſimi deliteſcunt in ſubſtantia pulmonis; at ſolum ſenſui conſpicuus eſt eorum caudex vnus, a quo multiplices illi deriuantur. Niſi etiam dicamus ea verba potius eſſe ſumenda de ſinibus cordis, dum inquit, (*q*) *Et quum priorem in partem cor ſuo mucrone ſpectet, vt dictum eſt, ſinus, qui ampliſſimus eſt, dextrum ſupremumque recipit ſitum, minimus ſiniſtrum, mediocris medium. Qui autem maximus inter eos eſt, hic longe reliquis ambobus amplior eſt. omnes tamen ad pulmonem foramine ſpectant perpetuo* (nimirum medius arteria venoſa, quam ad pulmones mittit continuato ductu;& ſiniſter dextro coniunctus,ac ſolo fere ſitu diſcretus,arterioſa vena, quam itidem ad pulmonem emittit)*ſed propter exiguitatem meatuum* in exiguis animalibus hi ſinus latent,*præterquam in vno*;latent enim ſiniſter, ac medius; at vnus dexter ob amplitudinem ſenſui ſemper apparet. Similiter intelligen-

l 3.de part. c.4.
m 1. hiſt. c.17.
n 3.hiſt.c.3
o ibid. & 3. de par. c.4.
p 3.hiſt.c.3
q 3.hiſt.c.3

r 1. hiſt. genda ſunt, quæ prius dixerat, (r)*omnes* cordis ſinus *ad pulmonem foraminibus*
c. 17. *peruij redduntur* (omnes inquit, non ſingulos) *quæ res in vno tantum perſpicua*
eſt; nimirum ſemper in ſinu dextro, qui ob amplitudinem non latet vnquam
in vllo animali. *Inferius vero a nexu ſuo, maximo ſinu vena coniungitur maiori, ad*
quam lactes etiam ſunt; quia vena caua dextro, non ſiniſtro ventriculo proprie
iungitur. *Sinu autem medio aorta annexum eſt*. Neque concedimus Ariſtotelem nullibi meminiſſe vſus tertij ſeu ſinus, ſeu vaſis; nam ſatis innuit vſum
tertij ſinus, dum eum continere ſanguinem frigidiſſimum ait, quo temperetur calidiſſimus in dextro ſibi continuo contenius: vſum vero vaſis aperit aſſerens a corde per venas ſanguinem ad alias partes mitti, adeoque per tertium vas, quod eſt arteria venoſa, & arterioſa vena, ſanguinem ad alendum
pulmonem deferens. Negamus deinde Philoſophum immemorem ſui, locis alijs vbique duorum vaſorum ex ſinibus vulgatis exortorum meminiſſe,
tertij nuſquam, neque de tertij vaſis vſu verbulum notaſſe; nam vbique meminit aortæ, venæque cauę, dum agit de vaſis a corde per vniuerſum corpus
ingredientibus, tertij vero meminit hic ſolum, dum de vaſe a corde in pulmones diducto ſermonem agit; quod geminum eſt, arteria venoſa, & arterioſa vena, de quibus ſub vnius nomine peragit, quod ad vnum pulmonem
terminatur: de vena caua, & arteria aorta, ſub numero multitudinis agit
ſemper, quod ad plures, omnesve corporis partes terminantur, nedum quod
a duplici fonte cordis enaſcuntur. Concedentes etiam, Ariſtotelem obſeruationem ſuam terni ſinus in hominis corde communem eſſe velle; negamus neminem vnquam in humano corde tertium vidiſſe ſinum; etenim, qui
tertium & quartum in humano cerebro ſinum viderunt, a dextro ſiniſtroque
ſola poſitione ſitus, non vllo corporeo ſepto diſcretum, Anatomici paſſim
omnes cum Galeno, licet acie lyncea non ſint, ijdem cum Ariſtotele videre
potuerunt in humano corde tertium ſinum, qui dextri maximi parua eſt appendix ad læuam cordis partem vergens, vna ſitus poſitione, nullo integro,
ſed exiguo ſurgente potius quam intermedio ſepto corporeo diſterminata a
ſinu dextro. Nec tertium ſinum voluit Ariſtoteles, quem præter ordinarium
Naturæ curſum aliquando conſpexerunt in ſepto diligentes Anatomici, ſed
quem ſemper Natura poſuit in apice ſemicirculi prope baſim dextri maximi
ad læuam cordis partem vergente. Neque vero ſuam ſententiam de tertio
venericulo reſtrinxit Ariſtoteles abſolute ad animalia ſolum maiora, vt ponitur; ſed omnibus animalibus tres cordis ſinus aſſignauit, ſiue magna, ſiue
ſ 1. hiſt. parua ſint, vt clare conſtat ex allatis antea(ſ)locis; at ſolum tres ob magnitu-
c. 17. dinem ſenſui conſpicuos eſſe conſtituit in magnis animalibus, in paruis
3. hiſt. c. 3. duos tantum videri, tertio propter exilitatem ſenſus aciem ſubterfugiente;
3. de part. in minimis ob eandem cauſam vnicum dextrum apparere, duobus alijs ocu-
c. 4. lo penitus occultis. Neque quod ob exiguitatem latet, ideo non eſſe nemo
recte dixerit; nam & multi cæci meatus in humano corpore ſunt, quos vel
t 6. de vſ. ipſe Galenus (t) inuiſibiles eſſe fatetur. Cuius propterea rationes contra
part. c. 10. tertium ſinum cordis ab Ariſtotele propoſitum minus momenti habent,
u 6. de vſ. quam prima fronte continere videantur; etenim ad primam (u) conceden-
part. c. 9. tes, quibus animalium pulmones inſunt, ijs dextrum ineſſe cordis ventriculum:

lum: negamus ideo non omnibus animalibus eundem eſſe numerum ventriculorum cordis: etenim dexter ventriculus non eſt ob pulmones, at ob venæ cauæ deductionem ad omnes corporis partes alendas, vt ſiniſter eſt, ſiue medius Ariſtotelis ob arteriæ aortæ productionem ad ſingula membra ſpirituoſo ſanguine reficienda: ventriculi ſiquidem cordis Hippocrati (x) ſunt fontes humanæ naturæ, adeoque Ariſtoteli conceptacula (y) prima ſanguinis per vniuerſum corporis habitum deriuandi per venas & arterias, veluti per flumina, quibus totum corpus irrigatur; fontes autem ſunt gratia fluminum, non in alium finem inſtituti: quare ſinus dexter cordis eſt gratia venæ magnæ ſanguinem ex eo deducentis in vniuerſum corpus, non gratia pulmonum. Sed pulmonum gratia eſt arterioſa vena ſimul & arteria venoſa, quibus alitur pulmo, & cor in animalibus reſpirationem habentibus refrigeratur. Quare pulmone carentia carent arterioſa vena, & arteria venoſa, non autem dextro ſinu cordis; quum vena caua non careant, cuius deductio eſt ab eo ventriculo dextro. Quin & muti piſces voce, pulmoneque carentes, in corde plures habent ventriculos; vnde dexter non eſt gratia vocis, & pulmonum. Addimus, vt in quibuſdam animalibus, perfectioribus nempe, ſexus diſtinctus eſt maris & feminæ, ſed in alijs imperfectioribus ſexus indiſtinctus eſt, vterque tamen ineſt, vt & in plantis; ita cunctorum animalium corda tres habent ſinus, ſed alia diſtinctos, alia viſui non diſtinctos, quorum dexter eſt ſiniſtro coniunctus, vnde prodit vena caua; medius vnde arteria aorta; quæ vaſa ſunt in omnibus animalibus habentibus cor, & ſanguinem. Ad ſecundam concedentes, eandem cordis fabricationem habere bouem, & equum, qui maximi ſunt, & minimum paſſerculum: negamus Ariſtotelem proprie ſimpliciterque definiuiſſe numerum ventriculorum cordis ad magnitudinem corporis, & paruitatem, multitudinem ipſorum referendo; ſiquidem apertiſſime conſtituit, (z) omnium animalium corda, tam maiorum, quam minorum, tres habere ſinus; at in maioribus hoſce ventriculos omnes aſpici viſu; ſed in minoribus minimum omnium, qui ſiniſter eſt, oculis obliterari; ſolum duos inſpici poſſe maiores; in minimis autem animalibus viſui non apparere niſi dextrum vnicum omnium ampliſſimum, verba Magiſtri clara ſunt, hic repetenda, *Habent intra ſe corda omnia ſinum triplicem, ſed magnitudine varia: minutiſſimorum enim animalium ſinus arctiores ſunt, ita vt vnus, qui amplior eſt, vix conſpici poſſit; reliqui ſenſum effugiant: mediocrium animalium ſecundus etiam conſpicuus eſt: maximorum perſpici omnes poſſunt.* Quando vero ſcribit alibi, (a) *Ventriculum triplicem cor magnorum animalium habet, duplicem minorum, vnum ad poſtremum*: non de ventriculis abſolute tractat, vt Galenus opinatur, ſed de ſinibus viſui conſpicuis, qui tres in corde magnorum animalium habentur, duo ſpectantur in minoribus, vnus tantum in exilimis. Ita ſane viſus in corde bouis, & equi conſpicit appendiculam dextri ventriculi ad læuum cordis latus attinentem; exigua ſepti parte diſtinctam: quam obſeruare non poteſt in corde paſſerculi; in quo tamen ſinum medium conſpicit, e quo naſcitur aorta; ſed in minutiſſimi animalis corde non poteſt viſus agnoſcere niſi ſinum dextrum ceteris ampliorem, duobus alijs ob exiguitatem non apparentibus, in corde tamen exiſtentibus,

x de cord.
y 3. de part. an. c. 5.
z 3. hiſt. c. 3
a 3. de par. c. 4.

bus, e quo naſcitur aorta. Ad tertiam concedentes, Naturam non facere diuerſas, aut immutare inſtrumentorum formas pro corporis magnitudine, aut paruitate: ſed in ipſa conſtructione propoſitam habere ſibi ceu ſcopum, actionis varietatem: obſeruamus, quod negare non poteſt Galenus, Naturam pro corporis magnitudine, aut paruitate, facere diuerſas, & immutare inſtrumentorum moles, ac magnitudines: adeoque ſubijcimus, quod etiam Galenus (*b*) non diffitetur, meatus, atq; ſinus magnos eſſe ſenſui conſpicuos, mediocres itidem non omnino latere ſenſum; ſed exilimos eſſe cæcos, & inconſpicuos; vnde recte ſcribit Ariſtoteles, in maioribus animalibus tres eſſe conſpicuos ſinus cordis, in minoribus duos, in minimis vnicum, qui ceteris amplior eſſe ſolet. Ad quartam concedentes, vtilitatem vocis in piſcibus plurimis, quibus frigidius eſt temperamentum, eſſe nullam, vt qui degant in aqua ſemper, nec vſum reſpirationis; quæ duo ſunt in auibus, & animalibus greſſilibus: negamus piſcibus hiſce nullam eſſe dextri ventriculi cordis vtilitatem: Nam & Rondeletius diligentiſſimus obſeruator naturæ piſcium, tres in eorum corde ſinus oculata fide teſtatur, adeoque dextrum; quos quidem ſinus ad varietatem ſubſtantiæ ſolidæ referre, nimium magna petitio mihi videtur. Et quum piſces cor habentes, alantur ſanguine more ceterorum animalium ſanguineorum; vt in alijs cor per venam cauam e ſuo dextro ſinu ſubminiſtrat ſolidiori ſubſtantiæ partium vltimum alimentum, & per aortam arteriam ex alio ventriculo ſuggerit implantato ſpiritui membrorum itidem vltimum alimentum tenuius: ita ſane piſcibus ineſſe debet dexter ventriculus, e quo vena caua craſſiorem ſanguinem deferat ad alendas partes ſolidiores. Galeno vero venam cauam ex hepate, non ex corde naſci, negat omnis Peripateticus. Qua de re nos latius in propria quæſtione tractauimus, quam in hoc opere videre poteris. Hæc ſunt, Vir Cl. quæ tibi reſcriberem in præſentia reſpondens ad tua Quæſita. Vale, & me ama. Dabam Patauij XIII. Iulij MDCXLIII.

b 6. de vſ. par. c. 10.

De Sapientia, num ſit habitus humanæ mentis, an Diuinæ ſolius: & vtrum hominis natura ſit ſerua, an libera. Cap. XXVII.

Cl. Viro ex L. Com. Fortunio Liceto Pompeius Caimus S.P.D.

VEnetijs ferias æſtiuas agens in otio literario, dum Politiarum comparationem adorno, mi Licete, de libera & ſeruili mortalium conditione tractans, in perdifficilem quandam Ariſtotelis noſtri contradictionem mihi videor incidiſſe; cuius vt vt enodationem ſatis aptam, mente gero; tamen an ea ſit, quæ tibi ſimiliter occurrat in propoſito, cognoſcere nunc aueo: ne graueris tua ſenſa mihi libere communicare. Porro difficultas hæc eſt, quod Ariſtoteles in Diuinis aſſerit apertè, (*a*) Sapientiam non eſſe poſſeſſam ab hominibus, quod hominis natura ſerua ſit in pleriſque; ſed ad ſolum Deum

a 1. meta. c. 2.

Deum attinere, verbis ipſiſſimis, *Sapientia ſola ſcientiarum libera eſt; ſiquidem hæc ſola ſuijpſius gratia eſt. Quare merito non humana eius poſſeſſio putabitur: natura etenim hominum in pleriſque ſerua eſt. Quapropter ſecundum Simonidem Deus vtique ſolus hanc habet dignitatem.* Contra tamen idem Ariſtoteles non ſolum in Ethicis inter habitus humanæ mentis enumerat ſapientiam inquiens, (*b*) *Sunt autem ea, quibus anima affirmando aut negando verum dicit,* b 6.ethic.
numero quinque; hæc vero ſunt ars, ſcientia, prudentia, Sapientia, & intellectus: c.3.
& infra, (*c*) *Sapientiam autem in artibus attribuere illis conſueuimus, qui abſolu-* c cap.7.
tiſſimi in ipſis ſunt. & mox. *Quapropter exactiſſimam ſcientiarum eſſe ſapientiam manifeſtum eſt. Sapientem igitur non ſolum ea, quæ ex principijs ſunt cognoſcere, ſed etiam circa principia ipſa verum dicere oportet. Quare, Sapientia erit intellectus & ſcientia: ac quaſi habens caput ſcientia rerum præſtantiſſimam.* Verum etiam in Politicis homines animo menteque pollentes natura liberos eſſe pronunciat, non ſeruos; dum ait, (*d*) *Animal vero conſtat primum ex anima* d 1.polit.
& corpore: quo alterum imperat ſecundum naturam, alterum paret. & mox: *nam* c.3.
animus quidem in corpus, dominicum habet imperium: mens vero in appetitum, ciuile & regium: in quibus clarum eſt ſecundum naturam & vtilitatem imperari ab animo corpori, & ab ea parte quæ habet rationem, ei parti quæ ſubiacet perturbationi. ac demum, *Quod igitur ſint ſecundum naturam, alij liberi, alij ſerui, patet: quibus & ſeruire prodeſt ac iuſtum eſt.* An aliam Sapientiam, ſeruamque naturam tractat Ariſtoteles in Metaphyſicis, aliam in Ethicis, & Politicis? mihi quidem non exigua de hocce ſuſpicio eſt. Tuam ſententiam libenter audiam. Vale, & me ama. Dabam Venetijs Cal. Auguſti M D C XXVI.

Reſp. Lic. Ariſtotelem ſibi non aduerſari, Sapientiam, & naturam ſeruilem hominibus modo neganti, modo concedenti. Cap. XXVIII.

Cl. Viro Pompeio Caimo Eq. & Com. Fortunius Licetus B. A.

QVæ tibi, ſummæ perſpicaciæ Viro, non ita perſpicua videntur in dictis Ariſtotelis, optime Caime, quomodo mihi perſpecta fuerint? An ne propoſito nodo contradictionis me tentas? vtcunque ſit, iuſſa tua capeſſam, ac de propoſita difficultate libere, vti Philoſophum decet, nonnulla proferam, tuo iudicio ſubijcienda, quorum cenſuram expecto. Profecto quod nunc Philoſophiam dicimus, olim Sophia, hoc eſt Sapientia, & qui eam callebat, Sophus, ideſt Sapiens appellabatur: primus omnium Pythagoras Sophi, Sapientiſque nomine in Philoſophum, ideſt amatorem ſtudioſumque Sapientiæ commutato, Sophiam, ſiue Sapientiam humanam appellauit Philoſophiam, nimirum amorem ſiue ſtudium ſapientiæ: cuius Viri placitum quicunque poſt ipſum in diſciplinis excelluere, omnes ad vſque tempora noſtra ratum confirmatumque voluere, Philoſophiam dicentes eſſe ſapientiam humanam, quaſi ſtudium, & amorem ſapientiæ. Cauſam qui-

dem huiuſce nominis fere omnes referunt in vnam modeſtiam Pythagoræ;
qui ſe non ſapientem, ſed ſapientiæ ſtudioſum nuncupari voluerit. Ego ve-
ro potius arbitror illum non magis modeſtia, quam ratione ductum huma-
nam ſapientiam nomine Philoſophiæ nuncupare voluiſſe: nimirum ani-
maduertens, propriam eſſe generis humani conditionem, errare, decipi, at-
a 2. de an. que deſipere; quod notabat Ariſtoteles inquiens, (a) *Omnes enim hi intelligere*
t. 151. *corporeum opinantur, ſicut ſentire: & ſentire, & ſapere ſimile ſimili; ſicut ſe-*
cundum principia rationibus determinauimus. & tamen oportuit ſimul ipſos de de-
ceptione dicere. magis proprium enim eſt animalibus, & plurimum temporis in hoc
perſiſtit anima. Vnde neceſſe eſt aut, vt quidam dicunt, omnia quæ videntur, eſſe
vera: aut diſſimilis tactum, deceptionem eſſe; hoc enim contrarium ei, quod ſimile
ſimili cognoſcere. Videtur autem & ſcientia contrariorum eadem eſſe. Ex aduer-
ſo vero Deum ſolum cuncta cognoſcere, decipique non poſſe, quum optime
b Poet. c. 12 noſſet Pythagoras, quod Ariſtotelem non latuit alicubi ſcribentem, (b) *Om-*
c Rhet. ad *nia enim tribuimus Dijs videre*: & alibi, (c) *Nemo certe peierare vellet, tum Di-*
Alex. c. 17. *uini ſupplicij metu, tum decoris apud homines; eritque ſubdendum, latere homines*
poſſe, Deos autem non poſſe: Recte Pythagoras inquam ſapientis nomine,
quod vni Deo appoſitiſſimum cognoſceret, vt & Simonides obſeruatu Ma-
d 1. meta. giſtri, (d) hominem vllum appellare nefas eſſe duxit. Quum autem homi-
c. 2. num aliquos obſeruaret, ſeque inter eos eſſe profiteretur, qui contemplatio-
nibus, præclariſque actionibus Deo ſimiles euadere ſtuderent, & concupi-
ſcerent; propterea quemadmodum Diuinæ Mentis habitum Sophiam, hoc
eſt Sapientiam, & inde Deum vere Sophum, ideſt Sapientem appellauit: ita
conſimilem vtcumque humani animi habitum Philoſophiam, nempe ſtu-
dium & amorem ſapientiæ, ac inde viros eo pollentes habitu Philoſophos,
nimirum amatores atque ſtudioſos ſapientiæ cognominare voluit, exiſti-
mans Philoſophiam humanam eſſe ſtudium & amorem ſapientiæ diuinæ
animis humanis labore ſtudiorum inſculptum. Hanc plane ſententiam pro-
e 1. meta. tulit Ariſtoteles in (e) Diuinis abſte propoſitis aſſerens, Sapientiam ſolam
c. 2. omnium ſcientiarum liberam eſſe; proindeque non ineſſe mortalibus, quo-
rum natura in pleriſque ſerua eſt; ſed ſoli Deo, qui cauſa omnibus eſt, nulli-
que ſubiectus. Sola inquit ſapientia omnium ſcientiarum libera eſt, quia
ſola eſt gratia ſui; & hoc non niſi quia ſola nullis anguſtijs coarctata, per
omnium dignoſcibilium notionem, ſeu per omnis veri cognitionem libere
vagatur; nec aliam extra ſe ſcientiam habet, cui poſſit, ac debeat inſeruire;
quum aliæ omnes ipſi deſeruiant: Quod & paulo antea dixerat, *Primo igitur*
opinamur ſapientem maxime omnia, vt poſſibile eſt ſcire, non habentem ſingulariter
f 1. poſt. *eorum ſcientiam*. & alibi, (f) *Sed horum principia habent commune. Si vero ma-*
t. 23. 82. *nifeſtum eſt hoc, manifeſtum & quod non eſt vniuſcuiuſque propria principia de-*
monſtrare. erunt enim illa omnium principia: & ſcientia illorum domina omnium:
& namque magis ſcit, qui ex ſuperioribus cauſis ſcit: ex prioribus enim ſciuit,
quum ex non cauſatis ſciat cauſis: quare ſi magis ſciuit, & maxime: & ſi ſcientia
illa eſſet, & magis & maxime. Profecto quum omnia infra Deum ab ipſo Deo
tanquam a prima omnium cauſa dependeant; ſolus Deus, qui ſemetipſum
intelligit, in ſemetipſo tanquam in prima cauſa cuncta comprehendit exa-
ctiſſi-

Digitized by Google

ctiſſime; cuius propterea ſolius ſcientia eſt vere ſapientia ſcientiarum om-
nium Domina. Soli vero ſapientiæ id contingit inter alias omnes ſcien-
tias, quia ſingulæ ceterarum ſeruam naturam habent, comparatæ ad Sa-
pientiam; etenim velut in cuſtodia vinctæ ſeruantur mancipatæ determi-
nato generi ſcibilium; nec earum vlla ſcibilium omnium naturam meditari
poteſt; namque Phyſica res ſolum tractat in materia ſenſibili concretas:
Mathematica relegata eſt ad ea, quæ conſtant ſolum materia intelligibili;
cuiuſmodi quidem eſt, non Quantitas, vt vulgus Philoſophorum opinatur;
etenim ab Ariſtotele (g) Quantitas inter ſenſibilia recenſetur, & vere ſenſi- g 2. de an.
bilis eſt: ſed natura generica, quæcunque ſit illa obiecti Mathematici: Me- t.64.
taphyſica vero ita conſiderat res ab vtraque materia ſeiunctas, vt falcem po-
nere nequeat in meſſem Phyſicam, nec in Mathematicam; immo nec in Mo-
ralem, vt docet (h) Ariſtoteles: Sola Sapientia dignoſcibilium omnium h 6.meta.
notitiam includit, eodem Magiſtro; (i) vt mox diſtinctius explicabitur. At- t.1.
que ita ſola Sapientia omnium ſcientiarum libera eſt, nullis omnino con- i 1.meta.
cluſa cuſtodijs, vt puta quæ ius habet in omnem veritatem, vt nihil penitus t.2.
ipſam latere valeat. E contra vero natura humana decreto Philoſophi ſer-
ua eſt in pleriſque; ſapienter in pleriſque, quia non in vno tantum, ſed præ-
cipue in duobus, nempe quia materiæ alligata eſt: & quia finita, certiſque
limitibus concluſa: Hinc Ariſtoteles apte duas concluſiones infert; altera
eſt, Sapientiam non ineſſe homini: altera eſt, Sapientiam ſoli Deo ineſſe.
Certe natura hominis, hoc eſt eſſentia, ſiue anima hominis in pleriſque ſer-
ua eſt; quia duplicem ſeruilem conditionem ſortitur; vna eſt, quia limitata,
& finita eſt, quæ non poteſt in omne ius verum, & in omne cognoſcibile libe-
re vagari, cunctaque perfecte dignoſcere; ſunt enim duorum generum intel-
ligibilia, ſeu vera: eſt namque ſummum verum, ac ſummum intelligibile,
Deus immenſus ac infinitus: eſt & verum ac intelligibile finitum ens omne
infra Deum. Mens hominis finitam obtinens eſſentiam perfecte comprehen-
dere nequit infinitum intelligibile, immenſumque verum; quod adnotabat
(k) Ariſtoteles exemplo veſpertilionum, qui lumen Solis fulgentiſſimum k 2.meta.
ferre nequeunt, ita nec homo poteſt aſſequi naturam Diuinam intelligibiliſ- t.1.
ſimam; *quemadmodum enim, ait, veſpertilionum oculi ad lumen diei ſe habent, ita
& intellectus animæ noſtræ ad ea, quæ manifeſtiſſima omnium ſunt*. Quare non
poteſt homo ſapientiam habere, quæ omnis intelligibilis, & omnis veri
ſcientia eſt exactiſſima, decretis (l) Ariſtotelis, vt viſum eſt; qui decernit l 1.meta.
etiam (m) alibi ſapientiam eſſe ſcientiarum exactiſſimam. Altera conditio c.2.
ſeruilis humanæ mentis eſt, quod in homine mens a materia non eſt libera, m 6. ethic.
ſed illi adiuncta & alligata; materia vero tum per ſeipſam (n) ignota eſt: c.7.
tum alijs rebus, quibus ineſt cauſa eſt occultationis & ignorantiæ; cuius n 7.meta.
dogmatis ea eſt explicatio; quia duplici tantum naturæ materia ineſt, vel t.35.
cognoſcibili tantum, vel etiam cognoſcenti. Sane materia inexiſtens obie-
cto cognoſcibili cauſa illi eſt occultationis, non ignorantiæ; ſed naturæ co-
gnoſcenti cauſa eſt ignorantiæ, non occultationis; etenim occultatio eſt
obiecti affectio, ignorantia vero eſt paſſio naturæ cognoſcentis: vtriuſque
horum ratio eſt eadem, nimirum quia cognitio vere non fit, niſi vniatur

o 3. de an. obiectum cognoſcibile cum natura cognoſcente; quoniam (o) Ariſtoteli
t.2.3. omnis cognitio eſt paſſio facultatis cognoſcentis ab obiecto cognoſcibili; paſſio vero phyſice non fit, niſi per contactum; atque ideo non ſine coniun-
p 3. de an. ctione. Quin & (p) mens Ariſtoteli fit id quod intelligit: non quidem, vt
t.8.18. vulgo dicitur, per repreſentationem; etenim mens per ſuſceptam ſpeciem repreſentat ſibi, tanquam ſpeculum animatum, vt ait M. Albertus, naturam obiecti, cuius imago ſuſcepta eſt ſimilitudo: ſeu potius mens in ſe ſuſcipit & imaginem quidditatis, & habitum notitiæ poſt actum intelligendi, velu-
q 3. de an. ti ſui perfectionem ac formam; vnde materiam æmulatur; (q) quod ait Ari-
t.5.18. ſtoteles: at vero materia quia ſuſcipiendo formam mutatur ſecundum ſub-
r 1. phyſ. ſtantiam; perficitur enim eſſentialiter; ideo dicitur fieri (r) hoc, cuius for-
t.64. mam in ſe recipit: ita mens in ſe ſuſcipiendo ſpeciem intelligibilem, & maxime notitiam obiecti, dicitur fieri id quod intelligit: non quidem reipſa &
ſ 3. de an. phyſice, quia non eſt (ſ) lapis in anima: ſed metaphorice, ac intentionali-
t.38. ter, vt aiunt Scholæ; quod quidem non eſt ſine vnione obiecti cum mente.
t 2. de an. Fit autem mens id quod intelligit, ad differentiam ſenſus, qui (t) fieri dici-
t.62. tur, non id quod ſentit, ſed tale quale actu eſt ſenſibile; quia mens percipit naturam internam intelligibilis obiecti, ſenſus vero corticem & accidentia, non ſubſtantiam obiecti ſenſibilis. At quia hæc vnio facultatis cum obiecto fieri poteſt vel immediate, vel mediante aliquo; immediata coniunctio cognoſcentis cum cognoſcibili veram cognitionem efficit, in qua nullus error, nulla deceptio, nulla falſitas eſſe poteſt; tum quia veritas eſt adæquatio mentis cum re; tum quia propterea in ſeparatis a materia, & potiſſimum in Deo (qui ſemetipſum intelligens id habet vt nihil omnino mediet inter intelligentem & intellectum) nullus error, nulla deceptio, vel falſitas eſſe poteſt. Ea vero coniunctio, quæ mediata eſt, poteſt quidem eſſe vera; ſed tamen capax eſt etiam falſi, & erroris: neque adeo exactam cognitionem efficit, vt immediata coniunctio cognoſcibilis cum cognoſcente. Vbi ſane obiectum cognoſcibile fit materiale, non poteſt illud immediate coniungi cum mente noſtra, ſed in eius intellectione mens coniungitur cum ſpecie immateriali tale obiectum repreſentante, ſiue intelligibilis abſolute ſit, ſiue etiam intellecta; atque adeo mens vnitur ipſimet obiecto, non immediate, ſed mediante ſpecie; nam intelligens homo lapidem, ſubſtantiam lapidis corpoream & materialem menti non habet adiunctam, ſed lapidis puram
u 3. de an. imaginem, vt ait (u) Ariſtoteles, cui *non eſt lapis in anima, ſed ſpecies* lapidem
t.38. repreſentans. Quare materia, quæ in obiectis ineſt, quum impediat ne ipſamet obiecta immediate coniungantur cum mente, ſed cogat horum duum coniunctionem fieri per imaginem atque ſpeciem, cauſa eſt ne mens intime, ac exacte comprehendat & aſſequatur ſemper naturam obiecti; vnde remanet obiectum aliquatenus menti occultum. Eadem vero materia, quæ ineſt in natura cognoſcente, illi cauſa eſt ignorantiæ, & hoc pariter impediendo ne immediate vniatur cum obiecto, ſiue materiali, ſiue immateriali triplicem ob cauſam; prima eſt, quia materia quum appetitu naturali, eoque inſatiabili, ſemper a forma ſibi coniuncta perfectionem cupiat, & inde ſuſcipiat; ſemper eam ad ſe trahit, cui ſubeſt; eamque pro viribus impedit,

ne

Digitized by Google

ne tota, ſeu exactiſſime vniatur cum alia re, cuiuſmodi eſt obiectum cogno-
ſcibile in propoſito: Quare belle materiam mulieri comparabat *(y)* Ariſto- y 1. phyſ.
teles, quæ virum ab aliarum complexu auerteret: etiamſi aliquando contin- t.81.
gat mentem penitus obiecto coniungi exactiſſime, ac a materia prorſus li-
berari, vt in ecſtaſi abſolutiſſima fit; quod raro contingit; & in ea nonnun-
quam homines intereunt. Altera eſt, quia materia nonniſi mentibus illis
ineſt, quarum operatio eſt accidens, & omnino diſtincta res ab eſſentia in-
telligente; quæ materies ideo mediat inter cognoſcens & cognoſcibile; pro-
indeque prohibet ne immediate vniantur adinuicem; quod efficit ne cogni-
tio ſit exactiſſima, qualem decet eſſe ſapientiam *(z)* Ariſtoteli. Tertia de- z 1. meta.
mum eſt, quia mens in materia ſenſibus adiuncta eſt, ac ſpeciatim phanta- c.2.
ſiæ; nam intellectus non ineſt in corpore, cui ſenſus & aliæ differentiæ ani- 6. eth. c.7.
mæ non inſint, tanquam præuiæ diſpoſitiones ad mentem, Ariſtotele *(a)* do- a 2. de an.
ctore: ceterum in ſenſibus, & in phantaſia multæ perturbationes fiunt ſimu- t.32.
lacrorum, impedientes ne mens cum obiecto immediate, ac exacte vniatur,
& ideo ne ipſum exquiſite dignoſcat. His ergo de cauſis materia facultati
cognoſcenti copulata, illi cauſa eſt ignorantiæ. Ita ergo ex eo, quod homi-
nis natura in pleriſque ſerua eſt, nempe tum finita, tum materiæ addicta: quæ
duæ cauſæ ſunt occultationis, & ignorantiæ, primum recte colligit Ariſtote-
les, Sapientiam, quæ eſt cognitio exactiſſima omnis veri, non ineſſe homini.
Altera concluſio, quod ſolus Deus omnium cauſa ſit ſapiens, dicēte Magiſtro,
(b) Nam & illa, quam maxime Deus habeat, diuina ſcientiarum eſt, & ſi qua eſt, quæ b 1. meta.
diuinorum ſit, hæc autem ſola vtrumq; conſecuta eſt. Deus etenim tum cauſa omnibus c.2.
eſſe videtur, tum quoddam principium: & talem aut ſolus, aut præcipue Deus habet.
Quod autem ſolus Deus ideo ſapiens exiſtat, ex dictis antea facile deduci-
tur, quia ſola diuina natura libera eſt, tum quia penitus immaterialis, tum
quia nullis anguſtijs incluſa eſt, quin omne verum poſſit exactiſſime com-
prehendere: Quum enim ſola ſit cauſa omnium, ſemetipſam intelligens, in
ſeipſa veluti in cauſa ſingulorum cuncta dignoſcit. Sed quum ita ſit cauſa
cunctorum, vt omnium penitiſſimas eſſentias perficiat, Ariſtotele conſti-
tuente, tum *(c)* nullam rem eſſe, in qua non inſit Naturæ numen; & ideo non c 1. de part.
debere nos deſpicere contemplationem vilium animalium: tum quoque, il- c.5.
lam eſſe formam Vniuerſi, proptereaque principium intimum ſingulorum: d 12. meta.
iam Deus rebus ipſis exactiſſime coniungitur omnino immediate; quippe t.49.
cuius actio non *(e)* diſtinguitur ab eiuſdem eſſentia. Quum ergo Deus ideo e 12. meta.
ſapiens ſit, quia omne verum exactiſſime cognoſcit, ſemetipſum intelligens, t.51.
& in ſemetipſo alia cuncta, quorum eſt cauſa vt forma, finis, efficiens, atque
conſeruans: dubio procul homo, quam Dei naturam comprehendere, ne-
queat, nec alia cuncta exactiſſime cognoſcere, vere ſapiens non erit. Verum
enimuero quum idem homo valeat, ſi non Dei naturam in ſeipſa, & in ea res
alias intueri, quemadmodum neque veſpertilionum *(f)* oculi Solis lucem f 2. meta.
aſpicere, nec in ea res alias intueri; ſaltem poſſit in rebus alijs diuinam eſſen- t.2.
tiam participatam cōtemplari, ſicuti veſpertilionum oculi noctu ſidera con-
ſpiciunt, & in ſideribus lumen Solis vtcunque participatum; quod adnotat g 1. de part.
Ariſtoteles inquiens, *(g)* non aſpernandam eſſe vilium animalium conſide- c.5.

ra-

Digitized by Google

rationem, quia nulla res eſt, in qua non inſit Natura numen; quod eſt Deus
h 9. eth. c.4. ipſe, cunctis in rebus participatus; vt repetit ipſe rum aiens, *(h) Deum eſſe id quodcunque eſt*: tum etiam, *(i) Patet autem ſic eſſe, quemadmodum in vniuerſo eſt*
i 7. eude. c.18. *Deus, & viciſſim cuncta in illo; mouentur enim omnia ab inexiſtente in nobis numine*, vtque Græca vox *theoria* ſignificat contemplationem. Quis non videat hominem contemplationi rerum viuentem, ſi non ſapientem, eſſe tamen ſapientiæ ſtudioſum, & amatorem? cupit enim, & anxie ſatagit, quantum poteſt, aſſequi rerum omnium exactam cognitionem in his materialibus rerum immaterialium, atque Dei ſummi naturam inſpiciens, quam in motus æterni-
k 8. phyſ. per tot. tate quæſiuit (*k*) Ariſtoteles. Philoſophia ergo dicitur eſſe ſtudium & amor ſapientiæ; quia per eam homo in rebus pro virili ſua facultate conatur diuinam eſſentiam cognoſcere, atque fieri ſimilis vtcunque Deo, qui vere ſapiens eſt, ſemetipſum & alia cuncta in ſeipſo percipiens exactiſſime. Sicut enim Ariſtoteli virtus nulla reperitur in brutis proprie, ſed tantum quædam virtu-
l 9. hiſt. c.7 & ſeqq. tum ſimilitudines, (*l*) vmbræ, tenuiaque veſtigia, quum virtus in homine ſolo proprie reperiatur: ita ſapientia proprie dicta ſoli Deo ineſt, qui cuncta percipit exactiſſime, ſed homini ſimilitudo quædam, & vmbra ſapientiæ ineſt, quam recte Philoſophiam Pythagoras appellauit: Homini proprie ſapientia non ineſt; Quam autem Ariſtoteles in moralibus homini ſapientiam dedit, ea non eſt abſoluta ſapientia, ſed ſapientiæ quidpiam ſimile, veſtigium, & vmbra veræ ſapientiæ. Quare non ſibi contradicit Ariſtoteles dum in Diuinis Deo Soli ſapientiam tribuit, in Moralibus etiam homini; quia non agit vtrobique de eodem prorſus habitu ſapientiæ. Similiter neque ſibi contradicit in Metaphyſicis aſſerens naturam hominis in pleriſque ſeruam eſſe, ac in Politicis quoſdam homines eſſe natura liberos, non autem ſeruos; quia non agit vtrobique de libertate, ac ſeruitute penitus eadem, atque ſecundum eandem rationem; tum quia in Metaphyſicis agit de libertate, & ſeruitute phyſica, in Politicis de morali: tum quia ponit hominem in Diuinis habere naturam ſeruam in comparatione ad Deum, qui ſimpliciter ac omnino liberam eſſentiam habet: in Politicis autem comparans hominem animo præſtantem cum voluptuoſo, illum natura liberum recte decernit, hunc natura ſeruum; quod ratio natura imperare debeat appetitui; & appetitus obedire ſeruireque rationi: Quin & in Politicis comparans maſculum fe-
m Geneſ. 2 & 3. minæ, hanc natura ſeruam illum natura liberum apte decernit; quod etiam Diuinæ legi conuenit, qua ſancitum fuit, Mulierem (*m*) eſſe debere ſub poteſtate viri, virumque mulieri dominari. Sic ergo De varia ſeruitute, libertate, ſapientiaque tractans varijs in locis Ariſtoteles, abſque labe contradictionis potuit homini ſapientiam, libertatem, & ſeruitutem adimere, pariter atque concedere; quia contradictio non eſt quælibet propoſitionum oppoſi-
n 1. peri-her. c.4. tio; ſed ea tantum quæ ſit eiuſdem de eodem ſecundum idem, vt ait (*n*) Ariſtoteles.

Hæc mihi nunc occurrunt, quæ de rebus abſte propoſitis, inclyte Vir, tibi reſcribam. Tu cenſuram ijs adhibe ſine fuco, meque certiorem facias de tuo ſincero iudicio. Vale, & me ama.

Dabam Patauij Idibus Auguſti M DC XXVI.

De

De vulgato dogmate, Elementa ſecundum totum eſſe incorruptibilia, ſecundum partes autem corruptibilia. Cap. XXIX.

Cl. Philoſopho Fortunio Liceto Iulius Guaſtauinius Medicus S.D.

VVlgatem ſententiam tibi proponam, mi Licete, non vulgari nodo vinctam, cuius diſſolutionem ex te cupio; nam ea fortaſſe fuerit, quam vel ego muginor. Elementa ſecundum partes quidem eſſe corruptibilia, ſed ſecundum totum incorruptibilia, commune Philoſophorum placitum eſſe video; nam Auerroes inquit, (a) *Et quia ipſum eſt elementum, videtur quod ſit* a 1. meteo.
æternum ſecundum ſpeciem: generabile, & corruptibile ſecundum partem; ſecundum com. cap. 1.
quod declaratum eſt de diſpoſitione elementorum. & alibi, (b) *Vult* Ariſtoteles *in* b 3. cæl.
hoc capitulo declarare quod nullum corporum ſimplicium, quæ ſunt elementa corpo- com. t. 52.
rum rerum compoſitarum, eſt æternum, ingenerabile, & incorruptibile; ſed ſunt generabilia, & corruptibilia ſecundum omnes partes; ſiue generatio elementorum adinuicem, & compoſitorum ex eis fuerit ſecundum diuiſionem, aut tranſmutationem in ſubſtantia. Quoniam, quum declaratum fuerit, quod nulla pars relinquatur ex eis, quæ non recipiat generationem & corruptionem; contingit nec ſtatio, vt generatio & corruptio eorum ſit tranſmutatio in ſubſtantia, non in quantitate. Sed & Ariſtoteles ipſe ſcribit, agens de Elementis, (c) *Sempiterna igitur eſſe eſt impoſſibile; videmus* c ibid.
enim ignem, & aquam, & vnumquodque ſimplicium corporum diſſolui. & mox: *Vnaquæque enim partium in alio tempore diſſoluitur, & corrumpitur*. Quum autem e contra videamus in mundo ſemper eſſe tota, ſemperque permanere integra elementa; iam quæ ſecundum partes omnes, ſiue ſingulas generabilia, corruptibiliaque ſunt, non autem æterna, eadem ſecundum totum æterna poni debent, ac incorruptibilia. Ceterum in oppoſitum ſunt fere demonſtratiua argumenta, conuicentia nihil æternum ſecundum totum eſſe poſſe corruptibile ſecundum partes, nihilque corruptibile ſecundum partes eſſe poſſe ſecundum totum æternum; ſpeciatimque nullum elementorum eſſe ſecundum totum incorruptibile; quoniam in primis elementa ſunt corpora ſimplicia, ſimilaria, & homogenea, vt ait (d) Ariſtoteles; at eodem autore in ho- d 3. de gen.
mogeneis, & ſimilaribus eadem (e) ratio eſt totius & partis, potiſſimum in t. 17.
attributis eſſentialibus; cuiuſmodi ſunt eſſe generabile, & eſſe (f) corrupti- e 1. de gen.
bile apud eundem: Quare ſi ſunt elementa incorruptibilia ſecundum to- t. 86.
tum, ſunt etiam incorruptibilia ſecundum partem; ſique corruptibilia ſunt f 10. meta.
ſecundum partes, etiam corruptibilia ſunt ſecundum totum. Porro ratio- tvlt.
nem eandem eſſe totius & partium in ſimplicibus, & homogeneis corporibus, adeoque in elementis, frequenter nos edocuit Ariſtoteles aiens tum,
(g) *Quoniam autem ad idem fertur totum, & pars ſecundum naturam; vt tota terra,* g 1. cœl. t. 19
& parua gleba, tum, (h) *ſimul autem manifeſtum eſt, quod & quamlibet oportebit* h 3. phyſ.
partem manere: vt enim infinitum in ſeipſo manet ſe firmans, ſic & quæcunque acci- t. 52.

piatur

piatur pars, in ſeipſa manebit; totius enim & partis eiuſdem ſunt ſpeciei loca; vt to-
tius terra, & gleba deorſum: & totius ignis, & ſcintilla ſurſum. Quare, ſi infiniti
i 1. cæl. *locus in ſeipſo eſt; & partis idem erit; manebit igitur in ſeipſa.* tum, (i) *Horum autem*
t. 73. *neceſſarium eſt eundem eſſe motum; quo enim vna gleba, & tota terra fertur: atque*
k 2. cæl. *totus ignis, & ſcintilla in eundem locum.* tum, (k) *Quo enim quæuis fertur parti-*
t. 92. *cula ipſius, eo totam etiam ferri eſt neceſſarium.* tum, (l) *Si enim natura nata eſt*
l tex. 102. *ferri vndique ad medium, quemadmodum videtur, & ignis rurſus a medio ad ex-*
tremum; impoſſibile eſt latam eſſe quamcumque ipſius particulam a medio, non vim
paſſam; vna enim latio vnius eſt, & ſimplex ſimplicis, ſed non contraria: quæ autem
a medio fit, ei quæ ad medium eſt contraria: Si igitur quamcumque partem impoſſibi-
le ſit latam eſſe a medio, manifeſtum quod & totam adhuc impoſſibilius; ad quod enim
* 4. cæl. *pars nata eſt ferri, & totum illuc natum eſt.* tum, (*) *Omnino igitur ſimilibus, &*
t. 22. *non differentibus, ab eodem motu neceſſe eſt hoc accidere. Quare quo nata eſt vna*
aliqua ferri particula, & totum. Si ergo eadem ratio eſt totius & ſingularium
partium elementi cuiuſlibet in motu locali; multo magis eadem ratio fuerit
elementi totius & partium in motu generationis & corruptionis; quod ge-
neratio & corruptio magis eſſentiam mobilis attingat, quam latio. Deinde
vero quum materia rebus omnibus corruptionem afferat, vt quicquid mate-
m 1. phyſ. riale (*m*) eſt, id neceſſario corruptibile ſit, & omne carens materia ſit (*n*) incor-
t. 82. ruptibile; quum elementa ſingula pariter & ſecundum totum & ſecundum
n 12. meta. partes vniuoce materialia ſint; iam æque ſecundum partes & ſecundum to-
t. 30. tum corruptibilia dici debent.

Hæ tricæ ſunt, Vir Cl. quæ Medici mentem præpediunt, atque morantur;
Philoſophi Peripatetici fuerit officium eam extricare; nam ſæpe Medicus
principia ſua nouit eſſe concluſiones Philoſophi; quod ibi ſumat hic exor-
o de ſan. & dium, vbi definit ille, ſicuti monebat (*o*) Ariſtoteles. Vale, mi Licete, meque
mor. tui ſtudioſiſſimum amare ne ceſſes. Dabam Piſis Cal. Ian. M D C XXX.

Reſp. Liceti. Elementa vt corruptibilia ſint ſecundum totum, & vt non. Cap. XXX.

Cl. Viro Iulio Guaſtauinio Piſanæ Scholæ Medico Primario
Fortunius Licetus B. A.

NOn parui momenti difficultas eſt, quam circa vulgatum dogma mihi proponis enodandam: In qua ſi tibi perſpicaciſſimo nunc hæret aqua, quid mihi putandum eſt accidere? dicam tamen aliquid tuo iudicio corrigendum, ne tuas iuſſiones aſpernari videar, aut ſubterfugere. Dubio procul elementa ſunt corpora ſimplicia, & homogenea; eademque ſimiliter materialia tam ſecundum totum, quam ſecundum partes: eademque ratio prorſus eſt totius & partium ſingularum in eorum vnoquoque quantum attinet ad illorum loca, propenſiones, lationeſque naturales: at vero quantum ad eſſe corruptibile, ac incorruptibile diſcrimen aliquod mihi videre videor

in-

Digitized by Google

inter totum & partes, enaſcens a varietate totius, & partium, quæ non vniuſmodi ſunt. Etenim, vt optime noſti, triplex totum inuenitur, aliud integrale nuncupatum, quod barbari quantitatiuum vocant, ex partibus quantitate præditis integratum; & eſt vulgare totum, atque maxime proprie totum. Aliud totum eſt potentiale, quod vniuerſale dicitur; de quo Ariſtoteles inquit, (*a*) *Quapropter ex vniuerſalibus ad ſingularia procedere oportet: totum enim ſecundum ſenſum notius eſt: vniuerſale autem totum quoddam eſt: multa enim comprehendit, vt partes, vniuerſale.* Quin & Porphyrius ait, (*) *Totum enim quoddam eſt genus: indiuiduum autem pars: ſpecies vero & totum eſt & pars: ſed pars quidem alterius: totum autem non alterius, ſed in alijs: in partibus enim totum eſt.* Tertium denique totum eſt definibile, ſeu eſſentiale dictum a ſcholaſticis, quod eſt ſpeciei natura communis per definitionem explicata, ex genere ac differentia, velut ex partibus eſſentialibus conſtituta: de qua non ſolum Ariſtoteles, verum ex eo quoque Porphyrius ediſſerit; ille quidem inquiens, (*b*) *Patiuntur autem hoc idem quodammodo & nomina ad rationem: totum enim quoddam, & indiſtincte ſignificant, vt circulus: definitio autem ipſius diuidit in ſingula.* Ille vero ſcribens, (*c*) *Rebus enim ex materia & forma conſtantibus, vel ſecundum proportionem ad materiam & formam conſtitutionem habentibus, quemadmodum ſtatua ex materia quidem eſt ære, ex forma autem figura: ſic homo communis & ſpecialis ex materia quidem proportionaliter conſiſtit ex genere, ex forma autem differentia: totum autem hoc, animal rationale mortale, homo eſt, quemadmodum illic ſtatua.* Quæ duo poſteriora minus proprie tota dicuntur, ac fere ſecundum tranſlationem. Quæ tria tota cum ſuis partibus comparibus ab Ariſtotele quoque conſiderantur in (*d*) Metaphyſica. Quibus ita ſe habentibus, In propoſito de corruptibilitate, incorruptibilitateque elementorum agentes, ſi ſermo ſit de toto definibili, & eius partibus eſſentialibus; quia definitio non eſt (*e*) ſingularium, ſed ſpecierum; quarum partes eſſentiales genus, & differentia ſunt naturæ pariter vniuerſales; quumque vniuerſalia corruptibilia non ſint, ſed omnia æterna; vt quæ materiam non habent particularem, ac indiuiduam; quæ ſola corruptionem rebus aduehere poteſt; ideo elementa ſecundum totum ſui eſſe definibile, pariter atque ſecundum ſui partes eſſentiales omnes ac ſingulas incorruptibilia ſunt. Sin autem agamus de toto potentiali, elementa ſecundum totum quidem incorruptibilia ſunt; etenim non habent materiam indiuiduam, quæ ſola corruptionis eſt cauſa in rebus indiuiduis: at, ſi ſumantur ſecundum partes, corruptibilia ſunt; quod ait Auerroes in loco abſte producto, dum ait (*f*) elementum æternum eſſe ſecundum ſpeciem; at generabile, & corruptibile ſecundum partem; quia ſingula elementa in indiuiduo ſumpta materiam obtinent ſingularem corruptionis cauſam & originem: Neque vero in his eadem ratio eſt totius & partis: quia tota ſpecies elementi caret materia certa determinata & particulari ad nouam formam propenſa: quum elementum hoc vel illud ſingulare determinatam materiam obtineat ad nouam formam phyſice propenſam, adeoque cauſam corruptionis. Ceterum ſi ſermo ſit de toto integrali, & partibus eius quantitatiuis appellatis, certe totum pariter, & vnaquæque pars illius eſt materia-

a 1. phyſ. t.4.

* cap. de ſpec.

b 1. phyſ. t.5.

c cap. de diff.

d 5. meta. t.30.31.

e 1. poſt.

f 2. meteo. c.1.

rialis, & vere corruptibilis; eadem ratio prorſus eſt totius atque partium. Neque vero quod in rerum natura ſemper elementa reperiantur, nec vnquam vllo priuetur elemento Mundus, ideo fit vt vnumquodque elementum ſecundum totum incorruptibile ſit; nam permanet quidem ſemper elementum ignis in mundo, ſed non idem numero; cogita mecum, vir Cl. Reipublicæ Romanæ Senatum ex centum Viris conſtitutum, ſemper in ea Republica viguiſſe, nec vnquam illam ordine Senatorio caruiſſe; quia licet indies aliqui Senatores fato cedentes interirent, illico tamen alijs ſubrogarentur in locum defunctorum; quo factum eſt vt non ſemel totus ille Senatus renouaretur, adeoque corruptibilis ipſe fuerit tam ſecundum totum, quam ſecundum ſingulas ſui partes, etſi nunquam defecerit centum Senatorum numerus in Republica: proptereaque collige ſic elementis etiam contingere; concipe partes aut centum, aut mille totum aeris, vel ignis elementum integrare, quarum aliqua ſingulis aut menſibus, aut annis corrumpatur, & in eius locum noua ſtatim generetur; nonne ſic ſemper erit elementum ignis, & aeris in mundo; quum tamen totus ille prior ſtato tempore corruptus fuerit, & nouus alius generatus? ita quoquopacto materiam humani corporis, quod aſſidue fluat, ac refluat, non eundem numero tota vitæ duratione permanere dicebat (g) Ariſtoteles. Quare iam ad argumenta tua concedentes elementa, in indiuiduo ſumpta, eſſe corpora ſimilaria, quorum eadem ſit ratio totius & ſingularum partium: negamus idem numero elementum eſſe ſemper in mundo, & incorruptibile. Deinde concedentes materiam rebus eſſe cauſam corruptionis; vt admittimus elementum ſingulum eſſe materiæ determinatæ particeps, adeoque corruptibile; ſic omnino negamus elementum in ſpecie ſumptum ſic eſſe materiale, vt ob materiam corruptibile ſit; etenim naturæ ſpecierum, atque generum vniuerſales, vtcumque ſint in indiuiduis participatæ, vel materiam non habent, vt innuit ipſe Porphyrius, cui, (h) *Mox de generibus & ſpeciebus, illud quidem ſiue ſubſiſtant, ſiue in ſolis nudis intellectibus poſita ſint: & ſiue ſubſiſtentia corporalia ſint, an incorporalia: Et vtrum ſeparata, an in inſenſibilibus poſita, & circa hæc conſiſtentia, dicere recuſabo: altiſſimum enim eſt huiuſmodi negocium, & alterius maioris egens inquiſitionis.* vel ſi materiam habent, eam non obtinent determinatam, & indiuiduam, atque particularem, quæ ſola cauſa eſt corruptionis, inhians ad nouam formam, & veterem exuens priſtini compoſiti. Quare non eſt eadem participatio materiæ in indiuiduis, & in ſpecie; proindeque non eſt eadem ratio totius & partium quantum ad eſſe materiale, atque corruptibile totius & partium, tam potentialium, quam eſſentialium in elementis; at ſolum integralium, quæ pariter materiam habent, & corruptioni ſubiacent. Ceterum hac de re diſputationem accuratam memini me dudum egiſſe, dum tractarem de ſpontaneo viuentium (i) ortu, quam contemplationem inſpicere poteris; nam inde latius apparebit, quomodo determinandum ſit ex Ariſtotele, ſingulum elementorum eſſe ſecundum totum aut corruptibile, aut incorruptibile; non enim ea latius ibi propoſita ſunt hic in caſſum repetenda; quum liber proſtet, & in tuo Muſæo locum habeat.

g 1. de gen. t. 35. 36.

h Præf. præd.

i lib. 4. c. 7.

Hæc ea ſunt, inclyte Iuli, quæ de propoſito dicenda mihi videntur: Tu di-

ligenti

Digitized by Google

ligenti cenſura corrige, ſi quæ ſphalmata notanda fuerint; & ad me tua cogitata referre ne graueris. Dabam Patauij Prid. Calend. Febr. M DC XXX.

Vtrum eadem numero anima ſucceſſiue perficere valeat varia ſubiecta: ſimiliterque num idem numero lumen illuſtrare ſucceſſiue queat varia diaphana: nec ne. Cap. XXXI.

Doctiſſimo Viro D. D. Fortunio Liceto, in celeberrima Bonon. Academia Philoſophiæ Profeſſori Eminenti, Iohannes Hoſius Amſterodamus S. D.

NOn ita pridem libros tuos de Natura & Efficientia Luminis dum euoluerem, præſtantiſſime Vir, in aliqua dubia, quorum duo principatum tenent, incidi. Vnum quidem eſt, quo ſcribis, nullam formam ſubſtantialem poſſe ſucceſſiue perficere varia ſubiecta: Alterum eſt, contradictio quædam in ſententijs eiuſdem tui voluminis. Illaque proponere tibi nunc aueo, non vt virium mearum ſigna, ſed potius vt his habita reſponſione, & perfectiore enodatione, mihi ſenſus tuorum dogmatum perfectus oriatur. Sane prima dubitatio mihi naſcitur ex illis verbis tuis: *(a) Deinde forma ſubſtantialis nulla eadem numero ſucceſſiue poteſt varia ſubiecta perficere; nam ad aliam formam alia materia diſpoſita eſt.* Quod placitum a vero procul abeſſe mihi videtur; cui certum eſt, eandem numero rationalem animam, quæ prius actuauit eam corporis humani ſubſtantiam, quam calor e corpore diſcuſſit, ſucceſſiue poſterius informare ſubſtantiam aliam numero diuerſam, quæ nutrimento contenta ſuccedit in locum deperditæ: quum nemo non agnoſcat haſce duas materias eſſe varia ſubiecta numero diſtincta, ſucceſſiue per eandem animam numero deinceps informata. Quod ſi ſubiectum integrum atque totale velis aſſumere; nihilominus anima ſucceſſiue perficere dicenda eſt varias numero materias totales; etenim corpus humanum Socratis heſterna die conſtans ex tanta ſubſtantia determinatis partibus integrata, materialiter, abſtrahendo a forma, non eſt idem numero ſimpliciter cum humano eiuſdem Socratis corpore nunc non habente plures heſternarum partium vi caloris in halitus inſenſibiles diſſolutas; & earum loco plures alias in ſe continente per alimenti tranſmutationem ſibi coniunctas, & in ſui naturam eſſentiamque conuerſas: Quum igitur eadem numero rationalis anima Socratis varias numero materias tum partiales, tum etiam totales quotidie ſucceſſiue perficiat, & actuet; quomodo iam tibi, *nulla forma ſubſtantialis eadem numero ſucceſſiue poteſt varia ſubiecta perficere?* Sed eo difficultas augetur, quia non de totali & integro ſubiecto loqui videris, at de partiali; dum concedis immediate lumini, quod aperte negaueras formæ ſubſtantiali, dicens: *Sed idem numero lumen in aere diaphano ſucceſſiue perficit varias aeris partes motas in lo-*

a 1. de lum. c. 8. p. 35.

cum a lucido corpore illuſtratum. An non varia ſubiecta ſunt ab eadem numero forma ſubſtantiali Socratis informata, partes antea vi caloris in halitus diſſolutæ prius, & partes alimenti ſuccedentes in earum locum poſterius animatæ? quin immo nonne diuerſa ſunt numero ſubiecta integra quoad materiam ex determinatis partibus coagmentata in eodem Socrate corpus heſternum, & hodiernum? Hæc impediunt vt non ita facile tuum primum placitum admittam.

Ad alteram quod attinet difficultatem, Contradictio eſt, cuius partes diuerſis in locis coordinatas habemus: priorem partem tuis hiſce verbis haurio, *(b) Sed idem numero lumen in aere diaphano ſucceſſiue perficit varias aeris partes motas in locum a lucido corpore illuſtratum*. Qui textus mihi contradictorius apparet textui inferius abſte poſito, dum inſis: *(c) Ad ſecundum concedentes nullum accidens diſcedere a ſubiecto permutato ad alium locum: negamus lumen ita recedere ab aere mutato in alium locum, vt remaneat idem numero in loco priſtino; quia qua ratione ſpecies & imago mei, degens in ſpeculo ante me poſito, euaneſcit ab amoto ſpeculo, & in alio ſpeculo rurſus ante me poſito noua producitur; eadem plane ratione lumen, quod eſt imago lucidi genita in perſpicuo, remoto aere corrumpitur, & nouum in ſuccedente aere progignitur; non autem vetus lumen ab aere priori recedit, & tranſfunditur in aerem poſteriorem ſubſequentem; quia non datur migratio formæ de vno in alterum ſubiectum*. Contradictio mihi clarior videtur, quam vt annotatione egeat.

b 1. de nat. & eff. lum. c.8. pag. 35
c cap. 12. pag. 47.

Hic Excellentiſſimus Vir dubia mea cum motiuis habet; quorum enodationem (quum ſciam ad omnem benignitatem Suam Excellentiam procliuem, & ad aliorum inſtructionem & in doctrina promotionem) deſideratiſſimam expectabo: Ad quem alium confugiam? nullius in vniuerſo Italiæ ambitu famam, veſtram obfuſcantem, volantem vidi, nec de illa audiui. Et illud magis me ad vos accedere vrget, Autorem alloquor parentem verborum & ſenſuum: quis melius elucidaret? Audaciæ tituli me immunem haberi deſidero, quanquam Excellentiam Veſtram interpellandi occaſionem ſumam: Affectus diſcendi in me potior eſt, qui potius culpam in ſe traheret; His finem ponendo, felicitatem deſiderabilem Veſtræ Eminentiæ precor, eiuſque familiaritatem ſemper exopto.

Perilluſtris ac Excellentiſſimi Viri

Obſeruantiſſimus Cliens Iohannes Hoſius Amſterodamus.

Reſp. Lic. Eadem anima numero varia ſubiecta ſucceſſiue perficere vt valeat, & vt non. Cap. XXXII.

Ingenioſo Ioanni Hoſio Amſterodamo Fortunius Licetus B. A.

Dubia non parui momenti, quæ nuper ex mea commentatione de Lumine tibi ſuborta, mihi communicare voluiſti, Subtilis Hoſi, vt inſignem diligentiam tuam produnt in perlegendis aliorum ſcriptis, & eximiam animi

mi tui ſolertiam in difficultatibus aſſertionum agnoſcendis; ita me permouent ad enucleatius explicanda mentis meæ ſenſa in abſte notatis meis et enunciationibus. De prima quidem tua dubitatione circa meum dogma, quo conſtitui, non poſſe formam ſubſtantialem eandem numero ſucceſſiue perficere varia ſubiecta; cui tu rationalem animam opponis, quæ numero prorſus eadem in actu nutricationis, & augmenti quotidie ſucceſſiue, deincepsque perficiat, & informet varia ſubiecta, ſcilicet poſt animationem materiæ, quæ iugiter effluit e corpore, deinceps actuet alimenti ſubſtantiam corpori forinſecus de nouo aduenientem: Quin etiam poſt viuificationem aggregati corporis ex materia remanente, ac effluxa, priuſquam illa defflueret; ad eadem numero rationali anima poſtea perfici viuificarique corpus conſtitutum ac integratum ex materia permanente adhuc, & ex alimentari nouiter adiuncta: De hac inquam tua non exigua difficultate, duplicem materiam reſpiciente, geminam præbeo ſolutionem, vbi prius adnotauero, nutricationem proprie non referri eſſentialiter ad animam rationalem; tum quia plantis, & brutis animantibus ea functio conuenit vniuoce cum homine; quum tamen illis non inſit anima rationalis: tum quia nutritionem & augmentum in homine promouet anima humana non ratione partis ſuæ rationalis, at ratione vegetantis, a rationali longe diuerſæ, vt adnotat Ariſtoteles, inquiens, (a) *Quippe quod anima portio quadam eſſe putetur, qua alimur: quam altricem appellamus; iure profecto ita: ſiquidem lapides ali non poſſe intuemur;* & *perinde non dubium, quin ſit ali animatorum: Quod ſi animatorum cauſa eſt anima; atque anima talium partium nulla alendi fuerit cauſa, quales ſunt rationalis, vel iraſcibilis, vel concupiſcibilis; ſed alia quadam præter has; & ei nullum magis peculiare poſſumus nomen, quam alentis accommodare. Dicat fortaſſis quiſpiam, nunquid ex hac quoque parte animæ virtus eſt? nam ſi fuerit, non dubium quin etiam eadem agere opus ſit: perfecta ſiquidem virtutis actio felicitas eſt. At nunquid eius ſit, vel non ſit virtus, alia fuerit oratio. Quæ ſi fuerit, huius non eſt actio; nam in huiuſmodi parte impulſus eſſe non videtur; ſed igni videtur eſſe conſimilis; cui quicquid immerſeris, abſumet: at ſi non obieceris, ne quidem ad capiendum impellitur: Ita hæc habet pars animæ, vt ſi alimentum obijcias, alat: ſin minus, ne quidem ad alendum commoueatur; & perinde ne quidem actio, cuius non eſt commotio. Proinde hæc pars ad felicitatem capeſſendam nihil coadiuuat.* Quare cardo difficultatis non erat ab anima rationali petendus, verum a vegetali. Ceterum quia rationalis in homine vegetalem gubernat in actione promouenda, & eadem numero toto vitæ tempore ſubiectum corpus animat ſub quacumque molis & partium varietate; propterea difficultas etiam inde producta momento ſuo carere non videtur. Ad cuius enodationem primo concedens, eandem numero rationalem animam, quin & vegetalem (b) Ariſtoteli (ſicuti videbimus) ſentientem ve, quæ prius animauit eam corporis humani ſubſtantiam, quam calore corpore diſcuſſit, ſucceſſiue poſterius informare ſubſtantiam aliam numero diuerſam, quæ nutrimento contenta ſuccedit in locum deperditæ: ſimul & vltro concedens haſce duas materias eſſe varia ſubiecta numero diſtincta, ſucceſſiue per eandem animam numero deinceps informata: Nego per hæc infringi meam poſitionem; quia duo propoſita

nunc

a 1. mag. mor. c. 5.

b 1. de ger. t. 35. 36. 37

nunc abſte non ſunt integra ſubiecta formæ ſubſtantialis, at duæ partes in eodem ſubiecto integro ſibi ſuccedentes; mea vero poſitio fuit de ſubiectis integris, dum poſui formam ſubſtantialem eandem numero non poſſe ſucceſſiue perficere varia ſubiecta, totalia ſcilicet ac integra. Neque vero reſponſionem iſtam eludit, quod vlterius inſtas, me tractare de partiali ſubiecto, non autem de totali, qui ſubinferam immediate, lumen idem numero ſucceſſiue perficere varias aeris partes motas in locum a lucido corpore illuſtratum, ad formæ ſubſtantialis differentiam, nempe qui conceſſerim illud idem lumini, quod formæ ſubſtantiali negaueram: etenim vna & eadem res in habitudine ad diuerſa poteſt nomen partis, & totius rationem habere; cogita mecum, lumen per feneſtram ingredi cubiculi regionem; non ne totus aer ille, qui radijs ac lumine primo perfunditur, expers vmbræ, dicendus eſt integrum atque totale ſubiectum determinati luminis illius, non autem pars integri ſubiecti? quis ignorat? attamen idem ille aer totus eſt pars aeris vniuerſi, qui totum implet cubiculum; quum alia pars in vmbra maneat. Dum igitur aſſero, lumen idem numero ſucceſſiue perficere partes aeris diaphani varias motas in locum a lucido corpore colluſtratum, pono lumen idem numero ſucceſſiue perficere poſſe varia ſubiecta integra, totaliaque ſibi toti ſubſtrata; licet illa ſint variæ partes aeris diaphani totius intra cubiculum comprehenſi; quod alia pars lumine colluſtretur, alia ſub vmbra maneat; quæ tamen in locum aeris illuſtrati ſuccedit, eo toto flabellis inde remoto. Forma vero ſubſtantialis non poteſt ita varia ſubiecta totalia ſucceſſiue perficere. Sed vlterius vrges, corpus humanum Socratis vniuerſum heri conſtans ex determinatis partibus integrantibus, hodie quibuſdam earum effluxis, & in ipſarum locum alijs per adiunctum nouiter alimentum ſucceſſis, non eſſe prorſus idem numero, licet ab eadem anima numero ſit informatum: cui quidem inſtantiæ concedentes, eandem numero rationalem animam Socratis deinceps atque ſucceſſiue perficere non eandem omnino numero materiam totam, non idem omnino numero ſubiectum cor-
d 1. de gen. t. 35. pus; quod aperte nos edocuit Ariſtoteles, aſſerens, (d) *Caro, & os, & vnaquaque talium partium eſt duplex; quemadmodum & aliarum in materia formam habentium; etenim materia dicitur, & forma, caro, aut os. Quamcunque igitur partem augmentari, & adueniente aliquo, ſecundum formam quidem eſt poſſibile,*
e tex. 36. *ſecundum materiam autem non.* (e) *Oportet enim intelligere, quemadmodum ſi quis menſurabit eadem menſura aquam: ſemper enim alia, & alia, quæ generatur: ſic vtique augmentatur materia carnis: & non cuicumque partium aliquid adijcitur; ſed hoc quidem defluit, hoc autem aduenit; figura autem, & forma cuicum-*
f tex. 37. *que particula.* & mox. (f) *Quapropter eſt quidem vt quacumque pars carnis aucta ſit, eſt autem vt non; ſecundum formam enim cuicumque acceſſit; ſecundum materiam vero non.* Admonemus tamen, varietatem ſubiectorum non eſſe vniuſmodi; nam alia minus, alia magis varia ſunt; minus profecto varia ſunt, quibus aliquæ tantum partes diuerſæ ſunt, aliquæ communes; at maxime ſimpliciterque varia dicuntur, quorum nullæ partes communes exiſtunt, ſed omnes diuerſæ; modo partes integrantes materiam corporis Socratici non omnes diuerſæ ſunt in iuuene, atque ſene, nedum heri & hodie; ſed a vi-

tæ

tæ primordio ſemper vſque ad interitum eadem numero permanet aliqua portio ſubſtantiæ calidi naturalis, & humidi radicalis; quare non omnino varia, nec abſolute varia eſt materia Socratici corporis ante nutricatum & augmentum,& poſt. Ego vero dum aſſerui, nullam formam ſubſtantialem eandem numero poſſe ſucceſſiue perficere varia ſubiecta, nomine variorum ſubiectorum intellexi ſubiecta integra ſimpliciter varia inter ſe, quæ nullas omnino partes integrantes haberent communes; at eſſent ab inuicem alia; ſiquidem ſubiunxi; nam *ad aliam formam (g) alia materia* diſpoſita eſt; quæ vero materiæ ſunt aliæ, & ad aliam formam diſpoſitæ multo magis variæ ſunt ab inuicem, quam materia Socratici corporis in iuuentute,ac ſenectute ſemper ad eandem animam numero diſpoſita. Præterea varietatem illam ſubiectorum eo loco negaui formæ ſubſtantiali,quam conceſſi lumini;modo lumen poteſt idem numero ſucceſſiue colluſtrare varia diaphana, quorum ſuccedens nullam in ſe retineat omnino partem integrantem, quæ pra fuerit eadem numero prorſus in diaphano præcedenti: quare negaui form am ſubſtantialem eandem numero poſſe ſucceſſiue perficere varia ſubiecta totalia, ſecus atque Pythagoræi fabulantur eandem animam numero Socraticum corpus prius informare,deinde Plotinicum,deinceps Alcinoi,dein etiam Ficini,& vlterius ſemper omnino varia penitus corpora viuificare; quam ſententiam improbat (h) Ariſtoteles, vnicuique animæ proprium corpus aſſignans omnino diſtinctum a corpore cuiuis alij animæ ſubiecto; dicens, *Hi autem ſolum conantur dicere quale quid ſit anima: de ſuſceptiuo autem corpore nihil adhuc determinant; tanquam contingens ſit ſecundum Pythagoricas fabulas, quamlibet animam quodlibet corpus ingredi. Simile itaque dicunt aliquid, ſicut ſi aliquis dicat Tectonicam artem in Fiſtulas ingredi. Oportet enim artem quidem uti organis, animam autem corpore; videtur enim vnumquodque* corpus *proprium habere ſpeciem & formam*. Quare mihi vere dicitur, nulla forma ſubſtantialis eadem numero ſucceſſiue poſſe varia ſubiecta perficere; nam ad aliam formam alia materia diſpoſita eſt. Nec obeſt varietas abſte nunc obſeruata inter corpus ante nutritionem & poſt, immo nec inter iuuenile corpus & ſenile Socratis ab eadem anima numero ſemper informatum; quia non eſt iſta varietas abſoluta, quæ faciat corpus aliud iuuenis a corpore ſenis; de qua varietate aliud omnino faciente nos egimus in allato (i) loco.

g 2. phyſ. t.26.

h 1. de an. tex.53.

i 1. de lum. c.8.

Liceti Reſp. ad alteram difficultatem: ac oſtenditur, Vt idem numero lumen in varijs diaphanis, deinceps in eundem locum ſibi ſuccedentibus, ineſſe valeat,& non ineſſe, citra contradictionem. Cap. XXXIII.

De ſecunda vero tua difficultate, meam contradictionem inſimulante, duplicem afferre lubet reſponſionem; alteram quidem breuem, vt putà dialecticam: alteram vero diligentiorem, quippe ſcientificam,& acroamaticam. Porro Dialecticus in eo diſſidet inter diſputandum a ſcientifico; quod 1. *Solutio dialectica.*

iſte

iſte Demonſtratiuus ſemper veram ſibi ſententiam eligit & probandam in concluſionibus, & probatricem in præmiſſis: at vero Dialecticus veras concluſiones promiſcue probat ex veris pariter, ac ex falſis propoſitionibus, pro diſputationis oportunitate; ſiquidem verum non ſolum ex veris præmiſſis colligi poteſt, ſed etiam ex falſis. Quæ ſingula patent ex Ariſtotele ſcribente,

a 1. prio. c.2. (a) *Ex veris igitur non eſt falſum ratiocinari: ex falſis autem eſt verum; præterquam quod non propter quid, ſed quia:* & mox: *Ex falſis autem verum eſt ratiocinari: & vtriſque propoſitionibus exiſtentibus falſis, & vna: hac autem non vtralibet, ſed ſecunda, ſi totam accipiat falſam: ſi vero non tota accipiatur, eſt vtralibet.* & alibi

b 1. poſt. t.13. (b) *Propoſitio autem eſt, enunciationis altera particula, vnum de vno: Dialectica quidem, quæ ſimiliter accipit vtramuis: Demonſtratiua vero, quæ determinate alteram; quoniam veram. Enunciatio autem, contradictionis vtrauis particula.*

c tex.93. & infra, (c) *Si autem impoſſibile eſſet ex falſo verum monſtrare; facile vtique eſſet reſoluere,* &c. Quum igitur agens ego de natura & efficientia luminis vniuerſum opus in tres libros diſtinxerim: & illorum primum dicauerim examini opinionum alienarum, diſputans cum ijs, quorum placita non accipio; ſæpe perſonam induo Dialectici; ſicut & Ariſtoteles ipſe frequenter, dum Antiquorum ſententias expendit. Quare mirum eſſe non debet, ſi primo eo libello quandoque concluſiones veras probauero medio propoſitionis alicuius non ita veritati conſentientis: atque ſpeciatim loco nunc abſte producto Dialecticum egiſſe me, clare demonſtrat illa dictio, *diſputationi*, quæ non eſt omittenda, ſilentioque prætereunda; ſcripſi namque citatis verbis:

d 1. de Lum. c.12. p.46. (d) *Ad probationem primam primo diſputationi concedentes* &c. Verum enim vero ſi ſolutionem acroamaticam poſtulas a ſcientifico; iam ex me audies in meis dictis abſte

11. *Solutio ſcientifica.* propoſitis nullam ineſſe vere contradictionem; ſiquidem contradictio non eſt quælibet affirmatio & negatio oppoſita, quæ videatur haberi de ſubiecto quopiam; ſed, vt ait Ariſtoteles, contradictio eſt oppoſitio negationis & affirmationis rei eiuſdem prædicatæ de eodem omnino ſubiecto, ſecundum idem attributum, & ſignificatum; ait enim,

e 1. periher. c.4. (e) *Et ſit hoc contradictio, affirmatio, & negatio oppoſita; Dico autem opponi eiuſdem de eodem, non autem æquiuoce, & quæcunque cetera talium contra ſophiſticas determinauimus importunitates.* Modo nos in vtriſque locis non egimus de lumine ſecundum eandem rationem formalem, neque de numerica illius vnitate penitus eadem. Quare ſine contradictione potuimus de illo negationem & affirmationem oppoſitas afferre, veras vtraſque; ſiquidem primo luminis eſſentia, ratioque formalis non vna & ſimplex eſt, at gemina & duplex, ad caloris, & aliorum accidentium plurimorum diſcrimen; etenim lumen ſimul eſt accidens, vt calor: & ſpecies viſibilis, imagoque lucidi corporis præſentis; cuius præſentia fit & conſeruatur in eſſe; quum calor abſoluta qualitas exiſtat, & non alicuius imago rei. Lumen igitur vt accidens eſt, abſolutam naturam habet, & vnitatem ſui numerica ſortitur a ſingularitate ſubiecti diaphani, in quo ineſt velut in materia ſua determinata; quo ſane diaphano ſublato a præſentia rectitudineque lucidi corporis, illico lumen eius corrumpitur, ac in eo deſinit eſſe: lumen autem vt eſt imago, ſpeciesque lucidi præſentis, naturam habet, in eſſentiali relatione ad obiectum poſitam; & vnitatem ſui numericam obtinet

net

Digitized by Google

net a lucido corpore præſente ſingulari, cuius eſt imago; quo ſublato lumen idem corrumpitur, at permanente permanet neceſſario idem numero lumen. Quoniam vero plerunque fit vt a præſentia lucidi corporis eiuſdem remoueatur vnum diaphanum illuſtratum antea, cuius in locum ſuccedat aliud; proptere a lumen idem numero permanet profluens & conſeruatum ab eodem lucido præſente, ſub ratione ſpeciei ſuæ viſibilis & imaginis eiuſdem numero ſemper; non autem permanet idem numero varijs in illis diaphanis inuicem ſibi ſuccedentibus in locum, cui præſens eſt lucidum corpus, at omnino corrumpitur in ſingulis diaphanis a præſentia lucidi recedentibus. Neque mirum eſt, eandem rem ſub vna ratione formali corrumpi, ſub alia penitus incorruptibilem eſſe; nam hoc abſque contradictione protulit olim Ariſtoteles de vna & eadem materia prima dicens, (f) *Corrumpitur autem, & fit, eſt quidem vt ſic, eſt autem vt non: quatenus enim eſt id, in quo, ſecundum ſe corrumpitur; quod enim corrumpitur in hoc, eſt priuatio: quatenus autem ſecundum potentiam, non per ſe, ſed incorruptibilem, & ingenitam neceſſe eſt ipſam eſſe.* Qua ergo ratione materia eadem numero, ſi conſideretur vt eſt ſubiecta priuationi, & cum ea facit vnum numero compoſitum, eſt ſecundum ſe corruptibilis, & generabilis (nihil enim per accidens eſt generabile, vel corruptibile, decretis (g) Ariſtotelis) nam aduentu formæ, priuatio definit eſſe, corrumpiturque; ſimul & materia definit eſſe id in quo erat priuatio, perſeque corrumpitur compoſitum ex materia & priuatione, proindeque materia priuata, dum per ſe corrumpitur priuatio. Viceuerſa materia per ſe fit, dum abeunte forma, ſuccedit in materiam priuatio, cuius aduentu materia per ſe fit id, in quo eſt priuatio. Si vero ſpectetur materia ſecundum ſe, non vt eſt priuationi ſubiecta, cum ea compoſitum faciens vnum numero principium; at quatenus in ſe natura quædam ſimplex eſt a forma pariter & a priuatione contradiſtincta, & de ſe ſimpliciter in potentia ad vtram libet recipiendam, vere materia eſt neceſſario per ſe penitus incorruptibilis, & ingenita. Pari ſane ratione lumen vnum idem numero, quatenus eſt accidens inexiſtens in diaphano determinato, cui lucidum corpus præſens eſt; eatenus vere corruptibile per ſe, ac generabile prorſus eſt; corrumpitur enim in eo diaphano, quod abſcedit a præſentia lucidi; generatur viciſſim in eo altero, quod in locum eius ſuccedit, euaditque præſens lucido corpori. Quatenus autem lumen eſt imago lucidi præſentis, idem numero ſemper conſeruatur atque permanet in eiuſdem numero lucidi præſentia. Iam ergo ſine contradictione penitus vlla primo tractans de lumine, quatenus a lucido præſente prouenieus conſeruatur ab eo tanquam propria ſui ſpecies & imago, veram ſententiam protuli ſcribens, (h) *Lumen non mouetur ad motum diaphani; quia flabellis aere agitato, manet idem lumen, in quo eadem vmbra numero ſpectatur, ab eodem corpore opaco proueniens: ergo lumen non eſt forma ſubſtantialis. Deinde forma ſubſtantialis nulla eadem numero ſucceſſiue poteſt varia ſubiecta perficere; nam ad aliam (i) formam alia materia diſpoſita eſt: ſed idem numero lumen in aere diaphano ſucceſſiue perficit varias aeris partes motas in locum a lucido corpore illuſtratum; vt experimento conſtat: ergo lumen non eſt forma ſubſtantialis:* Inferius autem conſiderans ego lumen, prout eſt accidens in ſubiecto diaphano inexiſtens, veram itidem

f 1. phyſ. t. 82.

g 10. meta. t. vlt.

h 1. de lum. c. 8. p. 35.

i 2. phyſ. t. 26.

ſententiam enunciaui, dicens non idem numero lumen permanere in varijs diaphanis ad inuicem ſibi ſuccedentibus in præſentiam lucidi corporis; at omnino vetus corrumpi diaphano recedente ab ea præſentia, nouumque numero diſtinctum in altero perſpicuo procreari, quod ſit præſens illuminanti
k 1. de lum. c. 12. p. 47. corpori, verbis ipſiſſimis, abſte notatis, (k) *Ad ſecundum concedentes, nullum accidens diſcedere a ſubiecto permutato ad alium locum: negamus lumen ita recedere ab aere mutato in alium locum, vt remaneat idem numero in loco priſtino, quia qua ratione ſpecies & imago mei, degens in ſpeculo ante me poſito, euaneſcit ab amoto ſpeculo; & in alio ſpeculo rurſus ante me poſito noua producitur; eadem plane ratione lumen, quod eſt imago lucidi genita in perſpicuo, remoto aere corrumpitur, & nouum in ſuccedente aere progignitur; non autem vetus lumen ab aere priori recedit, & transfunditur in aerem poſteriorem ſubſequentem; quia non datur migratio formæ de vno in alterum ſubiectum.* Sic ergo nulla contradictione laboro, dum nego eidem lumini conſiderato prout accidens eſt inhærens diaphano ſubiecto multiplici; quæ prius illi conceſſeram, prout eſt imago viſibilis ab vno & eodem lucido præſente nata & aſſidue conſeruata. Præterea vero contradi-
III Solutio ſcientifica. ctionem tibi nunc apparentem tertio ſcientifica ſolutione alia tollimus, aſſeuerantes formas rerum in triplici claſſe collocari; nam aliæ ſunt omnino materiales, a materia prorſus dependentes, & inſeparabiles: aliæ contra penitus immateriales, atque ſemper a materia ſeparatæ: aliæ vero mediam quandam inter vtraſque naturam obtinentes, in materia ſunt aliquando, & aliquando ſunt ab ea ſeparatæ, vt anima rationalis; vel aliquomodo, ſecundum partem ſcilicet, ab ea ſeparabiles: vti lumen eſſe mox apparebit. Hæc autem tria formarum genera quoad ſui numericam vnitatem, principiumque nuncupatum indiuiduationis, atque ſingularitatis, eo differunt ab inuicem, quod formæ illæ primæ materiales omnino, ſingulæ ſui numericam vnitatem non aliunde ſuſcipiunt, quam a propria ſingularum materia, quam Scholæ ſigna-
l 2. phyſ. t. 26. tam atque ſecundam appellant: Quo nomine ſcribit Ariſtoteles, (*l*) *Ad aliam formam alia materia eſt*: & alibi definit, (*m*) *Vnum numero ea eſſe, quorum eſt vna*
m 5. meta. t. 5. *materia numero*. Quippe ſingulis iſtis vna materia ſignata, quibusque ſua propria peculiaris, eſt principium indiuiduationis; neque per aliud in eſſe indiuiduali conſtituuntur, quam per propriam materiam ſingularem, in qua inexiſtunt: ita calor iſte numero in iſta ſua materia eſt; alius in alia ſua propria. Formæ vero penitus a materia ſeparatæ non poſſunt per vllam materiam indiuiduari, nec ab vlla materia ſuam vnitatem numericam adipiſci; ſed eam a ſemetipſis obtinent; differunt etenim ſemetipſis ab alio quocumque. Formæ demum inter has mediæ numericam vnitatem ſuam, atque ſingularitatem obtinent ab vtroque principio ſuæ indiuiduationis; nimirum & a materia propria, quando ſibi coniunctam eam poſſident: & a ſemetipſis, vel a ſui cauſa genitrice, conſeruatriceve, quando procul abſunt a materia; ſic anima rationalis, dum in corpore degit, per ipſum indiuiduatur, a corpore vero ſeparata ſui numericam vnitatem obtinet a ſemetipſa; non autem ab vlla propenſione, quam habeat ad corpus; vt late probauimus in opere noſtro *De Anima ad corpus phyſice non propenſa*, & in volumine *De varia propenſione animæ ad corpus*. Quum itaque Lumen non ſit forma ſimpliciter

& om-

Digitized by Google

& omnino materialis, vt in libris *De Natura & Efficientia luminis*(n) oſtendimus abunde; nec non in opere *De Intellectu (o) agente*; neque forma penitus immaterialis, a materia ſeparata prorſus, aut ſeparabilis omnino; ſed mediæ naturæ, quæ non educitur ex poteſtate materiæ; verum illi forinſecus inducitur a generante lucido, & aſſiſtit proprie diaphano, a quo poteſt vtcumque ſeparari; propterea lumen ipſum ſui numericam vnitatem habet non ſolum a ſubiecta ſibi materia perſpicui, ſed etiam a ſemetipſo, ſeu potius ab vnitate lucidi corporis, a quo gignitur, & conſeruatur, & cuius eſt imago ſpeciesque viſibilis, immo cuius præſentia eſſe definitur ab Ariſtotele; ſcribit(p) enim lumen eſſe præſentiam lucidi corporis in diaphano. Quare ſuæ ſingularitatis, ac indiuiduationis, vnitatiſque numericæ principium non vnicum, ſed geminum obtinuit idem numero lumen; nempe ſingularem materiam perſpicui, quam actu perficit: & indiuiduam ſubſtantiam lucidi corporis, a quo prouenit & conſeruatur, cuiuſque præſentia eſt eſſentialiter. Quod inde quoque neceſſario colligitur, quia lumen, ad aliorum complurium accidentium diſcrimen, quæ non ſunt imagines, ſenſibileſque ſpecies vllius obiecti ſenſibilis, vna ſimul eſt (vt antea vidimus) & accidens in ſubiecto degens, & imago ſpeciesque viſibilis obiecti lucidi, a quo gignitur & conſeruatur: Atque ſane quatenus accidens eſt, lumen vnitatem ſui numericam habet a ſingularitate ſubiecti ſui perſpicui: quatenus autem eſt imago, ſpeciesque viſibilis vna numero repreſentatrix obiecti lucidi, ſui ſingularitatem adipiſcitur ab vnitate numerica lucidi corporis, cuius eſt idolum, atque ſimulacrum. Quæ quidem vna numero ſpecies, vnius lucidi repreſentatrix, multiplicatur ad numerum perſpicuorum, in quibus velut accidens recipitur; non ſecus ac vna numero prorſus anima tum vegetalis in planta, tum ſenſualis in angue, multiplicatur ad entomi ſtirpiſque diuiſionem in partes plures omnino diſcretas, atque reali diuiſione ſeparatas omnino; ſicut ait Ariſtoteles (q) alicubi. Dum igitur olim agens de lumine(r) conſtitui, lumen non moueri per accidens ad motum diaphani, quia flabellis aere agitato, maneat idem numero lumen, in quo ſimul eadem vmbra numero ſpectatur, ab eodem corpore opaco quieſcente producta: dixique lumen idem numero in aere diaphano ſucceſſiue perficere varias aeris partes motas in locum a lucido corpore colluſtratum: tractaui tunc ego de luminis vnitate numerica, ſingularitateque naturæ, quæ illi non a ſubiecta materia diaphani prouenit, ſed ab vnitate lucidi corporis, a quo præſente gignitur & conſeruatur, & cuius præſentia lumen eſſe definitur: ſiue quoque, ſi placet, a propria natura luminis indiuiduali, qua lumen ipſum non dependet a materia. Cuius quidem theoriæ documentum habent (etſi procul a vero ſententiam ponant) Pythagorici, ponentes eandem animam numero ſecundum ſe, nunc vnum corpus humanum Platonis informare: deinde ſucceſſiue corpus aliud animare Plotini: nec abnuas exemplum manifeſtationis accipi nunc a doctrina non vera; quia modum quærimus, & rei dilucidationem, non ſubiectum, vt ait (ſ) Ariſtoteles; qui falſa ſimiliter exempla veris (t) anteponit, vbi rem apertius explicent. Quod ſi veris exemplis agendum ſit, ea deſumi poterunt a Platone clara ſimul & a Theologis noſtris; apud quos non vnis

n l.2.c.9.
l.3.c.5.
o l.5.
p 2. de an. t.69.
q 2. de an. t.10.
r l.1.c.8.
ſ 1. de gen.
t 1. phyſ. t.76.

X 2 ex-

Digitized by Google

experimentis & obſeruationibus conſtat, mortuorum animas reaſſumpto cadauere tam proprio, quam alieno, quin & aereo corpore, viuentibus apparere, cumque ijs loqui, & conuerſari: Quod etiam Angelis beatis, quin & malis Dæmonibus incubis, atque ſuccubis contingit, deinceps varia corpora ſucceſſiue quomodolibet actuare. Sed hæc alius conſiderationis in præſentia ſatis eſt attigiſſe, ac in exemplum adduxiſſe, propter apertam luminis cum anima rationali cognationem: de qua luculenter Ariſtoteles ali-
u 3. de an. quando lumen comparans cum Intellectu agente, ſcribit aiens, (u) *Et eſt in-*
t.18. *tellectus hic quidem talis, in omnia fieri; ille vero, in omnia facere: ſicut habitus quidam, quale eſt lumen; quodammodo enim & lumen facit potentia exiſtentes colo-*
x 1.de lu., *res, actu colores.* Dum autem poſtea (x) conſtitui, lumen moueri motu cor-
c 12.p.46,, ruptionis, & generationis, quia dum perſpicuum illuminatum abit extra lo-
,, cum illuminatum, ſecum non defert lumen, quo illuſtrabatur, ſed patitur ip-
,, ſum extingui procul a conſeruante luce; ſeu non in directum genitrici luci;
,, quæ ſtatim illo priore corrupto, nouum lumen generat in alio perſpicuo, in
y pag.47 ,, ablati locum ſuccedente: Dumque mox (y) etiam negaui, Lumen ita rece-
,, dere ab aere mutato in alium locum, vt remaneat idem numero in loco pri-
,, ſtino; quia qua ratione ſpecies & imago mei, degens in ſpeculo ante me po-
,, ſito, euaneſcit ab amoto ſpeculo, & in alio ſpeculo rurſus ante me poſito no-
,, ua producitur: eadem plane ratione lumen, quod eſt imago lucidi genita in
,, perſpicuo, remoto aere corrumpitur, & nouum in ſuccedente aere progigni-
,, tur; non autem vetus lumen ab aere priori recedit, & transfunditur in poſte-
,, riorem ſubſequentem; quia non datur migratio formæ de vno in alterum
,, ſubiectum: hæc inquam dum aſſerui, ſemper egi de luminis vnitate numerica, ſingularitateque naturæ ſibi a ſubiecto diaphano communicata, non autem de luminis eſſentia prout a lucido corpore prouenit, conſeruatur, & eius præſentia dicitur eſſe; nam vere dum aer illuminatus extra locum illuſtratum abit, ſecum non affert lumen, ſed patitur illud extingui procul a conſeruante luce, ſeu extra rectitudinem lineæ prouenientis a corpore lucido illuminante; ſed lumen id non extinguitur abſolute, verum extinguitur in aere abſcedente; quia deſinit in eo eſſe, ac ipſum perficere: quum idem numero permaneat in loco rectitudinem erga lucidum præſens obtinente. Similiter in aere nouo ſuccedente in locum expulſi dicitur nouum lumen generari, non quia nouus abſolute producatur, ſed quia nouus fit in illo aere poſt accedente, in quo nuper non inerat lumen; quemadmodum intellectrix anima ſecundum Ariſtotelem præexiſtens ante corporis conſtitutionem, *innaſci* dicitur, non quia ſimpliciter & omnino naſcatur, ſed quia intus in corpore naſcitur, dum corpus efformatum fuerit in vtero; dicit enim Ari-
z 1.de an. ſtoteles: (z) *Intellectus videtur innaſci,* (quod alia lectio vertit, *inſieri*) *ſubſtan-*
t.65. *tia quadam exiſtens, & non corrumpi; maxime enim corrumperetur vtique ab ea, quæ eſt in ſenio, debilitate; nunc autem, quemadmodum in ſenſorijs accidit; ſi enim acciperet ſenex oculum talem, & videret vtique ſicut & iuuenis: Quapropter ſenium non eſt, quia ſuſtinuit aliquid anima: ſed id, in quo: ſicut in ebrietatibus, & morbis.* Sophianus vertit: *Intellectus autem videtur accedere; ac ſubſtantia quadam eſſe, nec interire.* Arabica tranſlatio legit: *Intellectus autem videtur*

eſſe

eſſe ſubſtantia aliqua, quæ fit in re, & non corrumpitur. Nimirum Ariſtoteles, qui late confirmauit alias, (*a*) omne incorruptibile eſſe ingenitum, & om- *a* 1. cæl. t. ne ingenitum eſſe incorruptibile: ponens hic (*b*) intellectum *non corrumpi*, 110. & ſe- dum ait ipſum *innaſci*, ponit ipſum abſolute non naſci de ſe, ſed in corpore quentib. naſci, dum ad corpus accedit, ac illi iungitur in formam, quod eſt intus na- *b* 1. de an. ſci, & *infieri*, ſiue *fieri in re*; qui propterea dum a corpore ſeparatur, eodem t. 65. ſenſu dici poteſt corrumpi in corpore, quia deſinit eſſe in illo; ſicuti dum materia ſeparatur a priuatione, dicitur ab Ariſtotele corrumpi, quia deſinit *c* 1. phyſ. eſſe ſub illa: licet quum abſolute non deſinat eſſe noſter intellectus, neque t. 82. materia, vere dicitur vtrumque non corrumpi ſimpliciter. Non aliter ego dudum de lumine ſcripſi; fieri ſcilicet lumen in aere ſuccedente in locum præſentem lucido corpori, & corrumpi in aere recedente a præſentia lumi- noſi corporis; quum abſolute lumen illud non corrumpatur, neque nouum generetur; ſed ſemper idem numero ſit in eadem numero præſentia corporis eiuſdem lucidi. Conſimiliter imago, ſpeciesque viſibilis mei vultus im- preſſa ſpeculo ante me poſito, quatenus in eo degit, ac ſecundum ſui ſingula- rem exiſtentiam in ipſo, ſpeculo illo amoto a mei præſentia, non amplius conſeruatur in eius ſuperficie; ſed euaneſcit ab ipſa: ceterúm quatenus meam vnam & eandem faciem repreſentat, & ab ore meo præſente genita conſeruatur, eadem numero permanet in medio. Et in alio ſpeculo rurſus ante me deinde poſito noua quidem producitur, nouamque ſingularem exi- ſtentiam in illo ſibi conquirit: etſi ſecundum ſe ſit eadem, quæ ſemper a meo vultu primum genita conſeruatur in medio præſente. Pari ſane ratio- ne lumen, quod eſt imago lucidi præſentis in perſpicuo, remoto ab ea præ- ſentia tali aere, dicitur in eodem aere corrumpi, quatenus deſinit in eo eſ- ſe, qui remouetur a præſentia lucidi: & apte quoque dicitur procreari no- uum in aere ſuccedente in præſentiam lucidi, quatenus in eo incipit eſſe, in quo nondum fuerat antea: etiamſi ſit idem omnino, quod antea ſemper in medio genitum a lucido præſente conſeruatum eſt. Quod quidem lumen in priore perſpicuo degens antea, non recedit ab aere priori, neque tranſ- funditur idem numero in aerem poſterius accedentem: attamen ſingulari- tate, numericaque vnitate, ſiue indiuiduitate, quam habebat in aere prio- ri, & ab eo conquiſitam, deſtituitur; quia ſic vere non datur migratio for- mæ de vno in alterum ſubiectum. Sed ſi ſumatur lumen ſecundum pro- priam naturam independentem a ſubiecto, ſiue non in habitudine ad ſubie- ctum, ſiue non vt eſt accidens; ſed penes eam ſingularitatem, ac vnitatem numericam, quam habet in ſe, dependentemque ſui naturam a lucido, cuius eſt imago, in ea prioritate naturæ, quæ præcedit ſubiectum diaphanum, cui a lucido præſente communicatur, & imprimitur, idem numero lumen ab eodem numero lucido præſente communicatur varijs diaphanis ſucceden- tibus inuicem in eandem eiuſdem lucidi præſentiam; non ſecus ac eadem anima numero communicatur varijs alimenti partibus, aſſidue per actum nutricationis & augmenti forinſecus accedentibus, & agglutinatis vnicui- que particulæ viuenti, quæ nutritur, & augetur: atque viceuerſa eadem nu- mero anima recedit ac deſinit eſſe in partibus corporis animati; quæ ſenſim

ſine

ſine ſenſu ingiter e corpore defluunt per inſenſibilem tranſpirationem a Mecis appellatam. Quare nulla penitus eſt contradictio, ponere lumen idem numero manere in aere flabellis agitato, perſiſtereque varias aeris partes ſucceſſiue delatas in locum a lucido corpore præſente colluſtratum, loquendo de ſingularitate, indiuiduitate, identitateque numerica, quam lumen habet ex ſe, ſiue ab obiecto lucido præſente, cuius eſt imago: & ponere lumen idem numero non remanere in aere ſuccedente, quod præfuerat in aere prius amoto a præſentia lucidi; ſed corrumpi, deſinereque veteris aeris lumen, atque nouum produci in aere nouiter ſuccedente in locum aeris amoti a præſentia lucidi; loquendo de numerica identitate, quam habet lumen, non ab obiecto, cuius eſt imago, ſed a ſubiecto, in quo inhæret, velut accidens in materia ſubſtrata; ſiquidem, vt notaui ſuperius ex Ariſtotele, (d) Contradictio non eſt quælibet affirmatio & negatio oppoſitæ; ſed affirmatio & negatio oppoſitæ eiuſdem prædicati, de eodem ſubiecto, ſecundum idem attributum & ſignificatum. Idcirco dicentes modo, lumen idem numero vetus permanere in aere priſtino, ſimiliter & in aere alio nouiter ſuccedente in locum prioris ablati e conſpectu præſentiaq. lucidi corporis: modo lumen idem numero vetus non permanere in aere priore, ac in poſteriore ſuccedente in locum prioris aeris ablati de præſentia lucidi corporis, ſed vetus lumen prioris aeris corrumpi, & nouum gigni in aere ſuccedente: hæc inquam dicentes, nulla contradictione laboramus; quia non agimus vtrobique de vniuoca prorſus & eadem vnitate numerica luminis, at omnino de diuerſa & æquiuoca; ſiquidem primo tractauimus de luminis vnitate numerica, quam lumen vt accidens obtinet ab vnitate numerica, ſingularitateque ſubiecti diaphani, nimirum aeris determinati; qui eſt materialis cauſa luminis: deinde vero peregimus de luminis vnitate numerica longe diuerſa, quam ſcilicet obtinet lumen ab ipſomet obiecto lucido præſente, tanquam a ſui cauſa procreatrice ſimul & conſeruatrice. Quarum vnitatum numericarum diuerſitas in eo conſiſtit, tum quod illa prior variabilis eſt, ad varietatem materiæ diaphanæ ſuccedentis aſſidue nouæ in locum a lucido præſente colluſtratum: iſta poſterior inuariabilis eſt, ſemper ab eodem lucido præſente producta & conſeruata in eadem ſui ſpecie viſibili, quæ lumen eſt: tum quod illa prior vnitas numerica luminis agnoſcit ſui principium vnitatem numericam ſubiecti diaphani; ſed iſta poſterior habet pro ſui principio numericam vnitatem obiecti lucidi, cuius idem numero lumen eſt viſibilis imago, ſpeciesque ſenſibilis vna & determinata.

d 1. periher. cap. 4.

Sic ergo cenſeo, ſubtilis Hoſi, tuæ geminæ dubitationi ſatisfieri poſſe. Tu mea cogitata boni conſule, ac me ama. Dabam ex ædibus meis in ocio Patauino VI. Cal. Septembris M DC LIV.

De nomine LITEOSPHOROS, vtrum apte conueniat Lapidi-Lucifero. Cap. XXXIV.

AL M. Ill. & Ecc. Sig. Fortunio Liceti, Bologna. Il ſuo libro della Pietra Bologneſe, inſieme con l'amoreuole ſua lettera, mi fù dato tardi qui

in

in Venetia, doue mi ritrouo al preſente. Et perche voleuo leggerlo prima, lo diedi a legare: & la coſa andò tanto alla lunga, che non le ho potuto far fin hora li douuti ringratiamenti, nè dirle i miei ſentimenti attorno queſta opera; nella quale, benche in tutte le altre ella ſi ſia fatto ammirare dalli più dotti, mi pare in queſta ſi ſia ſuperata ſe ſteſſa, & fatto degno di portar il titolo di Eminente, tanto queſto ſuo libro è pieno di varia & rara eruditione, & ſi numeroſo in citationi d'Autori, che la ſola lettura di queſta opera può render vn'huomo più che mediocremente dotto; & ſe la pietra Bologneſe è vna merauiglia nella natura, il ſuo libro ſi può meritamente chiamar la merauiglia delle merauiglie. Solo haueret voluto che il ſuo titolo foſſe ſtato *Lithophoros*, che coſi ſogliono i Greci componer i vocaboli, leuando il ſigma del nominatiuo, ſi ne i nomi della terza declinatione, come è queſto, dicendo *Chriſtophoros*, *Theophilos*, *Lithoſtrotos*; come anche in quelli, che vengono dalla quinta: come *Anthologia*, *Mythologia*, &c. Ma non creda per queſto V. S. che io voglia far il Cenſore, perche profeſſo di dirmi più preſto ammiratore delle ſue opere, che riprehenſore. L'Eccellentiſs. Sig. Ambaſciator noſtro le potrà far fede come io parlai nella ſua tauola molto honoratamente & auantaggioſamente di lei; & S. E. ſi è moſtrata molto deſideroſa di veder qualche pezzetto della Pietra Bologneſe. Se V. S. ſe ne manderà qualcheduna, che ſia delle buone, egli l'hauerà a ſommo fauore. Fra tanto bacio a V. S. le mani, & mi eſſibiſco per hora & per l'auenire Di V. S. M. Ill Deuotiſs. & Obligatiſs. Seruitore Scipion di Granmonte. Di Venetia, alli 28. Gennaio 1640.

Quæ vertebat ita filius Latine viris Italica non audientibus.

Perill. & Exc. D Fortunio Liceto, Bononiam. Liber tuus de Lapide Bononienſi, vna cum amore plenis literis tuis, poſt multos dies mihi redditus eſt Venetijs, vbi nunc dego. Et quia volebam eius lectionem præmittere gratiarum actioni, librario compaginandum dedi: Et in hiſce rebus tantum temporis inſumptum fuit, vt hactenus nequiuerim debitas reddere grates, neque tibi mea ſenſa de hoc opere ſignificare. In quo quidem (etſi cetera tua volumina mirabilem de te conceptum pepererint apud Doctiores) mihi videris tu temetipſum ſuperaſſe, dignumque reddidiſſe, qui titulum ſuſtineres Eminentis; adeo refertus eſt iſte liber varia & rara eruditione: adeoque citationibus Autorum affluens, vt ſola lectio præſentis operis hominem reddere valeat doctum ſupra mediocritatem: Sique Lapis Bononienſis admirabile quid eſt in natura rerum, liber tuus merito nuncupari poteſt admirabilium admirabilitas. Id tantum voluiſſem, eius titulum extitiſſe, *Lithophoros*; quod ita ſoleant Græci componere vocabula, detrahentes ſigma nominatiui, tam in nominibus tertiæ declinationis, quale hoc eſt, dicentesque, *Chriſtophoros*, *Theophilos*, *Lithoſtrotos*; quam etiam in ijs, quæ proueniunt a quinta, ſicut *Anthologia*, *Mythologia*, &c. Ceterum non ideo credas, me velle Cenſorem agere tui voluminis; quia profiteor eſſe me potius admiratorem, quam reprehenſorem tuorum operum. Excellentiſs. Dominus Orator noſter fidem tibi facere poterit, me ad eius menſam de te perhonorifice, ſublimiterque locutum fuiſſe. Percupidum ſe nobis oſtendit Vir

Exc.

Exc. videndi fruſtulum aliquod lapidis Bononienſis: ſi tuo munere conſequi poſſet lapillum ex præſtantioribus, recipiet id loco ſummi fauoris. Interim exoſculor tibi manus, & exhibeo me nunc & in poſterum Dominationis Veſtræ Perilluſtris Deuotiſſimum & obligatiſſimum Seruum *SCIPIONEM A GRANDIMONTE*. Venetijs XXVIII Ianuarij MDCXL.

Reſp. Lic. Nomen LITHEOSPHORVS apte ſignare Lapidem-Luciferum oſtendentis. Cap. XXXV.

AL M. Ill. &c. Sig. Scipion di Granmonte. Venetia. Le lodi, che V.S. dona al mio *Litheoſphoro*, inquanto prouengono dal ſuo purgatiſſimo giuditio, mi ſono cariſſime, & me lo fanno pregiar molto: inquanto poſſono eſſer aggrandite dall'amore che mi porta, mi ſono anche grandemente care, come teſtimonio della ſua affettione. Le rendo poi gratie di ciò che mi auiſa intorno al nome *Litheoſphorus*, di leuare il ſigma di mezo: Nel che mi occorre dirle, che hauendo io hauuto intentione di ſignificare con vn ſol nome compoſto *Lapidem-Luciferum*, non ho creduto di poter ciò fare con il compoſto di due ſole voci Greche *Lithophoros*; perche queſto non ſignifica la luce, ma ſolamente vuol dire, *Lapifero, o Lapidifero*: come *Chriſtophoros*, *Chriſtoforo*: che non fà al propoſito mio: Perche il nome del mio libro a bello ſtudio non è ſtato da me compoſto di due voci ſole Greche, *Lithophoros*; ma di tre, che ſono, *Lithos eos-phoros*, volendo ſignificare lo ſteſſo che, *Lapis-Lucem-ferens*, o ſia pure *Lapis-Lucifer*; ſi che ſi e leuato il ſigma di *Lithos*, & laſciato quello di *Eos*; anzi ſi è leuato l'omicron di *Lithos* inſieme col ſigma. Oltre che *Phoſphoros*, che ſignifica *Lucifer*, ritiene il ſigma del nome *Phos* nel ſuo compoſto, che ſi ſarebbe potuto imitare. Parimente *Lucifer* da Heſiodo nella Theogonia, & da Platone ben due volte nell'Epinomide, vien detto col nome *Eoſphoros*. Il Poeta v. 381. *Tus dei met' aſtera tictin eoſphoron erigeneia*. cioè, *Poſt hos ſtellam genuit Luciferum Aurora*. Il Filoſofo, *Hjliu t'ein ca eoſphoru*, cioè, *Solis dico & Luciferi*. Et poco doppo, *Ho men gar Eoſphoros Heſperos te ho autos ein*. cioè, *Lucifer enim, qui & Heſperus eſt*. Et queſto V.S. hauerà potuto veder notato da tutti i Leſſici. Si che ſe non ſarebbe ſtato errore chiamar il mio libro col nome *Lithophoſphorus*, coſi penſai, che non foſſe male l'intitolarlo *Litheoſphorus*; ma feci elettione del *Litheoſphorus*, parendomi più dolce; ſentendo in quel geminato *pho-pho* del *Lithophoſphorus* non sò che di cacophonia. Per il che credo di non hauer errato nel compoſto nome *Litheoſphorus*, formandolo di tre voci, *Lithos-eos-phoros*, con hauer tolto via dalla prima l'omicron & il ſigma, volendo ſignificare, *Lapis-Lucifer*; anzi prendendo da Platone & Heſiodo *Eoſphoros*, & anteponendoui *Lithos*, con leuargli le due vltime lettere *os*. Con tutto ciò io rimetto la correttione al ſuo giuditio, dal quale io non deuo diſcoſtarmi, nè allontanarmi punto. Le reſto poi con obligo di quanto V. S. mi ha fauorito preſſo l'Eccellentiſs. Sig. Ambaſciatore: tutto effetto della ſua molta corteſia. Procurerò di trouar pietra da mandar a S. E. In queſto punto non ne hò; perche mi è conue-

nuto

Digitized by Google

nuto mandarle tutte fuori: Chi le prepara, ne ſtà calcinando; ma come che poche ne rieſcano, ſendo morto chi le ſapeua ben cuocere; vedrò di fare il poſſibile per ſeruire S.Ecc. Fra tanto V.S. mi conſerui nella ſua buona gratia, che io ſtò pregandole dal Cielo quanto deſidera. Di Bologna 31. Gennaio 1640. D.V.S.M.Ill. Deuotiſs.& obligatiſs.Seru. Fortunio Liceti. Quæ ſic Latina faciebat filius.

Perill.&c. Dom. Scipioni a Grandimonte. Venetias. Laudes, quibus meum Litheoſphorum exornas, qua proueniunt a tuo purgatiſſimo iudicio, gratiſſimæ mihi ſunt, & augent meam de libello exiſtimationem; qua vero poſſunt augmen habere a tua erga me beneuolentia, mihi ſunt etiam pergratæ, ceu teſtes amoris, quo me proſequeris. Gratias ago deinde tibi de admonitione circa nomen *Litheoſphorus*, e quo velles me ſuſtuliſſe intermedium ſigma. Qua quidem in re mihi dicendum occurrit, quod quum in animo habuerim ſignificandi vno ſolo nomine compoſito *Lapidem Luciferum*; non exiſtimaui poſſe me id conſequi compoſito ex duabus tantummodo Græcis vocibus *Lito-phoros*; quia nomen iſtud non ſignificat *Lucem*, ſed ſolum ſignat *Lapi ferum*, aut *Lapidi-ferum*, vti *Chriſtopheros Chriſto-phorum*; quę ſignificatio non eſt ad meum propoſitum idonea. Siquidem nomen operis mei dedita opera non fuit a me compoſitum ex duabus tantum vocibus Græcanicis *Lito-phoros*, verum ex tribus, quæ ſunt *Lithos-eos-phoros*, dum ſignificare volui, *Lapis-Lucem-ferens*: aut *Lapis-Lucifer*; quare ſublatum eſt ſigma nominis *Lithos*, & relictum ſigma vocis *Eos*; immo, ſublatum fuit omicron vocabuli *Lithos*, nedum eiuſdem ſigma. Præterea *Phosſphoros*, quod nomen ſignificat *Lucifer*, conſeruat ſigma vocabuli *Phos* in ſuo compoſito; quod imitari potuiſſem. Itidem *Lucifer* ab Heſiodo in Theogonia, nec non a Platone bis in Epinomide ſignificatur vocabulo *Phoſphoros*: Poeta quidem ait ver. 381.

„ *Tus met' aſtera tictin eoſphoron erigeneia.* hoc eſt,

„ *Poſt hos ſtellam genuit Luciferum Aurora.*

Philoſophus autem, *Hjliu t' ein ea eoſphoru.* ideſt, *Solis dico & Luciferi.* & paulo poſt, *Homen gar Eoſphoros Heſperos te ho autos ein*. quæ vertuntur ita, *Lucifer enim, qui & Heſperus eſt*. & hoc notatum ab omnibus Lexicographis obſeruare potuiſti. Quare ſi non deliquiſſem appellans meum volumen *Lithophoſphorus*; ita cenſui non male vſurpari poſſe titulum *Litheoſphorus*; aſt electus a me fuit *Litheoſphorus*, in quo dulciorem ſonum audire mihi viſus ſum, audiens in illo geminato *pho pho Lithophoſphori* neſcioquid cacophoniæ. Quamobrem arbitror me non erraſſe in nomine compoſito *Litheoſphorus*, ipſum formans ex tribus vocabulis, *Lithos-eos-phoros*, cum ablatione a primo duarum literarum, omicron dico & ſigma; quum animus mihi fuerit eo compoſito ſignificare, *Lapis-Lucifer*: Immo recipiens a Platone ſimul & ab Heſiodo, *Eoſphoros*; & huic nomini præfigens *Lithos* cum ablatione poſtremarum literarum Nihilominus ego remitto correctionem ad tuum iudicium, a quo recedere non debeo, nec hilum procul abire.

Multa dein obligatione me tibi deuinctum ſentio, propter ea, quæ de meis libris perhonorifica locutus es apud Excellentiſs. Oratorem Regis

Y Chri-

Chriſtianiſſimi; quæ prodierunt a magna tua humanitate ac vrbanitate. Curabo reperire lapillum perfectioris notæ, quem mittam E.S. Nunc apud me nihil boni reperitur; quia quos habebam, omnes oportuit me peregre tranſmittere ad pleroſque viros magni nominis. Qui lapillos præparare conſueuit, in præſentia calcinationem ipſorum vrget; etſi non multi prodeant e clybano perfecti magiſterij; quum diem obierit alter, qui probe moliebatur id operis: omni conatu nitar, vt Exc. Orator voti compos fiat. Interim vale, & me ama. Dabam Bononiæ, prid. Cal. Februar. M D C X L.

De eodem nomine Litheoſphorus iudicium Cl. Viri Naudæi, & aliorum inſignium virorum. Cap. XXXVI.

ISta vero quum ego communicaſſem Cl. Gabrieli Naudæo, cum quo res omnes fere meas literarias id generis communes habere ſoleo, reſcriptum huiuſmodi ab eo tuli,

Al M.Ill &c. Sig. Fortunio Liceti, Bologna. La lettera del Sig. Scipion
di Gran-monte con la riſpoſta di V. S. è venuta molto a propoſito; poiche
il Sig. Holſtenio, quando li diedi l'eſemplare ſuo, mi fece quaſi ſimile obiet-
tione ſopra il titolo, dicendo che non li pareua ben compoſto, per riſpetto
di quello *Litheos*; & il ſimile mi haueua detto aſſai prima il Sig. Leone, quale
1 hauerebbe deſiderato che V. S. più preſto haueſſe chiamato *Phengites Bono-
nienſis*, o vero *Lithophoſphorus*, douendo queſta eſſer la vera compoſitione di
parole che poteuan eſprimere il contenuto nel libro ſuo: & io ancora (a dir-
2 gli liberamente il mio parere) ſtauo dell'iſteſſa opinione; perche ſe la caco-
phonia non è biaſimata in quella parola *Phoſphorus*, anzi riceuuta da tutti
li buoni Autori, manco correua riſico di eſſer cenſurata nel libro di V.S. Ma
perche gli ſcriuo ſempre in fretta, & perche la coſa era fatta, & conſiſteua
ſolamente nella varietà de i giuditij, o più preſto de i guſti, non mi ſon mai
ricordato di farnegli motiuo alcuno. Hora ſopraggiunta queſta occaſione
delle oppoſitioni del Sig. di Gran-monte, & delle riſpoſte di V. S. ho com-
municato tutta queſta materia al Sig. Leone; il quale reſta d'accordo che il
Sig. Scipione può reſtar ſodisfatto delle riſpoſte, che gli dà V.S. perche ſono
buoniſſime, & molto a propoſito, & concludono euidentemente in fauor
ſuo; moſtrando bene quanto ſia difficile di voler ridurre ogni coſa ſotto cer-
te regole grammaticali, che patiſcono mille eccettioni: Et in ſomma pote-
ua il Sig. di Gran-monte far di meno che di cercare quel pelo nell'Ouo.
3 Ma nè manco detto Sig. Leone reſta ſodisfatto del titolo *Litheoſphorus*, di-
4 cendo che *Eos* ſignifica più preſto l'Aurora, che la luce; & che la ſillaba *Lith*
5 ſenza le due altre lettere, o almeno l'omicron, non ſignifica niente: & che
6 nell'*Eos* non ſi deue mettere l'iota ſottoſcritto. Et la concluſione ſua è, che
V.S. non doueua vſcire dal *Lithophoſphorus*, mentre non era ſottopoſto a neſ-
ſuna cenſura, o equiuocatione. Quanto a me credo liberamente che ſareb-
be ſtato il meglio: & per le obiettioni di detto Signore, quella ſolamente

mi

Digitized by Google

mi dà faſtidio, che *Eos* non ſignifichi propriamente la luce, ma ſolamente 7
Lucifer, matutinus, exoriens; ſi come io trouo nel mio Leſſico; perche eſſendo
queſto, ſarebbe non ſolamente ambigua, ma anche ſuperflua quella compo-
ſitione. Per le altre obiettioni, d'hauer leuate troppo lettere, e ſcritto l'iota
ſottoſcritto, *nihili eas facio, tanquam omnino leues, & de quibus non inter ſe con-
ueniunt Grammatici, neque forſan autores inter ſe, a quibus exempla duci poſſunt.*
Lunedì, che ſi deue riportare certi libri al Sig. Holſtenio, gli moſtrerò la let-
tera apologetica, & ne cauerò il ſuo giuditio in quanto mi ſarà poſſibile.
Et fra tanto mi rallegro ch'ella ſi ſia coſi valentemente difeſo dalle oppoſi-
tioni del Sig di Gran-monte, &c. Di Roma li 11. Febr. 1640. Di V.S. &c.
Seru. deuot. & oblig. Gabriele Naudeo.

Quam epiſtolam filius ita Latio donabat, iuſſu meo ſe ſe in huiuſmodi
ſtudijs exercens. Perill. &c. D. Fortunio Liceto, Bononiam. Epiſtola
D. Scipionis a Grandimonte, cum tua reſponſione, peroportune venerunt;
etenim D. Holſtenius a me recipiens ſuum exemplar, conſimile quid obij-
cere viſus eſt illius titulo, non approbans eius compoſitionem, ob illud
Litheos: & idem fere multo prius mihi ſignificauerat D. Leo, qui peroptaſ-
ſet abſte potius titulum *Phengites Bononienſis*, aut *Lithophoſphorus*; quum hæc 1
vera debeat eſſe compoſitio vocum, quæ poterant exprimere tui voluminis
argumentum. Et ego pariter (vt ingenue tibi meam mentem aperiam) cum
illo ſentiebam; quia ſi cacophonia non culpatur in dictione *Phoſphorus*; im-
mo recipitur ea vox ab omnibus Claſſicis; non erat obnoxia cenſuræ in ope-
re tuo. Sed quia ſemper feſtinanter ad te ſcribo, & res acta iam fuerat, &
agebatur ſolummodo de iudiciorum, vel potius guſtuum varietate; nun-
quam recordatus fui de propoſito tecum verba facere. Nunc receptis a te
Grandimontanis oppoſitionibus, tuisq. reſponſis, communicaui totum ne-
gocium D. Leoni; qui fatetur D. Scipionem poſſe tuis reſponſionibus ac-
quieſcere; quod optimæ ſint, & valde faciant ad propoſitum; & euidenter
ad tui fauorem concludant: Vnde patet, quam difficile ſit, omnia redigere
velle ad certas regulas Grammaticales, quæ mille patiuntur exceptiones. Et
vno verbo, poterat D. a Grandi-monte prætermittere inquiſitionem pili il-
lius in Ouo. Ceterum neque D. Leoni ſatisfacit titulus *Litheoſphorus*; in- 3
quiens, *Eos* denotare potius Auroram, quam lucem: & ſyllabam *Lith*, abſq; 4
duabus alijs literis, aut ſaltem abſque omicron, nihil omnino ſignificare:
& in vocabulo *Eos*. non eſſe ſubſcribendum iota: & denique concludit, tibi 5
recedendum non fuiſſe a nomine *Lithophoſphorus*; dum id obnoxium non erat 6
vlli cenſuræ, vel æquiuocationi. Ad me quod attinet, ego libere conſentio
D. Leoni; cuius obiectionum illa ſola me turbat, quod *Eos* non ſignificet pro-
prie lucem, ſed ſolum *Lucifer, matutinus, orientalis*, quemadmodum inuenio
in meo Lexico. Quod quum ita ſit, non ſolum ambigua, ſed etiam ſuperua-
canea eſſet illa compoſitio. Reliquas obiectiones de nimia literarum abla-
tione, deque iota ſubſcripto, nihili facio, tanquam omnino leues, & de qui-
bus non inter ſe conueniunt Grammatici, neque forſan Autores inter ſe,
a quibus exempla duci poſſunt. Die Lunæ proxima, qua perferri debent
aliquot libri ad D. Holſtenium, oſtendam ei literas apologeticas, de quibus

iudicium viri, quantum per me fieri poterit, expiſcabor. Et interim gratulor, te adeo ſtrenue tuum Litheoſphorum defendiſſe ab oppoſitionibus D. a Grandimonte, &c. Vale, Romæ, xı. Februar. M DC XL.

Reſp. Lic. Nouas iſtas ad Litheoſphori nomen obiectiones expendentis. Cap. XXXVII.

AL M. Ill. &c. il Sig. Gabriele Naudeo, Roma. Io reſto molto obligato
a V. S. & al Sig Leone delle oſſeruationi, che fanno intorno al nome
Litheoſphorus, poſto da me al mio libro *De Lapide Lucifero Bononienſi*, mentre
io volli ſignificare con vna parola ſola, *Lapis-Lucifer*: & reſto con molto gu-
ſto che non le ſia ſpiaciuta la mia riſpoſta in queſto propoſito alle obiettio-
ni fattemi dal Sig di Gran-monte. Quanto poi a quello che V.S. mi ſcriue,
che il Sig. Leone non reſta ſodisfatto del nome *Litheoſphorus*; dicendo che *Eos*
1 ſignifica più preſto l'Aurora, che la luce: & che la ſillaba *Lith*. ſenza le due
2 altre lettere *os*, o almeno l'omicron, non ſignifica niente: & che io non do-
3 ueuo vſcir dal Lithophoſphorus, mentre non era ſottopoſto a neſſuna cenſu-
4 ra, o equiuocatione: & che ſe la cacofonia non è nel nome *Phoſphorus*, meno
5 douea temerſi nella voce *Lithophoſphorus*: & ſe pure ſi temeua, potea dirſi,
6 *Phengites Bononienſis*: & che a V.S. da faſtidio, che *Eos* non ſignifica propria-
7 mente la luce, ma ſolamente *Lucifer*, *matutinus*, *exoriens*; per il che la voce
Litheoſphorus veniua ad eſſer non ſolamente ambigua, ma anche ſuperflua la
particella *phorus*. Nel che ſi come io mi deuo acchetare, come a due peritiſ-
ſimi nella Greca lingua; coſi mi ſouiene di poter loro porre in conſideratio-
1 ne primieramente, che *Eos*, ſe bene ſignifica l'Aurora, non reſta però di ſigni-
ficare la luce propriamente, non eſſendo ſoſtantialmente l'Aurora altro che
lume debole, o ſia luce naſcente, che ſepara le tenebre della notte dal più
chiaro del giorno: & nella pietra non ſi ſcorge altro che vna luce molto im-
perfetta. Anzi che nel Leſſico di H. Stefano, & di Gio: Scapula, *Eos* ſignifi-
ca propriamente la luce, dicendo eglino coſi, *Eos in ſoluta orat. pro jos: unde
mia eo, Thucid. prima luce*. Di poi, che la ſillaba *Lith* non ſignifichi cos'alcuna
2 ſenza le due altre lettere *os*, o omicron, penſo ciò eſſer vero, ſe ſi conſidera da
per ſe ſola; ma nel compoſto *Litheoſphorus* la coſa mi pare che ſtia altramen-
te, come nel compoſto *Litheoſis*, che ſignifica *petrificatione*, o ſia *mutatione-in-
ſaſſo*; & *Lycanthropia*, che ſignifica *Lupina-inſania*; poiche *Lyc* & *Lith* da per ſe
non ſignifica coſa alcuna, ma ſibene nel ſuo compoſto *Lycanthropia*, *Lithoſis*,
& in *Lithiaſis*, che ſignifica il mal di pietra, ſia o nella veſica, o nelle reni, o ve-
3 ro nelle eſtremità delle palpebre cotal pietra. Che poi nell'*Eos* non ſi debba
mettere l'iota ſoſcritto, l'ho da Platone, Heſiodo, Homero, & anco dalli Leſ-
ſici di Conſtantino, Porto, H. Stefano, & Scapula, che tutti ſcriuono *Eoſpho-
ros* ſenza l'iota ſoſcritto, che Ficino, Cornaro, & altri traducono *Lucifer*: &
coſi l'ho ſeruato nel nome *Litheoſphorus*: Che poi nel Greco ſemplice ſi met-
ta l'iota ſottoſcritto, io l'ho veduto nel Coſtantino, & Porto in tal maniera,
*Eoios, id eſt Eos, anatolicos, orientalis, matutinus, tempus matutinum, Ecus. Apol-
lon.*

lon.2. Epicleiontes Eoion Apollon. Lo ſteſſo ſi legge nel Leſſico di H. Stefano, & Scapula. Et il tempo matutino, o il mattino non è altro che la poca luce del naſcente giorno. In quanto poi non doueſſi io tralaſciare il nome *Litho-* 4
phoſphorus, che non era ſottopoſto a cenſura, nè ad equiuocatione; giudicai altramente, perche vidi che *Eos* ſignifica ſolamente luce, o coſe appartenenti a luce imperfetta, quale ſi ſcorge nella Pietra Bologneſe, cioè Aurora, orientale, mattino, & ſimili; ma *phos* con aperta equiuocatione ſignifica, non ſolamente la *luce*, il *lume*, la *lucerna*; ma etiandio l'*huomo*, come atteſta (*a*) Ma- a 1.Sat.c.7
crobio, *Quumque diu humanis capitibus ditem, & virorum victimis Saturnum placare ſe crederent, propter Oraculum, in quo erat,* Cæ cephalas Adj, cæ to Patri pempete phora. *Herculem ferunt poſtea cum Geryonis pecore per Italiam reuertentem ſuaſiſſe illorum poſteris, vt fauſtis ſacrificijs infauſta mutarent, inferentes Diti, non hominum capita, ſed oſcilla ad humanam effigiem arte ſimulata; & aras Saturno, non mactando viros, ſed accenſis luminibus excolentes; quia non ſolum virum, ſed & lumina* Phota *ſignificat: inde mos per Saturnalia miſſitandis cereis capit.* Che poi non conoſcendoſi cacofonia nel nome *Phoſphorus*, non 5
ſi doueſſe temere nel compoſto *Lithophoſphorus*; giudicai che fuſſe altramente ancora; poiche triplicato l'o la rende nel *Lithophoſphorus*, ſe nel duplicato *Phoſphorus* non ſi ſente tanto; ma fatta la comparatione tra *Litheoſphorus*, & *Lithophoſphorus*, quello ſuona più dolce all'orecchio, & queſto nell'aſprezza ſua non manca di hauere qualche cacofonia. Che poi ſi doueſſe più toſto
dire *Phengites Bononienſis*, non mi piacque, ſi perche io voleuo vna parola ſo- 6
la; ſi anco perche il *Phengites* viene vſato da Plinio, & Iſidoro per nome proprio di vna pietra, che ſplende continuamente nelle tenebre, conoſciuta molto da gli Antichi; parendomi di douer dare vn nome nuouo ad vn'altra ſorte di pietra nuouamente ritrouata, & che per poco ſpatio di tempo conſerua la luce nello ſcuro, concetta dall'aere chiaro; dubitando non ſenza ragione, che *Phengites Bononienſis* dinotaſſe preſſo di molti miei Lettori la pietra *Phengites* degli Antichi nata nel territorio Bologneſe. Che finalmente
Eos ſignificaſſe, non propriamente la luce, ma ſolamente *Lucifer, matutinus,* 7
exoriens; onde non ſolamente ſarebbe ambigua, ma anco ſuperflua quella compoſitione Litheoſphorus: a me pare che non ſia ſuperflua, nè ambigua nel mio propoſito; perche volendo io ſignificare *Pietra-Lucifera* con vna ſola dittione; & hauendo veduto non ſolamente, che la voce *Eoſphoros* vſata da Platone ben due volte nell'Epinomide, da Heſiodo nella Theogonia, & da Homero nell'Iliade, viene ſempre dal Ficino, Cornaro, & altri tradotta *Lucifer*. H. Stefano, & Scapula dicono apertamente, *Eoſphoros: Lucifer: Stella Aurora, ſeu lucis prænuncia; vnde eam ſecum ferre creditur. Iliad.XXIII.* Ma anche la voce *Eos* da tutti li miei Leſſici eſſer tradotta, *Aurora, lux, orientalis, matutinum tempus*, & non mai *Lucifer*; giudicai che fuſſe buono il compoſto *Litheoſphorus*. Et tanto più, che la Stella Venere da ſe ſteſſa, come molti vogliono, non ha luce alcuna da noi viſibile, ma tutta la riceue dal Sole, come
la Luna; & per ciò fù dal noſtro Sig. Galilei, primo (*b*) oſſeruatore, notato b nunc.ſid.
che, *Cynthiæ figuras æmulatur mater amorum*; con quel ſuo Anagramma,

Hæc immatura a me iam fruſtra leguntur, o, y.

Coſi

Coſi la noſtra pietra in ſe ſteſſa priua di luce, la concepiſce dal Sole, & la ritiene alquanto nelle tenebre: parimente l'Aurora, o ſia il Diluculo, non è altro che l'aria illuſtrata vn poco da i deboli raggi del naſcente giorno, ſendo per ſe ſteſſa l'aria priua di luce, vna ſoſtanza diafana, atta a riceuere tanto la luce, quanto le tenebre. Nelle quali ancora, ſendo notte, la riceue molto imperfetta nell'Aurora, & dura per poco ſpatio di tempo. Coſi la noſtra Pietra da ſe ſteſſa priua di luce, ma partecipe naturalmente di perſpicuità, ſendo corpo con molto diafano, concepiſce dallo ſplendor del giorno vna luce, che conſerua per vn poco di tempo nelle tenebre, quaſi vna artificioſa Aurora. Per il che la voce *Eos* ſignificando propriamente, come V.S. dice, *matutinus, exoriens*, & come li altri aggiungono, *Aurora*, viene a ſignificare propriamente la luce; poſciache Aurora, mattino, oriente, non altro ſignifica propriamente, che luce debole del Sole naſcente, o che deue in breue naſcere, generata nell'aere, che ſepara le tenebre notturne dal chiaro del giorno. Queſte note mi occorre di ſcriuergli alla sfuggita, le quali io ſottopongo alla ſua cenſura. Aggiungendo, che anco il Sig. Vecchij intelligentiſſimo della lingua Greca, hebbe da principio qualche ſcrupulo nel nome *Litheoſphorus*; ſi che hauendone S.S. trattato col Sig. Ronconi, queſti mi ſcriue in tal guiſa: *Conſignai all'Eccellentiſſ. Sig. Vecchij il libro di V.S. il quale mi ha poi detto di hauere qualche difficoltà nel titolo, & che ne ſcriuerà il ſuo ſenſo: fra tanto la ringratia* &c. Dallo ſteſſo Sig. Vecchij io hebbi poi vna tal lettera. *M.Ill. &c. Riceuo l'altro fauore da V.S. Eccellentiſſ. cioè la ſua corteſiſſima col libro de Lapide Bononienſi, il quale vò vedendo con infinito mio guſto, ritrouandoui tanta dottrina recondita, condita con ſi varia eruditione, che non ſi può deſiderar più; & ne reſto a V.S. Eccell. obligatiſſimo. Hebbi ſul principio vn poco di dubbio ſopra il titolo del libro; ma poi ho conoſciuto che ſtà beniſſimo; conſiderando che la parola* Litheoſphoros *è compoſta da tre voci; & coſi ſtà bene; & non da due, come da principio mi pareua; che ſarebbe ſtato male. Et con queſto a V.S. Eccellentiſſ. fò riuerenza, & prego felicità. Piſa, li 10 Gennaio 1640. D.V.S.M.Ill. Deuotiſſ. & obligatiſſ. ſeru. Bartolomeo de Vecchij.* Quanto ſpetta all'Eruditiſſimo Sig Holſtenio, non ho da temere che mi ſia contrario, confeſſandomi di hauer preſo diletto nel leggere il mio Litheoſphoro, & non hauer in quello ritrouato ſe non coſe degne di laude, il che però riceuo dalla ſomma ſua benignità; mentre mi ſcriue in tale propoſito vn elegantiſſima lettera Latina &c. Queſto è quanto per hora io poſſo ſcriuere a V.S. in queſto particolare. V.S. lo riceua in grado, & mi ami. Bologna 19. Febraro 1640.

Quam epiſtolam pariter ita filius iuſſione mea Latio dedit verbis ipſiſſimis, Perill. V &c. Gabrieli Naudæo, Romam. Multum me tibi, & D. Leoni debere profiteor de obſeruationibus ad me tranſmiſſis circa nomen *Litheoſphorus*, impoſitum operi meo de *Lapide-Lucifero* Bononienſi, dum vnico nomine ſignificare volui, *Lapis-Lucifer*; & valde mihi gratulor, tibi non diſplicuiſſe meam reſponſionem in hoc propoſito obiectionibus D. a Grandimonte. Quod attinet dein ad D. Leonem, cui ſcribis non plene ſatisfacere no-
1 men *Litheoſphorus*, aſſeueranti, *Eos* ſignificare potius Auroram, quam lucem:
2 & ſyllabam *Lith* abſque duabus alijs literis, aut ſaltem omicron, nihil omnino

nino

nino ſignificare: atque non debere ſubſcribi iota in vocabulo *Eos*: & me non 3
debuiſſe alio vocabulo vti, quam *Lithophoſphorus*, dum id obnoxium non eſ- 4
ſet vlli cenſuræ, vel æquiuocationi: & cacophoniam, ſi non eſt in nomine
Litheoſphorus, neque timendam eſſe in voce *Lithophoſphorus*: & eam ſi timuiſ- 5
ſem, dicere poteram, *Phengites Bononienſis*: Tibi vero nomen *Litheoſphorus* 6
ideo non arridere, quoniam *Eos* non ſignificat proprie lucem, ſed ſolum, *Luci-* 7
fer matutinus, exoriens: vnde vox *Litheoſphorus* euadebat non ſolum ambi-
gua, ſed etiam ſuperuacanea, redundante nimirum particula *phorus*. Equi-
dem vt vobis acquieſcere debeo, tanquam duobus viris in Græca lingua
peritiſſimis; ita nunc occurrit mihi, poſſe me vobis conſiderandum propone-
re, primum quidem, *Eos*, etſi ſignificet Auroram, non tamen ideo non ſignifi- 1
care proprie lucem; quum Auroræ ſubſtantia, eſſentiaque nihil aliud ſit,
quam lumen imbecillum, aut exoriens lux, ſeparans tenebras noctis a maiori
claritate diei; & in lapide noſtro non aſpiciatur niſi lux admodum imperfe-
cta. Quinimmo in Lexicis H. Stephani, & Ioan. Scapulæ, *Eos* ſignificat pro-
prie lucem, ſcribentibus illis ita, *Eos, in ſolut. orat. pro jos; vnde mia eo, Thucid.* 2
prima luce. Deinde ſyllabam *Lith* non ſignificare quidquam abſque duabus
alijs literis, *os*, aut omicron; arbitror id eſſe verum, ſi ſumatur ſolitaria; ſed
in compoſito Litheoſphorus, res aliter ſe habere mihi videtur, ſicut in com-
poſito *Lithoſis*, quod indicat petrificationem, ſiue mutationem in lapidem: in
Lycanthropia, quod ſignificat lupinam inſaniam: & in *Lithiaſis*, quod ſignificat
calculi morbum, ſiue in renibus, ſiue in veſica, in oculorum palpebris extre-
mis; etenim *Lyc*, & *Lith*, ſolitaria nihil ſignificant, ſed in compoſitis allatis
aperte ſignificãt *Lupum*, & *Lapidem*. Quod autem in *Eos*, vbi compoſitionem 3
ingreditur, iota ſubſcribi non debeat, id habeo a Platone, Heſiodo, Homero,
& a Lexicographis Conſtantino, Porto, H. Stephano, & Scapula, ſingulis
ſcribentibus *Eoſphoros*, abſque iota ſubſcripto: quod nomen Ficinus, Cor-
narius, & alij transferunt, *Lucifer*; & ita ſeruauimus in nomine *Litheoſphorus*.
Quod autem in Græco nomine ſimplici *Eos* iota ſubſcribatur, id ego vidi
apud Conſtantinum & Portum, ita ſcribentes, *Eoios, ideſt Eos* (cum iota ſub-
ſcripto) *anatolicos, orientalis, matutinus, tempus matutinum, Eous. Apollon. 2. Epi-*
cleiontes Eoion Apollon. Idem in Lexico H. Stephani, & Scapulæ. Atque ma-
tutinum tempus, ſiue mane, nihil aliud eſt quam pauca lux enaſcentis diei.
Quantum ad id poſtea, quod additur, omittere me non debuiſſe nomen *Li-* 4
thophoſphorus, nulli cenſuræ, vel æquiuocationi obnoxium: aliter exiſtimaui;
quia vidi, Eos, denotare ſolum lucem, aut res attinentes ad lucem imperfe-
ctam, cuiuſmodi conſpicitur in Lapide Bononienſi, hoc eſt, Auroram, orien-
tale, mane, atque ſimilia: ſed *Phos* aperta ſatis æquiuocatione ſignificat, non
ſolum *lucem*, & *lumen*, & *lucernam*; ſed etiam *hominem*, ſeu *virum*; vt atteſta-
tur Macrobius, inquiens, (a) *Quumque diu humanis capitibus Ditem, & viro-* a 1 Sat. c. 7
rum victimis Saturnum placare ſe crederent, propter Oraculum, in quo erat, Cæ »
Cephalas Adj, cæ to Patri pempete Phota: *Herculem ferunt poſtea cum Ge-*
ryonis pecore per Italiam reuertentem, ſuaſiſſe illorum poſteris, vt fauſtis ſacrifi-
cijs infauſta mutarent; inferentes Diti, non hominum capita, ſed oſcilla ad huma-
nam effigiem arte ſimulata; & Aras Saturno, non mactando viros, ſed accenſis lu-
minibus

Digitized by Google

minibus excolentes ; quia non ſolum virum , ſed & lumina , Phota ſignificat : inde
mos per Saturnalia miſſitandis cereis capit . Quod adijcitur , quum cacophonia
5 non agnoſcatur in nomine *Phoſphorus*, eam timeri non debuiſſe in compoſitio
Lithophoſphorus: aliter ego cenſui ; quia triplicatum O cacophoniam ponit in
Lithophoſphorus, ſi duplicatum in *Phoſphorus* eam adeo ſenſibilem non ponit :
Verum facta comparatione inter *Litheoſphorus* , & *Lithophoſphorus* : illud no-
men ſuauius eſt auditui , & hoc in aſperitate ſua non caret aliqua cacopho-
6 nia . Quod poſtea dici debuiſſet potius , *Phengites Bononienſis*, mihi non pla-
cuit: tum quia volebam vnicum nomen ; tum etiam quia *Phengites* vſuvenit
Plinio , & Iſidoro pro nomine proprio cuiuſdam lapidis continue ſplenden-
tis in tenebris a ſemetipſo, notiſſimi apud Antiquos ; quum mihi viſum fue-
rit, oportere nouum nomen aſſignare Lapidi nouiter inuento, & breui curri-
culo temporis in tenebris lucem aliunde , hoc eſt ab aeris claritate conce-
ptam , in ſe conſeruanti : nam non abſque ratione dubitaui , voces *Phengites*
Bononienſis , denotare potius apud multos meorum Lectorum Lapidem
Phengitem Antiquorum enatum in agro Bononienſi ; quod aberat ab inſti-
7 tuto mei voluminis . Denique vero, quod ſubdis, vocem *Eos* non ſignificare
proprie lucem , ſed ſolum idem quod *Lucifer , matutinus , exoriens* ; vnde non
ſolum eſſet ambigua, ſed etiam ſuperuacanea mea compoſitio *Litheoſphorus*:
id ego recipere nequeo , quia ſignificare volens idem quod *Lapis-Lucifer* vna
dictione tantum ; quum viderim , non ſolum vocem *Eoſphoros* vſurpatam a
Platone non ſemel in Epinomide ſimul, & ab Heſiodo in Theogonia, nec non
ab Homero in Iliade, verti ſemper a Ficino, Cornario, & alijs, *Lucifer* ; nam
H. Stephanus, & Scapula dicunt aperte, *Eoſphoros*; *Lucifer , Stella Aurora , ſeu*
lucis praenuncia : *vnde eam ſecum ferre creditur . Iliad.* XXIII. Verum etiam
dictionem *Eos* ab omnibus meis Lexicographis transferri, *Aurora, lux , orien-*
talis , matutinum tempus , & numquam *Lucifer* ; cenſui rectum & bonum eſſe
compoſitum *Litheoſphorus* . Et eo magis , quo Stella Veneris a ſemetipſa, vt
multi volunt, non habet lucem vllam a nobis adſpectabilem; ſed omnem ſui
ſplendorem viſibilem hinc , accipit a Sole , ſicut & Luna ; Quapropter a
D. Galileo noſtro , primo phænomeni falcatæ Veneris obſeruatore, notatum
quod *Cynthia figuras æmulatur mater Amorum* , anagrammate illo ſuo , *Hæc*
immatura a me , iam fruſtra leguntur , o , y. Ita noſter lapis in ſe luce carens ,
ipſam concipit a Sole, ac retinet aliquandiu in tenebris : Pariter Aurora, ſeu
diluculum , aliud non eſt , quam aer illuminatus parumper ab imbecilliori-
bus radijs enaſcentis diei ; quum aer a ſemetipſo luce careat , & quædam
b 2 de an. t. ſubſtantia diaphana ſit, apta recipere *(b)* tam lumen, quam tenebras . In te-
68. 69. 70. nebris etiam noctu lumen admodum imperfectum recipit aer, quod Aurora
vocatur , & breui ſpatio temporis durat . Ita noſter lapis , a ſemetipſo luce
deſtitutus , ſed particeps natura ſua perſpicuitatis , quum ſit corpus multi
compos diaphani , concipit a ſplendore diei luculam; quam breui temporis
intercapedine conſeruat in tenebris, veluti quandam artificioſam Auroram.
Quamobrem vox *Eos* ſignificans proprie , ſicut ais , *matutinus , exoriens* , & ,
vt addunt alij , *Aurora* , proprie lucem denotat ; quum *aurora , matutinum* ,
oriens nihil aliud proprie ſignificet, niſi lucem imperfectam Solis enaſcentis ,

vel

Digitized by Google

vel breui naſcituri, productam in aere, ſeparantemque tenebras nocturnas a claritate diei. Has notas, currenti calamo delineatas, tuæ cenſuræ ſubijcio: Subnectens, etiam D. Vecchium, linguæ Græcæ peritiſſimum, ab initio dubitaſſe de nominis *Litheoſphorus* recta conſtructione; qua de re quum egiſſet cum D. Ronconio, is ad me talia perſcripſit: *Dedi D. Vecchio librum tuum: qui poſtea mihi ſignificauit, ſe nonnihil difficultatis habere in titulo* Litheoſphorus; *qua de re tibi ſua ſenſa communicabit per literas: Interim de munere grates agit ingentes* &c. Ab eodem vero D. Vecchio recepi poſtea epiſtolium huiuſmodi: Perill. &c. *Recipio fauorem alium a V. D. Exc. nempe literas humaniſſimas, vna cum libro de Lapide Bononienſi; quem lego ſumma cum delectatione, reperiens in eo tantum recondita doctrina, adeo varia eruditione condita, vt nihil amplius deſiderari valeat. Deque tali munere me tibi deuinctiſſimum profiteor. Ab initio quidem paululum dubitationis habui ſuper operis titulo; ſed poſtea cognoui per optimum eſſe, conſiderans verbum* Litheoſphorus *compoſitum eſſe ex tribus vocibus; & ita bene habet; non autem ex duabus, vt antea mihi videbatur; quod male fuiſſet compoſitum. Interim V. D. Exc. cultum exhibeo reuerentia, atque felicitatem opto. Piſis x. Ianuar. M DC XL.* Ad Eruditiſſimum D. Holſtenium quod attinet, nihil eſt cur ego timeam ipſum mihi aduerſarium, quando mei Litheoſphori lectione ſe fatetur delectatum, & (quæ viri ſumma eſt humanitas) in eo nihil niſi laudabile competiſſe, ſcriptis ad me literis elegantiſſimis in hæc verba; *V. Cl. Fortunio Liceto* to hypato ton Philoſophō, *Lucas Holſtenius S.P.D. Litheoſphorus tuus, nuperrimo partu editus, Eminentiſſimo Cardinali Barberino, Studiorum meorum Mæcenati, impenſe placuit: itaque & mihi eius legendi copiam ſtatim fecit, quem tuæ eruditionis admiratorem eſſe non ignorat. Nihil ille liber meam de te opinionem auxit, quod iam ſumma eſſet. Delectauit tamen ſummopere me argumenti nouitas, adeo copioſe & feliciter pertractata, & vt verbo dicam, plane tuo more. Itaque lapis notho lumine hactenus ſublucidus, tui ingenij ſplendore illuſtratus nunc claret, & tuo viciſſim nomini nouam lucem addidit. Eminentiſſimi & doctiſſimi Principis mei teſtimonium adiunctæ literæ tibi exhibent; Cui rem haud ingratam præſtabis, ſi omnium abs te hactenus editorum operum catalogum tranſmiſeris: Cupit enim cuncta ingenij tui monumenta in Barberina Bibliotheca extare, haud poſtremo eidem ornamento futura. Vale Cl. & doctiſſime Licete, & Nogeram noſtrum a me ſaluta. Romæ, v. Cal. Decemb. M DC XXXIX.* Cui quidem

Supremo Philoſophorum.

epiſtolæ huiuſmodi reſponſum dedi. Cl. V. Lucæ Holſtenio doctiorum eru- ,,
ditorum Anteſignano Fortunius Licetus B. A. Subobſcuram ego quidem ,,
lucem in lapide Bononienſi de Sole conceptam, inter meras tenebras mox ,,
aliquandiu micantem, improbis laboribus multarum lucubrationum in li- ,,
terario mundo illuſtriorem reddere tentaui, Cl. Vir: ingenti vero fœnore ,,
mirificum ſplendorem ab Eminentiſſimi doctiſſimique Principis Heri præ- ,,
clara laudatione, ſimul & ab ingenui prudentiſſimique iudicij tui nobili ,,
comprobatione, literis elegantiſſimis ad me tranſmiſſa, ſuſcepit conatus ,,
iſte meus in Litheoſphoro. Quem dum tales tantique Literatorum Heroes ,,
vnanimi conſenſu collaudant; alioſque mentis meæ partus adeo conſimili- ,,
ter æſtimant, vt indicem a me requirant omnium operum hactenus meo ſty- ,,
lo delineatorum, iuriſque publici factorum, quibus in inſtructiſſima Bar- ,,

„ berinorum Bibliotheca locus aſſignetur inter alia volumina, quæ digna ce-
„ dro ibidem ſeruata leguntur: ingenue iam ſuperbire poſſum apud Sapien-
„ tiæ cultores, rectèque gloriari, quod Principibus vna doctiſſimiſque Viris
„ placere potuerim. Tranſmitto catalogum: ex quo ſi noueris aliquem meo-
„ rum librorum in celeberrimo iſto Muſæo non adeſſe, qui nunc apud me re-
„ periatur; ſtatim ac id ex te reſciuero, curabo diligenter vt quamprimum
„ iſtuc afferatur. Interim vale, viuorum eruditiſſime, Licetumque tui ſum-
„ mum cultorem, Eminentiſſimo Principi, rerum Domino, ſingularique
„ Literatorum Patrono, commendatum ſerio reddas, Germano plane cando-
„ re. Nogheram, Virum vere Clariſſimum, tuo nomine ſaluere iuſſi, qui tibi
„ viciſſim plurimam ſalutem reſpondet. Bononiæ 3. Non. Decemb. 1639.

Hæc ea ſunt, Cl. Naudæe, quæ tibi de propoſito ſcribere poſſum in præſentia: Tu ea boni conſule, & me ama. Dabam Bononię 16. Cal. Martij 1640.

Petrarchæ cognomen an aſpirandum ſit, nec ne: deque pleriſque vocibus alijs, bene, maleve aſpiratis. Cap. XXXVIII.

Cl. V. Fortunio Liceto in celeberr. Gym. Bonon. Philoſ. Profeſſori Eminenti Iacobus Philippus Tomaſinus Aemoniæ Præſul. S. P.

QVum vitam Franciſci Petrarchæ priuatis ſtudiorum meorum delicijs conſcriptam, eruditorum amicorum ſuus, felici Numine Eminentiſs. Card. Io: Franciſco ex Comitibus Guidijs a Balneo aliquot ab hinc annis deſtinaſſem, vt noſtri moris eſt, omnibus doctis & amicis Viris expendendam exhibui. Eam quum vltro ſeduloque perluſtraſſent, non temnenda inter eos quæſtio exorta fuit, qua ex cauſa Poetæ cognomen aſpiratione produxerim. Nec defuere, qui rationibus ſpecioſe prolatis vtriuſque partis patrocinium ſuſcepere. Eruditam ingeniorum contentionem etiam in tantilla re monumentis tradere æquum duxi, ne literatorum amicorum interpretamenta, quibus mea ſtudia & labores perpetuo dicaui, ingrata obliuione pereant. In quorum numero quoniam Te nemo prior, tuum, mi Licete, heic arbitrium compello, vt quæ nam mea erga mutuam in me beneuolentiam, atque in primis aduerſus tua in rem literariam præclara merita ſit voluntas, poſteritati liquido conſtet.

Petrarchæ nullam conuenire aſpirationem, in primis cenſuit Vir Candidiſſimus, Laurentius Pignorius, heu quondam noſtræ Vrbis decus, & in antiquis monumentis euoluendis ac interpretandis oculatiſſimus, inſcriptioni ſepulcri Petrarchæ in municipio Patauino Arquada innixus: vbi in marmore legitur:

Frigida Franciſci lapis hic tegit oſſa Petrarcæ.

Nec veritus fuit hanc animi ſententiam publicis ſcriptis indicare: nimirum Epiſtola 111 libri 1. Symbolicarum: Elogio pariter Lauræ dicato: itemque

in

in Epigrammate ad domum Arquadianam: Innumera prætereo loca, quibus abunde conſtat, quod ipſi fuerit animi. Pignorio acceſſit æui noſtri lumen Antonius Querengus, dictionis caſtimonia cum elegantiſſimis veterum conferendus poeta: Nec deſunt, qui ſuffragantur ipſis non infimi nominis eruditi complures. Quod vero ſaluo amicitiæ iure a viris Magnis diſſentiens aſpirationem malim, inter cetera occurrebat illud, quod linguæ Atticæ exemplo *H* Hetruſcis admodum frequens deprehenderem. Quamuis enim non ignorem *H* non eſſe veram literam; ſpiritum nihilominus agnoſco, quo multæ voces firmantur & roborantur; & cuius in Hetruſco idiomate triplex vſus. Præterquam enim quod ex quorundam ſententia literæ vices ſuppleat, non ſolum aſpirationi ſeruit, ſed etiam dictionis loco adhibetur. Huic Benedicti Bonmatthei Introductionis ad linguam Hetruſcam Tract. III. cap. V. merito præiuit Gellius lib. II. cap. III. *H literam*, inquit, *ſiue illam ſpiritum magis quam literam dici oportet: inſerebant eam veteres noſtri plerisque vocibus verborum firmandis roborandisque, vt ſonus earum eſſet viridior, vegetiorque*. Idque vel Petrarcha pronunciatione ſui nominis Hetruſcis familiari ſatis manifeſtat. Iure quidem V.C. in libello de natura hiſtoriæ luce digno carpit Arrium Catullianum, qui *Chommoda* dicebat pro *Commoda*; qui barbariſmus eſt Hetruſcis maximeque Florentinis hodie ſolennis. Idem quoque Arrius *Hinſidias* dicebat pro *Inſidias*: diuerſa Italorum conſuetudine æque barbara, dum noſtris temporibus *Hortus*, non aliter quam *Ortus* profertur. Itemque *Author*, vel *Autor*, pro *Auctor*; *Soboles* pro *Suboles*, quod a ſuboleſcendo, ideſt ſucreſcendo deducitur. Elementum porro iſtud Latinis aſpiratio dicitur; cuius poteſtas nulla, niſi quod ſonum auget illius vocalis ſeu conſonantis, cui adhæret. Nonnunquam tamen conſonantis loco reperitur, veluti apud Catullum. Sententiam meam tuebantur eruditionis muliſciæ ac Romanæ vetuſtatis perquam ſtudioſi plures, inter quos eſt in Muſarum noſtrarum columen Felix Oſius, Artis Oratoriæ in Gymnaſio Patau. publ. Interpres, Ioannes Rhodius Danus, Gabriel Naudæus Gallus, arctiſſima neceſſitudine nobis iuncti; qui *H* ſemper addendum cenſuere, vbi vocis origo, ſignificatio, & euphonia id poſtularet. Hac ratione Chariſcus lib. I. *Arena, gratius Harena, quod hæreat; & Arena, quod areat; gratius enim cum aſpiratione ſonat*. Marco etiam Victorino Artis Grammaticæ lib. I. placuit *Harena*. Accedit demum V.C. Gerardi Voſſij iudicium, qui *Petrarcha* ſcribendum exiſtimat, non *Petrarca*. Priſcis hercle ſcriptoribus *Haue* pro *Aue* vſurpatum Cuiacij iudicio docuit Iſ. Caſaubonus ad Trebellium Pollionem. Librarij tamen olim hanc aſpirationis notam non vſque ſtudioſe obſeruarunt. Inde vetuſtis etiam Inſcriptionibus YGIA, & HYGIA extat. Nimirum H literam nunc abijciebant, nunc præmittebant ſyllabis. Cuius tamen omiſſio in libris MS poſterioris æui crimen eſt, vt vt Iul. Scaliger de cauſis linguæ Latinæ Cap. VI. affirmat Latinos ſpreuiſſe illam aſperitatem, nec audiuum eius ſonum ſe puero. Ceterum ne alienis inſiſtamus, e bibliotheca Vaticana, omnium totius Orbis celeberrima, librum Latinum numero 3195. ipſius Petrarchæ manu ſcriptum noſtræ petitioni deprompſit Vrbani IIX S. P. piæ memoriæ quondam cubicularius Torqua-

Digitized by Google

tns Petottus, nunc Amienſis Epiſcopus, vatis noſtri ſtudioſiſſimus, cuius nomini aſpiratio addita: Nec diſcrepat alter n. 3199. qui olim fuit Ioannis Boccacij: Pariterque ei ſimilis tertius Petri Bembi n. 3197.

Reliquum eſt, pro ingenij acumine, iudicijque libertate, tuam, vt ſoles, ſententiam ingenue proferas; quo meæ, aliorumque in re dubia expectationi ſatisfiat. Scribebam Patauij Prid. Idus Octobris M D C X L I V.

Petrarchæ cognomen aſpirandum eſſe: ratioque plurium etiam aliorum nominum tam aſpirandorum, quam non aſpirandorum aperitur. Cap. XXXIX.

Iacobo Philippo Tomaſino Aemoniæ Præſuli
Fortunius Licetus B. A.

ETſi non ita pridem Clariſſimis Iureconſultis vitio datum ſit, quod lon-
giore diſputatione concertauerint, an vocula *Poſthumus* aſpiranda foret,
nec ne; quod viros graues non deceat in quæſtiunculis grammaticalibus ab-
ſumere tempus, deque friuolis nugis habere ſermonem: Plato nihilomi-
nus, Philoſophus grauiſſimus, integrum volumen ſub Cratyli nomine non
exiguum inſtituit *de recta nominum ratione*, diligenter in eo diſſerens de mi-
a Gen. 17. nutiſſimis etiam ſyllabis, atque literulis. Immo vero ſacra pagina (a) docet
ipſum Deum ſummum ſolicitum maxime fuiſſe de mutatione ſyllabarum,
& aſpirationis in hominum inſignium nominibus, ac præcepiſſe cum aſpira-
tione *Abraham* appellari, qui prius non aſpirabatur *Abram*. Quin etiam
quicquid attinet ad virum inclytum, Italiæ noſtræ decus, pro vili non debet
b 1. de part. haberi; quum Ariſtoteles ipſe (b) viliorum animantium ſpeculationem pue-
c. 2. rili faſtidio deſpiciendam non eſſe dicat, quod in infimis etiam animalibus
Naturæ numen, & honeſtum, & pulchrum inſit ingenium. Quare non ab re
iudicas, iſtam quæſtionem de cognomine *Petrarchæ* aſpirando, ſatis dignam
quæ tractetur a ſene Philoſopho: propterea que non grauabor tibi morem
gerere, meaque ſenſa de propoſitis circa nominum aſpirationem ingenue li-
c 1. phyſ. bereque proferre. Profecto quum Ariſtoteli (c) nomen ſignificet indiſtincte
t. 5. naturam & eſſentiam proprietatemque rerum, quam explicat diſtincte defi-
d in Cra- nitio; proinde Plato (d) ſapienter aſſeruit, non cuiuslibet hominis eſſe rebus
tylo. imponere nomina, ſed viri ſapientis, rerumque nominandarum conditiones
intimas & proprias agnoſcentis: Quod ipſe didicerat e Diuina ſcriptura;
in qua legitur, Adamum, qui ſcientiam rerum omnium infuſam a Deo poſſi-
e Gen. 2. debat, impoſuiſſe nomina rebus conuenientia: ſcribit enim Moſes, (e) *Forma-
tis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatili-
bus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea. Omne enim, quod vo-
cauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius. Appellauitque Adam nominibus*
f lib. de nō. *ſuis cuncta animantia, & vniuerſa volatilia cæli, & omnes beſtias terræ.* Quam
mutat. ſententiam habuit & Philo dicens, (f) *Non literas mutas, aut vocales, aut abſo-
lute*

luce, verba & nomina largitur Deus. Quum produxiſſet ſtirpes atque animantes, eas ad hominem (tanquam ad ducem & rectorem, qui ab alijs ob ſcientiam ſeiunctus erat) vocauit, vt ſingulis propria daret nomina; omne enim, *inquit*, quod vo- »
cauit Adam, ipſum eſt nomen eius. *Ergo quum integras nominum impoſitiones* »
Deus vſurpare dignatus non ſit, eo negocio commiſſo vero ſapienti generis humani Antiſtiti. & alibi: (g) *Perpulchre autem & impoſitio nominum aſſignatur primo* g li. de mũdi opificio
homini; ad ſapientiam enim & regnum pertinet: at ille ſapiens eſt, ſuimet ipſe diſci-
pulus & doctor per Dei gratiam, & inſuper Rex quoque. & alio loco: (h) *Reliquum* h l. 2. de Cherub.
vulgus hominum nomina imponit rebus, vt aliud ipſæ ſint, aliud ſonent earum vocabula; apud Moſem vero nominum impoſitiones manifeſtiſſime res ipſas indicant, vt res neceſſario in nomen abeat ſine vlla differentia. Similiter etiam alibi, (i) *Vul-* i de Agricul.
gus hominum rerum naturas ignorans, etiam in nominibus eis imponendis erret oportet: Nam qui eas velut per anatomian conſiderant, facile aſſequuntur appellationes; qui autem res tractant confuſius, non tam exquiſitas. Moſes vero in tanta rerum peritia, nominibus rectiſſimis aptiſſimisque & mire perſpicuis vti conſueuit; proinde ſæpe in libris rerum diuinarum inuenimus rebus conuenire nomina. Sic ergo recte Plato nominum impoſitionem non cuilibet aſſignat, ſed vni viro ſapienti. Speciatimque hominibus imponenda ſemper eſſe nomina pulchra decreuit apte Plato de Sapientia tractans in Theage. Quum auus Poetæ noſtri Parentius appellaretur, autore Leonardo Aretino, & Pater ipſius *Petrarcho di Parenzo*; licet ſcriptor vitæ Petrarchæ latinus, quem ſuſpicaris eſſe Xicchonem Polentonem, vulgi vilioris appellationem ſecutus, Petrum Petraconem nominet eius patrem, & alij Petrarconem; nobiliores tamen ciuilioresque Petrarchum ſemper appellant; de quo nobiliori nomine patris Poeta ſibi cognomen aſſumpſit primum appellari volens Franciſcus Petrarchæ, moxque ſemper Franciſcus Petrarcha; vt infra latius apparebit. Certe Petrarchæ cognomen, ſiue cum aſpiratione pronuncietur, ſiue *Petrarca* non aſpiretur, pulcherrimum eſt, adeoque viro præſtanti conueniens aptiſſime;
namque *Petra*, firmitatis hieroglyphicum, apud Antiquos indicabat homi- *Petra allegoria.*
nem inclytum, atque Deum; ita Pierius: (k) *Neque forte temere Romani per*
Iouem lapidem iurabant, apud quos futurum erat, vt vera Pietatis fundamentum k l. 49.
ex Petra ſolida iaceretur: Petra enim erat Chriſtus. Illicoque fuſius explicat, Petra notari perpetuitatem, firmitatem fœderum, firmam proſperitatem, pietatis noſtræ ſtabilitatem, Chriſtum Dominum, prauarum cogitationum excuſſionem, ſenſuumque carentiam; quæ ſingula mirifice congruunt *Petrarcha* noſtro, qui perpetuo viuet in memoria viuorum diuinis operibus editis: firmumque fœdus iniji cum literis, & bonis moribus: in vera pietate ſtabilis: Chriſti cultor eximius in Parmenſi, Patauinaque Cathedrali Canonicus: procul ab ſe prauas cogitationes excuſſit in amore pudico & virgineo Lauræ ſuæ: prorſusque libidinis obſcœnæ ſenſu caruit: quod ipſemet in epiſtola teſtatur, quam de vita ſua ſcriptam reliquit, his plane verbis: *Amore acerrimo, ſed vnico, & honeſto, in adoleſcentia laboraui; & diutius laboraſſem, niſi iam tepeſcentem ignem mors acerba, ſed vtilis, extinxiſſet. Libidinum me prorſus expertem dicere poſſe, optarem quidem; ſed ſi dicam, mentiar; hoc ſecure dixerim, me quamquam feruore ætatis & complexionis ad id raptum, vilitatem*

tem

tem illam tamen ſemper animo execratum. Mox vero ad quadragenarium annum appropinquans, dum adhuc & caloris ſatis eſſet, & virium, non ſolum factum illud obſcœnum, ſed eius memoriam omnem ſic abieci, quaſi nunquam fœminam aſpexiſſem; quod inter primas fœlicitates meas memoror, Deo gratias agens, qui me adhuc integrum & vigentem, tum vili, & mihi ſemper odioſo ſeruitio liberauit. En virium *Petra* nomine dignum, non minus quam Xenocrates ille fuerit, qui quum a concumbente Phryne, Laideque pulcherrimis meretricibus ad libidinem nullis illecebris induci potuiſſet, audiuit (autore (*l*) Laertio) lapidea ſtatua. Sed & Franciſcus Georgius (*m*) Venetus in Harmonia Mundi præclare demonſtrat, *Petram* allegorice ſignare Deum Patrem, & Filium; quod Filius Petram ſe (*n*) dixerit, ſuper quam ædificaturus erat Eccleſiam ſuam Petro, & ſucceſſoribus: & a Propheta (*o*) dictus ſit lapis angularis, reprobatus ab ædificantibus ſecundum carnem & ſanguinem, ſed ab Opifice ſummo poſitus in caput (*p*) anguli ſtructuræ & ædificij illius ſacræ Ieroſolymæ, quæ ædificatur ex viuis (*q*) lapidibus. Qui fuit etiam illa (*r*) *Petra*, dudum a Moſe percuſſa, a qua fluxerunt aquæ pro populo Iſraeliticæ gentis: nimirum aquæ doctrinæ Chriſtianæ, qua Saluator, etiam per Moſem in ænigmate atque figuris eos erudijt. Quin & Pater Deus fuit illa *Petra* Moſaica, de qua fluxit aqua Sapientiæ, nimirum Filius a Patre genitus, qui ſapientia Patris appellatur. Ne multa loca nunc alia proferam ex antiquis Patribus a Laureto, Syluæ Allegoriarum Compilatore, collecta, indicantia *Petram* aſſumi conſueuiſſe paſſim pro Deo, vel homine diuino. Ceterum & alia pars cognominis *Archa*, vel *Arca*, ſummam dignitatem allegorice deſignat, qualem in Poeta noſtro ſuſpicimus. Nam in primis *Arca*, quæ fieri ſolet ad recondendas veſtes, & ad pretioſa quæque ſeruanda, nobili iam allegoria ſumitur pro viro docto, quem *Arcam-ſapientiæ*, ſcientiæ, doctrinæque nuncupare conſueuimus; ita plane Philo: (*ſ*) *Arca, ſi ad mores refferatur, ſignificabit mentem ſibi ipſi propitiam, quæ concepto amore modeſtiæ purgare ſe ſciat, compeſcereque brutam, elatam, & inflatam arrogantiam. Hæc Arca vas eſt deſtinatum legibus; in hanc enim præcepta reconduntur, accepta dictante ipſo celeſti Numine.* Quæ pariter omnia congruunt moribus, & doctrinæ Poetæ noſtri, qui de ſe ſcribit: (*t*) *Senſi ſuperbiam, in alijs, non in me; & quum paruus fuerim ſemper, minor iudicio meo fui.* Scriptorum tam Latina, quam Italica dictione, tam pedibus vincta metricis, quam ſoluta oratione voluminum egregiorum numero multiplici, virum hunc apte vocari *Petrarcam*; hoc eſt ob ſoliditatem, & firmitatem, durationemque doctrinæ, *lapideam-arcam* ſcientiæ virtutiſque, nemo non videt. Cognominari potuit ergo *Petrarca*, quaſi lapidea-arca, in quam firmiſſimam reconderentur eximiæ virtutes animi, tutæ prorſus ab omnibus externis iniurijs iræ, ſuperbiæ, libidinis, & huiuſmodi vitiorum aliorum omnium. Quod & alibi Philo ſcribit inquiens, (*u*) *Item ſacram Legum conſeruatricem Arcam auro intus & extra decorauit: Magnoque Pontifici duas tradidit tunicas; vnam ſcilicet intimam ex lino, alteram extimam, varie acu pictam cum toga talari. Etenim hæc, aliaque eiuſmodi, notæ ſunt animi, qui in parte interiori Deo ſe purum caſtumque exhibet; exterisque in rebus, quæ ad Mundum adſpectabilem vitamque pertinent, integritatem*

ac

l 4. de vit. phil.
m 1. cant. ton. 7. c. 5.
n Matt. 16.
o Eſai. 28.
Petr. 1. c. 2.
Paul. Eph. 2
p Pſal. 117.
q Act. 4.
r Exod. 17.
Arca alleg.
ſ de vita Moſis.
t in epiſt. cit.
u de nom. mutat.

Digitized by Google

ac puritatem colit; qualem maxime fuiſſe Poetam Canonicum noſtrum, in eius vita clare teſtatur tum Hieronymus Squarzafichus, tum ipſemet in epiſtola, quam poſteritati reliquit *De Origine, vita, conuerſatione, & ſtudiorum ſuorum ſucceſſu* conſcripta, ſicuti nuper obſeruaui. Similiter apud (x) Lauretum, Arca Noe ſignificat & Animam, in qua ſunt variæ affectuum paſſiones: & Sanctos viros: & religionis ſtatum: & fabricam virtutum: & doctrinam in corde: & gratiam contemplationis: & Eccleſiam: & viros Eccleſiaſticos: & virtutes cæleſtes: & cor humanum: & Sanctos Doctores: & Præſules: & myſteria; quod ex multiplici Sanctorum Patrum autoritate confirmat. Ad quæ ſi reſpexere Viri præclari, Querengus, Pignoriusque noſter; belle ſatis & apte Franciſcum *Petrarcam* non aſpiratum poſuerunt; maxime ſi putauerint id cognominis ab ipſomet Poeta ſibi formatum fuiſſe, deductumque voluerimus ex nomine Paterno *Petraco*, ſiue *Petrarco*. Verum enimvero quia forte vir iſte cognomen adeptus eſt, non quidem a ſeipſo poſt comparatas ſibi virtutes in adulta ſatis ætate; ſed ab alijs in ipſo natali ſuo, priuſquam animi dotes vllas induiſſet, vti conſtat ex Aretino: & quia fratrem habuit Germanum, Cænobitam Chartuſienſem, cui Franciſcus ipſe cognomen idem aſpiratum aſſignat in ſuo teſtamento; non poſſum viris eruditis aſſentiri, *Petrarcam* non-aſpirantibus. Quos nihil mouere debuit ille verſiculus inſculptus monumento Poetæ noſtri, cognomen id non aſpirans; quia verſificator ille ductus a neceſſitate rythmi, deſinentiæque conſimilis, qua verſiculos duos alios immediate ſequentes terminari voluit, aſpirationem vel inuitus declinare coactus fuit, inſcribens ei tumulo:

x ſyl. alleg. t. 1.

Petrarcam qui, cur, & an bene non aſpirent.

Frigida Franciſci lapis hic tegit oſſa Petrarcæ:
Suſcipe Virgo Parens animam: Sate Virgine parce:
Feſſusque iam terris, cæli requieſcat in arce.

Namque mos eo ſeculo fuit, epitaphia ſepulchris inſcribere metris in conſimilem metri conſonantiam deſinentibus; ad quam non raro trahebantur nomina rerum, vel inuitis regulis grammaticalibus, nec omnino vitatis barbariſmis, ſusque deque habitis genuinis vocum ſignificationibus, at etymologijs; vt ſæpius in epitaphijs antiquis mihi legere contigit. Forte Querengi Muſa mellitiſſima, ſuauitatem, aſpirationes vbique fugientem, anteponere voluit vero ſignificatui, propriæque tum etymologiæ, tum orthographiæ cognominis. Nobis autem in iſto cognomine, *Petrarcha*, placet aſpiratio tum quia frequens vſus aſpirationis apud Florentinos Poetæ Conciues; tum quia tali ſpiritu denſo voces firmiores efficiuntur; vt bene tibi Gellius adnotauit, inquiens, (y) *H literam ſiue illam ſpiritum magis quam literam dici oportet; inſerebant eam veteres noſtri pleriſque vocibus verborum firmandis roborandisque vt ſonus eorum eſſet viuidior vegetiorque. Atque id videntur feciſſe ſtudio, & exemplo linguæ Atticæ.* Recte quidem tibi carpit Amicus Arium, qui perperam *Hinſidias*, & *Chommoda* conſueuerat aſpirare; ſed mihi multo prius Catullus eundem Arium de propoſito ſuggillauit epigrammate (z) feſtiuiſſimo ſcribens,

Petrarcha cur aſpirandus.

y Gell. l. 2. c. 3.

Arius notatur, aſpirãs male Chommoda, & Hinſidias.

Chommoda dicebat, ſi quando Commoda vellet
Dicere, & Hinſidias Arius Inſidias.

z v. 2081. & ſeqq.

Et

Et tum mirifice ſperabat ſe eſſe locutum,
Quum quantum poterat, dixerat Hinſidias.
Credo ſic Mater, ſic Liber auunculus eius,
3 *Sic maternus auus dixerit, atque auia.*
Hoc miſſo in Syriam, requierant omnibus aures,
Audibant eadem hæc leniter, & leniter;
Nec ſibi poſt illa metuebant talia verba.
Quum ſubito adfertur nuntius horribilis.
Ionios fluctus, poſt quam illuc Arius iſſet.
Iam non Ionios eſſe, ſed Hionios.

Poſthumus cur aſpiretur. *Hortus cur aſpirandus.* Ceterum vt *Poſthumus* aſpirandus mihi videtur ex etymi ratione, qua poſthumatum patrem, ſeù genitorem, vel autorem in lucem prodierit; ita plane cenſendum *Hortum* aſpirari debere; quod *Humi-orta* præbeat; non enim eos audio, qui dicunt eum præter etymologiæ rationem, ab ortu plantarum deductam, aſpirari cum vſu populi a doctioribus; ſiue quod eo ſpiritu denſo dirimere voluerint locum genialem fructuum & olerum atque florum, a participio *Ortus*, vel a nomine quartæ declinationis: etenim priori ratione Mare, in quo piſces oriuntur infinitarum ſpecierum, dici deberet *Ortus*, non ſecus ac locus, in quo ſtirpes oriuntur: ſecunda vero ratio locum non relinquit æquiuocis; quum ad nomina dirimenda ſufficeret aſpirationis abſentia, & præſentia. Sed *Hortus* aſpirate ſcribitur ex etymologia, quia locus eſt, in quo ex humo plantæ, plantarumque fructus & flores oriuntur; dicitur autem *Hortus* hoc eſt *Humi-Ortus* omnium ſtirpium. Quinetiam deduci poteſt a tempore, quo maxime ſunt Horti fructuum, florumque conſpicui, nimirum a pulchritudine temporis æſtiui, per aſpiratam a Græcis notam *Horos* indicata: Deducitur autem facile nomen *Hortus* a voce *Horos* plane ſignificante pulchritudinem & amœnitatem æſtiuo tempore in Hortis præcipue ſpectabilem, ex florum varietate, ſuaueolentiaque, ſimul & fructuum maturorum multitudine, formoſitate, fragrantiaque, viſum, odoratum, & guſtum mirifice demulcente. *Paradiſus Hortus.* Quamobrem *Hortus* inde dicitur etiam Paradiſus deliciarum; quem omnes fere Claſſici ponunt vbi ſemper æſtiuum tempus eſt ſub æquinoctiali plaga, & in locis illis maxime propinquis: ita Straboni *(a)* prope Libanum, ac Hiericontem in Syria: ita Auicennæ: *(b)* ita D.Thomæ: *(c)* ita Cælio *(d)* Rhodigino fuſius Paradiſus in Orientali plaga ſub æquatore, vel prope collocatur, vbi nunquam hiemis eſt inclementia: cuius verba iam apud omnes proſtantia, & in ſuæ ſententiæ confirmationem afferentia Platonem, Arrianum Hiſtoricum philalethem, Hannonem, Eratoſthenem, Polybium, Damaſcenum, Conciliatorem, *(e)* & alios, non afferam. Sat habebo ſententiam hanc excoluiſſe quoque tum apud Dioſcoridem Marcellum, *(f)* aſſerentem, *A Græcis Paradiſos dici vrbanos ac elegantiores Hortos*; etiamſi Gellius inquiat, eo nomine ſignari viuaria, ſcribens, *(g) Viuaria autem, quæ nunc vulgus dicit, ſunt quos Paradiſos Græci appellant.* Vnde Xylander vtramque ſignificationem eidem voci dedit apud Plutarchum, in Artoxerxe ſcribentem, *Vt ad diuerſorium quoddam Regium deſcendit, vbi eximij erant & magnifice inſtructi Paradiſi*, (vertit Xylander *Horti viuariaque ſeratim*) *quum circumiecta*

a lib. 16.
b l. 1. f. 1. d. 3. c. 1.
c 1. p. q. 102. 2. 2. q. 84. 3. ad 3.
d l. 1. c. 22.
e diff. 67.
f lib. 3.
g l. 2. c. 20.

cumiecta regio nullis arboribus veſtita & nuda rigeret gelu; conceſſit militibus, vt ex Paradiſo (Xylandro vertente, *ex Hortis, atque viuarijs*) *arbores cederent; ac lignarentur, neque picea abſtinerent, neque cupreſſu. Dubitantibus illis, & temperantibus, propter pulchritudinem & proceritatem arborum: correpta ipſe ſecuri, maximam & præſtantiſſimam arborem ſtrauit.* Rhodiginus tamen ad *Hortum* Paradiſi ſignificationem contraxit, aiens, *Paradiſum Græci Hortum intelligunt.* b l.1.c.22. Etſi Conſtantino Portoque Pollux inquiat Paradiſum non Græcam vocem, ſed barbaram primum extitiſſe; quod accepiſſe videtur in elegantiſſima ſua Flora Io: Bap. Ferrarius, (i) inquiens, *Parco narrare Perſarum Regum* i l.1.c.1. *ædibus Hortos, quos illi Paradiſos vocabant, fuiſſe coniunctos, vt Regibus ipſi florum cura ſemper hæreret*, citato Plutarchi Artoxerxe. Sed Volaterranus vocem Paradiſi reliquit intactam e Græco, dum Xenophontem in Oeconomia Cyri de Liſandro memorar, *Deductusque ab eo in Paradiſum, quem Sardœus habebat; quum vidiſſet ordinem elegentiamque arborum in quincuncem feſitarum angulorumque ſymmetriam, & ambulationum ſubſequentium odorem ſenſiſſet, admiratus dixiſſe* &c. ita ſenex ille Perſa dictus, *della Montagna*, Marci Poli relatu (k) conſtituit Hortum amœniſſimum, quem Paradiſum vocabat. Ce- k l.1.c.21. terum in hiemali regione gelida, vbi reperit Artoxerxes Paradiſos adeo floridos, & arboribus pulchris conſitos, exiſtimandum eſt hortorum regalium amœnitatem vel arte, vel naturali quapiam aqua calente ſubtus irrigari; quedmadmodum, in Aquilonari plaga narrat euenire Nicolaus Zenus Nobilis Venetus apud Ramuſium (l) aſſerens: *In Engroenelandia Monaſterium inuenit* l to.2. nauig pag. 231.B.C. *Fratrum Ordinis Prædicatorum, cum Eccleſia dicata Diuo Thomæ, prope montem flammas euomentem, vti Veſæus, & Etna: ibique fons eſt aquæ feruidæ, qua tum Eccleſia, tum cella Fratrum habent habitationem calidam; & in culina ſine alterius ignis vſu cuncta coquuntur edulia. Suntque ibidem Horti operti hieme, qui tali aqua irrigati non patiuntur ab algore niuium, in ijs regionibus ſub Polo fere ſitis intenſiſſimo; quare floribus, & fructibus, & herbis variorum generum abundant, non ſecus ac in regionibus temperatis tempore ſuo.* Quum igitur Paradiſus (vndecunque vox hæc habuerit originem, ſiue a Græcis, ſiue a Perſis, ſiue ab Hebraico *Pardes*, vt aliqui volunt) proprie ſit Hortus collocatus in æſtiua regione, floribus, & fructibus, & arboribus pulchris mirifice refertus; quorum vbertas non eſt niſi in tempore, ſeu loco, & aere quomodocunque calido & æſtiuo; quumque fructus æſtiui, & pulchritudines & amœnitates æſtiuæ Græcis *Horos*, *Horæa* nuncupentur aſpiratis nominibus; iam *Hortus* aſpirabitur inde ducta ratione prorſus ex etymologia, qua tum *Hora* pulchritudinem, atque tempus æſtiuum maxime deſignat, quando ſunt *Horti* floribus & fructibus mire pollentes, & amœniſſimi; ſicut obſeruant Onomaſtici Latini ſimul & Lexicographi Græci; tum *Horæum* dicitur omne genus fructuum æſtiuo in aere maturum, ob pulchritudinem. Quare iam *Hortus* ex etymo ſcribendus eſt aſpirate. Num vero barbare pronuncietur ab Italis *Ortus*, a quibus recte ſcribitur *Hortus*, purgatarum aurium id eſto iudicium; ac non ita facile patiaris hoc tibi ab homine non Italo perſuaderi. Sic igitur etymologica ratione duplici nobis *Hortus* aſpiratur. Sed mihi potior eſt ratio prima, qua *Hortus* dicitur, quaſi Humo-ortis plantis a natura di-

catus: conſimili literarum mutatione, mutilationeque Cicero tractans de
m lib. 2. Natura (*m*) Deorum ait, Neptunum a nando dici, Mauortem quia magna
verteret; atque ſimilia plura. Sed iam de *Horto* ſatis. Quod autem deinde
Author barbare dici, nõ Auctor, nec Autor. barbare dici notas aſpiratum vocabulum *Author*, Latine rectius *Auctor*, bene notas: at vero quod *Autor* etiam tibi nomen barbarum exiſtimetur, mihi recipi non poteſt; etenim ſi rationem etymi ſeruare velimus, efficiens cauſa prima & princeps operis, a ſemetipſa producens effectum, proprie dicitur *Autor*, quæ ſponte ſua, ſiue a ſemetipſa procreat opus; namque Græcis *autos* dicitur *ipſe*, vel *ipſemet*: & *automata* vocantur, quæ ſponte ſua, ſiue a ſemetipſis oriuntur; quare Latinis facillima mutatione literulæ *Autor* dicitur pro *Autos*, vt *arbos* pro *arbor*, *colos* pro *color*, & *robus* pro *robur*. Ceterum *Auctor* potius eſt, non primus operis effector, ſed ſecundus operis vel alieni, vel etiam proprij augmentator, vt ita dixerim. Hac certe ratione libelli, quem *Aſinum aureum* inſcriptum legimus, *Autor* vere fuit primus eius compoſitor Lucianus ille Samoſatenſis atheus; aſt *Auctor* extitit alter, Lucius Apuleius Madaurenſis Magia notatus, qui plurimis adiectis epiſodijs, ipſum auxit egregie: ſic etiam operis *De Vniuerſitatis Natura* primus *Autor* fuit ipſe Timæus Locrus; aſt *Auctor* ſecundus extitit Plato, qui multis nobilibus contemplationibus phyſicis adiunctis ipſum ampliauit, auxitque maxime ſub titulo *Timæi*, ſiue *De Natura*. Non aliter ego, dum editione ſecunda libri *De Monſtrorum natura cauſis & differentijs*, priori multas addidi figuras æneas, & nouas meditationes, *Auctorem* operis mei nuncupare me potui, qui prioris editionis *Autor*, non *Auctor* extiti proprie. Quod inſuper addis, barbara conſuetudine noſtris temporibus proferri *Soboles* pro *Suboles*, quæ deduci debeat a ſuboleſcendo, id eſt ſuccreſcendo, nihil me turbat, tum quia nihil
Soboles, non ſuboles, & cur. hoc attinet ad voces aſpirationem admittentes, aut reſpuentes; de quibus eſt in propoſito quæſtio noſtra: tum quia prorſus illæſa Latinitate, ac etymologia, & ſine vitio barbariſmi frequens eſſe ſolet apud autores linguę purioris, mutatio vocalium aut etiam conſonantium in deriuatis: Audio Nonium, cui *Proſapies, generis longitudo, dicta a proſupando, aut proferendo. Cato*
n 2. de nat. Deor. *lib. 1. Originum: Veteres proſapias: & multa alia apud multos.* Audio Ciceronem, cui Neptunus dicitur a nando, & Penates dicuntur a penu, vel ab eo, quod penitus inſident; ex quo etiam Penetrales a Poetis vocantur; quum ille Neptunus, & iſti Penutes, aut Penetes dici debuiſſent, ſi barbarum eſſet mutare vocales. Quin etiam quum *ſuboleſco* ſit idem quod *ſubnaſcor*, & *ſuccreſco*: Tullius tamen, Virgilius, Plinius, & alij latine loquentes, non autem
Aſpiratio ſæpe variat ſignificatũ vocabuli. barbare, deduxerunt inde *ſobolem*, non *ſubolem*. Inſuper ego non facile dedero, Latinis aſpirationem appellatam nulla poteſtate præditam alia, niſi quod ſonum augeat illius vocalis, aut conſonantis, cui adhæret; nam apud
o lib. 12. c. 12. Cœlium (*o*) lego, ea variari quoque vocabuli ſignificatum; ait enim, *Ceterum in hac ſacri piſcis mentione ſuccurrit reſtituamus A. Gellij codicem ex 11. Noct. Atticar. vbi de aſpirationis ratione diſſerens: Atque, inquit, id videntur feciſſe ſtudio, & exemplo linguæ Atticæ: ſatis notum eſt, Atticos,* ichthyn iton, *ideſt piſcem pauperem, multa itidem alia, citra morem gentium Græciæ ceterarum, inſpirantis primæ literæ, dixiſſe. Ego malim hac parte* ichthyn hieron, *id eſt piſcem ſacrum legere, ex ijs,*

quæ

Digitized by Google

quæ adnotauimus hactenus. Celeberrima iam eſt mutatio nominis *Abraham*
ſolo aſpirationis adiectu variata ſignificatione; qua de re ſic in ſacro codice,
(p) *Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, ſed appellaberis Abraham; quia pa-* p Gen. 17.
trem multarum gentium conſtitui te. Vbi D. Hieronymus: *Dicunt Hebræi, quod*
Deus ex nomine ſuo, quod apud illos tetragrammaton eſt, H literam Abrahæ & Sa-
ræ addiderit: Dicebatur autem Abram: quod eſt Pater-excelſus: poſtea dictus eſt
Abraham; quod eſt Pater multarum; nam gentium *in nomine non habetur, ſed*
ſubauditur. Philo tamen aliter hanc nominis mutationem explicat, non
ita forte ſacro textui conſonam non ſemel inquiens, (q) *Proinde Abraham,* q li. de Gi-
quandiu hærebat in Chaldæorum terra opinioneque, & nondum mutato nomine vo- gant. f.
cabatur Abram, homo talis erat, ſublimis æthereæque naturæ ſcrutator, in effectibus
eorumque cauſis, & id genus alijs philoſophando: ex quo ſtudio & appellationem præ-
ſentem ſibi quæſiuit. Abram enim interpretatur Pater ſublimis, nomen conueniens
conſideranti ſublimia cæleſtiaque intellectui, præſertim quum concreta huius naturæ
noſtræ pater ſit intellectus pertingens ad ætherem & vlterius. Sed quando iam ſe-
ipſo melior nomen mutaturus eſt, fit homo Dei, iuxta redditum ſibi oraculum: Ego
ſum Deus tuus: da operam vt mihi te approbes, & eſto inculpabilis. Quod ſi vnus
totius mundi Deus, ob priuatum affectum dicitur huius viri Deus, neceſſario ipſe
quoque Dei eſt: Interpretatur enim Abraham, Pater electus ſoni, id eſt intelle-
ctus, *probi viri: eſt enim electus, purgatus, & pater vocis, qua conſonamus*. & ali-
bi similiter: (r) *Teſtatur hoc etiam mutatio nominis: prius enim Abram vocatus,* r de Abra-
mox cœpit appellari Abraham, vnius tantum duplicatione literæ, videlicet A (quum hamo.
Hebræi ceteri communiter dicant H) *ſed quæ magnum quiddam ſignificabat*.
Abram enim interpretatur Pater ſublimis: Abraham vero, Pater electus vocis.
Prius indicat virum Aſtrologicum & Meteorologicum, Chaldæorum placitis tanta
cura deditum, quantam ſolent parentes impendere ſuis filijs; poſterius vero ſapien-
tem; nam per vocem ſermo, qui profertur, ſubindicatur: per patrem mens cuius
principatus eſt: nam ſermo, qui concipitur intus, naturaliter pater eſt, vt antiquior,
ſerens quæ dicenda videntur; ceterum quod additur, electus, bonitatem declarat.
& alio loco pariter, (ſ) *At enim Abram exponitur pater ſublimis: Abraham* ſ de nom.
autem, Pater electus ſoni &c. Nos quidem a Philone recipimus mutatum mut.
fuiſſe nomen Abram in Abraham; & primum nomen indicare *Pater ſubli-*
mis: at non recipimus nomine ſecundo ſignari *Pater electus ſoni*; quia red-
dens cauſam in ſacro textu Deus, cur vocauerit illum Abraham, ait *quia Pa-*
trem multarum gentium conſtitui te: Neque recipere valeo mutationem no-
minis factam fuiſſe duplicatione literæ A: quia vocatus fuiſſet ſecundo no-
mine Abraam, vt Chanaan, ſine interiectu aſpirationis inter duas literas vo-
cales poſtremas a a; ſed quia nomini Abram non poterat poſt illud A ſecun-
dum aſpiratio ſolitaria poni, poſitum fuit A poſtremum, tanquam ful-
chrum, cui aſpiratio inhæreret, dictusque fuit Abraham ex Abram, adie-
ctu principaliter aſpirationis, & ſecundario A regentis aſpirationem. Ari-
ſtoteli (t) quoque non aſpiratus *Cronus* eſt *Saturnus*; *Chronus* autem aſpiratus t de mund.
eſt *Tempus*. Apud Latinos etiam aſpiratio frequentiſſime mutat vocabuli c. 7.
ſignificatum; nam aſpirata *Charitas* eſt intenſus dilectionis affectus, non
aſpirata *Caritas* eſt magnus annonæ defectus; aſpiratus *halitus* eſt vapor,

Digitized by Google

non aſpiratus *alitus* eſt enutritus: aſpiratum *habeo* eſt idem quod poſſideo, non aſpiratum *abeo* eſt idem quod diſcedo: aſpiratus *Heros* eſt Vir virtute præſtantiſſimus, non aſpiratus *Eros* eſt amor: aſpirata *Hora* eſt diurni temporis particula, non aſpirata *Ora* eſt margo quantitatis cuiuſque continuæ permanentis: aſpiratus *Halo* eſt circulus meteorologicus circa Solem aut Lunam apparens, non aſpiratus *alo* eſt idem quod nutrio; *Hamatus* cum aſpiratione vncinatus eſt: *Amatus* ſine aſpiratione dilectus eſt; demumque ne plura congeram, *Ara* non aſpirata eſt Altare Numini ſacrum, *Hara* cum aſpiratione ſtabulum eſt, & caula porcorum.

Arena potius quam Harena.

De *Arena* non aſpirata, quod areat, veram etymologiam ſequor: ſed quod aſpirata dicenda ſit *Harena*, quod hæreat, non ita facile dedero, quia de ſe ſicciſſima materies hærendi conditionem non habet, vllam; & vbi forinſecus accepto glutine iam hæret: illico deſinit eſſe arena, in ſaxum conuerſa; ſicuti nos edocet Ariſtoteles, inquiens, *(u) Qui in aqua ſunt lapides e forti vndarum colliſione fiunt. Nam primum ſpuma fit, mox coagulatur hæc in molem, lactis vnctuoſo non abſimilem. dum vero vnda arenæ alliditur, congregat arena hanc, veluti vnctuoſitatem ſpumæ; & deſiccat illam maris ſiccitas cum multa ſalſedine; quo modo partes arenæ coguntur, temporeque procedente lapides fiunt. Significatio vero, quod mare per ſe ſe arenam faciat, ea eſt, quod terræ omnes guſtu dulces non ſunt* &c. additque mox: *Duriorem quoque efficiens terræ durities, pro facultate ſcilicet propria fixionis, aquæ ſubſtantiam, lutum in partes exiguas diuidit; quapropter terra mari vicina arenoſa eſt. Sic campi, dum non habent, quod a Sole eos operiat, & ab aqua dulci procul abſunt. Siccat enim Sol dulcis humiditatis partes; remanetque quod de genere terræ eſt. Et quia Sol in eo loco non tecto perſeuerauit, ſeparantur luti partes; & inde arena fit. Huius rei ſignum eſt, quod, quum in huiuſmodi loco in profundum foderimus, inueniemus lutum natiuum; & erit is arenæ radix; nec arena fiet, niſi per accidens. Contingit autem iſtud, quia motus Solis illic moretur diutius, & ab aquis dulcibus longa diſtantia eſt.* Quam doctrinam experimentum comprobat; etenim Lybiæ deſerti ſunt arenoſa loca, ſine plantis arboribusve prorſus vllis, quibus ea tellus a Sole cooperiatur; ſed æſtuanti Soli expoſita dici poteſt in æſtate fere perenni procul a dulcibus aquis; arenam habet maximam, ex luto factam vi Solis omni prorſus humiditate priuato. Sic ergo arena de ſe non hæret, omni penitus humore glutinoſo deſtituta; & dum hæret, humore quopiam vndecumque ſibi conquiſito, non amplius, vel non adhuc eſt arena, ſed lapis in mari, aut lutum etiam procul a mare in campis. Hic mirari non deſino Scaligerum, qui ſic hunc Ariſtotelis locum carpit, *(x) Auditis hominem, qui medio in mari nihil habeat ſalis, vnde condiat orationem ſuam. Mittam vero audaciam: Negare dulcibus in locis arenam reperiri: An vero fluuios nullos eius terræ, cuius iſte ſit ciuis, arenas alluere? Tam miſere, ne dicam vecorditer, immemor ſui, mox vt in campis irriguis aqua dulci ſcribat arenam generari.* Licet autem condonandum ſit eius ætati iuuenili, qua ſcripſit ea commentaria, ſimul & eius opinioni, qua credidit hos libros de plantis non eſſe genuinos Ariſtotelis; attamen neque ſatis oſtendit eos Ariſtotelicos non eſſe, neque iure carpit allatam Philoſophi ſententiam: namque primum falſo illi imponit, quod negauerit dul-

u 2. de plã. c. 1.

Arena natura & origo explicata

x com. in 2 lib. Ar. de pl.

cibus

cibus in locis arenam reperiri: negauit arenam in dulcibus fluuijs oriri fierique poſſe; non in ijs eſſe, vel circa illos, quam alluant; mihi certe longe diuerſum eſt, arenam in dulcibus fluuijs fieri non poſſe; quod ait Ariſtoteles: & arenam in dulcibus locis non inueniri, quam alluant fluuij, quod perperam attribuit Ariſtoteli Scaliger; nam fluuij tranſeuntes vtcumque per arenoſa loca, poſſunt eam alluere, ſimul & cum terra comportare in partes longinquas, & ad arginum oras deponere. Deinde nec minus audacter illud alterum imponit Ariſtoteli Scaliger, quod aſſeruerit, in campis irriguis aqua dulci arenam generari; quum longe ſecus aſſerat Ariſtoteles perſpicuis verbis, *in campis arenam fieri, dum non habent, quod a Sole eos operiat, & ab aqua dulci procul abſunt*. Sane campi irrigui aqua dulci, nec ab aqua dulci procul abſunt, nec arboribus & plantis carere poſſunt, quæ ipſos operiant a Sole. Magna eſt vis æſtus contradicendi, quæ virum inſignem impellere potuit ad hæc imponenda Philoſophorum Principi. Quare iam aſpiratio danda non eſt *Harena*, quod hæreat; ſed procul ab aſpiratione vere dicitur *Arena* quod areat, humiditatis exors. Quam ſententiam eo magis amplecti debes, quo ſuperius ijs aſſentire videbaris, qui ſtatuebat *Sobolem* barbare pronunciari, quum a Suboleſcendo ductam, Latine *Subolem* dici oporteat; nam ſimiliter ipſis ab hærendo non *Harena*, ſed Hærena dicenda foret. Ceterum quod aſpiratione, præter etymologiæ vim, gratius *Harena* ſonet, quam Arena non aſpirata, id aurium purgatiorum eſto iudicium; mihi certe gratius *Arena* non aſpirata ſonare videtur quam *Harena* cum aſpiratione, ſicut & *Inſidia* Catullo quam *Hinſidia*, pariter & non aſpirata *Commoda*, quam aſpirata *Chommoda*. Quod autem inſuper addis de Caſaubono, qui notauerit indicio Cuiacij, priſcos vſurpauiſſe aſpiratum *Haue* pro non aſpirato *Aue*, non caret eruditione ſua; nam obſeruo Veteres habuiſſe ſalutatorias voces alias, quibus & mane vterentur, & veſperi; qua de re Dio Caſſius in Adriano ſcribit: *Fuit & Cornelius Fronto magnæ autoritatis, qui in agendis cauſis Romæ primum locum obtinebat. Hic quum veſperi a cœna domum rediſſet, intellexiſſetque ex eo, cui patrocinium pollicitus erat, Principem ius reddere; veſte cœnatoria indutus, vt erat, in ius venit; eumque ſalutauit, non verbo Salue, qua matutina eſt ſalutatio: ſed Vale, qua veſpertina eſt, vſus*. Ita Dionem vertit Xylander: ſed aliter Cœlius aiens, (y) *Cœnatoriam veſtem* dipnitida *vocant Græci; vnde eſt illud Dionis in Adriano: Cornelius, inquit, Fronto per veſperi quandoque ab cœna domum repetens, officium cuidam præſtiturus*, en polj dipnitidi *eſt iudicium ingreſſus, ac iudices ita ſalutauit, vt non matutino vteretur verbo* chaere, *ideſt Aue: ſed veſpertino* hygiæne, *quod Salue interpretatur. In codicibus Latinis Senatoria veſtis pro Cœnatoria legitur nonnunquam, ſed mendoſe, vt liquet*. Conſtat igitur apud antiquos aliam eſſe vocem ſalutationis matutinæ, atque veſpertinæ. Quin & in congreſſu pariter ac in digreſſu varijs vocibus ſalutatorijs vtebantur; etenim congredientes amici ſalutant ſe verbis *Aue, Salue*; digredientes autem *Vale, Valete*. Sic apud (z) Virgilium,

Salue Sancte parens, iterum ſaluete recepti
Nequicquam cineres, animæque vmbræque paternæ.

Salutat Aeneas patrem, cui multo antea vita defuncto, nouum ſepulchrale

Haue, & Aue priſcis vſurpatum, & cur.

y l. 16. c. 11 f.

z 5. Æneι.

la-

ſacrificium facit; & inferius adiens terram Italam ſibi fatis promiſſam ſimiliter ait,

lib.7. Æn. *Continuo, Salue fatis mihi debita tellus,*
Vosque, ait, o fidi Troia ſaluete Penates:
Hic domus, hæc patria eſt. &c.

Sed in diſceſſu a Pallante amico defuncto ſalutandi verbo vtitur alio dicens, (*b*)

b lib.11. Æn. ---------- *Salue æternum mihi maxime Palla,*
Aeternumque Vale. Nec plura effatus ad altos
Tendebat muros, greſſumque in caſtra ferebat.

Vbi Seruius, *Varro in libris Logiſtoricis dicit, ideo mortuis ſalue, & vale dici, non quod valere, aut ſalui eſſe poſſint; ſed quod ab his recedimus, eos nunquam viſuri. Hinc ortum eſt etiam vt maledicti ſignificationem interdum Vale obtineat: Vt Terēt. Valeant, qui inter nos diſſidiam volunt; hoc eſt ita a nobis diſcedant, vt nunquam ad noſtrum reuertantur aſpectum. Ergo quum mortuis dicimus, vale, non etymologia conſideranda eſt, ſed conſuetudo, quod nullis vale dicimus, niſi a quibus recedamus.* Ego tamen etiam in hac mortuali ſalutatione locum habere reor etymologiam; quia mortuorum animæ ſuperſunt ſalutis, & pœnarum capaces, quum veteres, maximeque Virgilius, poſuerint Elyſios campos, in quibus animæ defunctorum feliciter agebant, & inferna loca, in quibus cruciabantur; ait enim ſub Anchiſæ perſona filium Aeneam (*c*) alloquens,

c 5. Æn. *Congreſſus pete nate meos: non me impia nanque*
Tartara habent, triſteſque Vmbræ; ſed amœna piorum
Concilia, Elyſiumque colo: huc caſta Sybilla
Nigrarum multo pecudum te ſanguine ducet.

Mortuis ergo præcantes antiqui beatam ſedem in Elyſijs, æternum ſaluere, ſimul ac æternum valere iubebant: quod ea vita foret illis æterna; ſed viuentibus amicis diſcedentibus valere ſimpliciter dicebant, quod eorum vita mortalis eſſet; diuque valere quoque precabantur, diuturnam incolumitatem imperantes. Verum enimvero quum in mortuorum ſalutatione loquerentur ex affectu magis, ob animi maiorem paſſionem, quam in viuorum amicorum diſceſſu, congreſſuque; propterea fortaſſe viuis non aſpirabant *Aue*, ſed mortuis aſpirare conſueuerunt *Haue*, priſci ſcriptores; & non ſolum mortuis, at etiam viuentibus, quos maiori affectu ſalutabant, aſpirabant *Haue*; ceteris leuiter dicebant *Aue*. Quin & mortuis dilectioribus aſpirabant *Haue*, reliquis leniter *Aue* dicebant minus animo commoti. Quod inſuper adiungis de aſpiratione promiſcue admiſſa, & omiſſa in antiquis inſcriptionibus legentibus æque Y G I A, & H Y G I A: cogitandum eſt, ne forte nomina iſta Græca, quoties minutis characteribus deſcripta fuerint, aſpirata legantur; at in Maiuſculis elementis poſita non aſpirentur; quod ille ſpiritus denſus a Græcis affigeretur ſolum minuſculis literis, non item maiuſculis, ita ſcribentur *hygeia*, & YGEIA. quem morem etiam poſterior ætas abſque vitio ſeruauit in MS. & in prælo cuſis operibus, vt vnicuique notum eſt. Vtrum vero ſpiritus aſpirationis denſus more Grecanico ſupra literam aſpiratam poneretur ab antiquioribus Latinis, an inter literas H locaretur, vt re-

Hygeia aſpiranda.

recentiores efficiunt, an vtroque modo fieret, quæ ita res euidens eſt. Certe Gellius tertiam poſtremam hanc ſententiam probare videtur, inquiens, (d) *Sed quoniam aheni quoque exemplo vſi ſumus, venit nobis in memoriam, fictum optatumque multi nominis Romæ Grammaticum oſtendiſſe mihi librum Aeneidos ſecundum, mirandæ vetuſtatis, emptum in Sigillarijs viginti aureis, quem ipſius Virgilij fuiſſe credebat; in quo duo iſti verſus quum ita ſcripti forent,*

Latini qua nota deſignarēt aſpirationē antiquitus.
d l.2.c.3.

„ Veſtibulum ante ipſum, primoque in limine Pyrrhus
„ Exultat telis, & luce coruſcat aena.

additum ſupra vidimus H literam, & ahena factum. Sic in illo quoque Virgilij verſu in optimis libris ſcriptum inuenimus,

„ Aut folijs vndam tepidi deſpumat aheni.

Forte vero quum Virgilius aſſuetus Homeri lectioni, morem Græcanicum inopinato ſecutus in dictione aeni ſpiritus denſi notam poſuiſſet, poſtea correxit, Latinæ dictioni literam *H* adijciens.

Ceterum, vt iam poſt expenſas abſte propoſitas dictiones alienas, aſpirationem aut admittentes, aut reſpuentes, redeamus ad *Petrarcha* cognomen, nobis in eo placet aſpiratio; tum quod a pluribus, ac fere omnibus accipitur; etenim Ariſtoteleo decreto, (e) *Determinare quæ oportet dicere, & quæ non. Vtile enim & ad conſtruendum, & ad deſtruendum: vt quod nominationibus quidem res nuncupandum vt plures; quæ autem ſunt, taliaque, an non talia, non amplius attendendum ad plures; vt ſalubre quidem dicendum effectiuum ſanitatis, ceu plures dicunt; vtrum autem propoſitum effectiuum ſit ſanitatis, an non, non amplius vt plures dicendum, ſed vt Medicus.* Quod etiam Cicero notauit in propoſito de aſpiratione ſcribens, (f) *Quin ego ipſe quum ſcirem ita maiores locutos eſſe, vt nunquam niſi in vocali, aſpiratione vterentur; loquebar ſic vt plures, & Cetegos, Triumpos, & Cartaginem dicerem: aliquando, idque ſero, conuicio aurium quum mihi extorta veritas eſſet, ſcientiam mihi reſeruaui.* Quanto magis aſpirandus eſt *Petrarcha*, cui multitudo doctiorum aſpirationem tribuit? Sic ergo cum pluribus *Petrarcham* aſpirabimus. Et eo magis, quo nemo de proprij cognominis orthographia peritior eſſe poteſt, quam ipſemet Petrarcha, vir literatiſſimus; etenim adeo peritum eſſe quemque decet, vel idiotam hominem de proprio nomine, vt inter admirabilia, portentoſaque reponat ipſe (g) Thucidides, & ex eo (h) Lucretius, atque (i) Galenus mortales illos, qui conualuiſſent e teterrima peſte Athenienſi, rerum omnium, ac ſuimet ipſorum ignorantiam incurriſſe; ſcribente Thucidide quidem, *Nonnullos autem, quum e morbo conualuiſſent, & e lecto ſurrexiſſent, ſtatim omnium pariterque rerum obliuio capiebat, nec non & ſeipſos, & familiares, ac neceſſarios ſuos* ignorabant. Lucretio vero,

Petrarcham aſpirandum eſſe.
e 2.top.c.5 l.5.
f 2.de orat.
g l.2.
h l.6.
i 2.de ſym. cau.c.7.

„ Vſque adeo mortis metus his inceſſerat acer.
„ Atque etiam quoſdam cæpere obliuia rerum
„ Cunctarum, neque ſe poſſent cognoſcere vt ipſi.

Galeno autem: *Vidimus enim quoſdam, qui & literas & artem omnino fuerant obliti; immo nec propria nomina meminerant; cuiuſmodi aliquid Athenis in peſte accidiſſe memorat Thucidides; quoſdam enim ex ijs, qui euaſerant, & ſeipſos, & ſuos ignorauiſſe. Iam viſi ſunt & propter extremum ſenium nonnulli ſimilibus ſymptomatibus*

Digitized by Google

matibus tentari. Quum igitur oculato tuo teſtimonio conſtet, extare Librum Latinum, *Petrarcha* poetæ noſtri manu propria ſcriptum, in bibliotheca Vaticana Romæ ſub numero 3195. in quo *Petrarcha* ſuo cognomini dederit aſpirationem, quis audeat ab eo ſpiritum iſtum amouere? quis magis credat verſiculo monumenti *Petrarca* aſpirationem eripienti, quam viuo digito *Petrarcha* in ſuo libro proprium cognomen aſpiranti? Quis huic teſtimonio de proprio viri ſani, docti, & vigentis, vllam vnquam rationem, vndecunque petitam anteponere iam audeat? Ceterum neque ratio deeſt efficax huic orthographiæ *Petrarcham* aſpiranti: prima quidem, quod etiam optione data, pulchrius atque nobilius elegerit ſibi cognomen vir inſignis; *Petrarcha* ſiquidem dicitur e Græco *Petra-archj*, hoc eſt *Petra-Princeps, primariave*: quum autem allegorice *Petra* ſignet claros & inclytos homines; quæ princeps eſt atque primaria (vox enim *archj* & *archaos* principatum, ſiue primatum indicat Græce) inter claros clariſſimum; & inter præſtantes præſtantiſſimum virum deſignat. Quod cognomen vt perhonorificum, & nobilius, ita viro ſummo recte congruens fuit, illique placuit magis quam aſpiratione carens vocabulum *Petrarca*, quod *lapideam-arcam* dicit, quæ dignitate cedit *Petra-Principi* Petrarcham aſpiranti; Petra namque Princeps adamas eſt, aut alia quæuis pretioſa, præſtantior quam arca lapidea. Quin etiam ex adamante ſi fuerit arca, debuit potius a nobilitate pretioque lapidis primarij cognominari, quam a figura lapidi ab artifice indita; nam veteres a præſtantia lapidum Anulos paſſim Smaragdos, Adamantes vocabant, omiſſo Anuli vocabulo, non de figura ſoliciti, ſed de gemma; vti conſtat ex Martiale, laudante plures Anulos amici Stellæ hoc epigrammate,

Petrarcha etymologia.

lib. 5. epig. 10.

„ Sardonychos, Smaragdos, Adamantes, Iaſpides vno
„ Portat in articulo Stella, Seuere, meus.
„ Multas in digitis, plures in carmine gemmas
„ Inuenies: inde eſt hæc, puto, culta manus.

Sed altera ratio magis propria eſt, quod æuo viri præcelſi cognomina deſumi paſſim conſueuerunt apud Etruſcos a nomine proprio Patris, vt paternum nomen facile cederet in cognomen filiorum: ita de Danthe refert Landinus commentator in eius Vita, cuius dicta ſic ad verbum Latine ſonant, *Eſt igitur fama conſtans, a multis, nec exigua autoritatis, nec ignobilibus ſcriptoribus ſemper adaucta, Ex nobili familia Frangipana, quæ Romæ fuit Ordinis Senatorij, & ex qua ortum habuit Diuus Ambroſius, natum fuiſſe Heliſeum. Qui, reſtaurata Vrbe noſtra a Carolo Magno, Florentiam venit; & poſuit ſuum domicilium in Sexto Sancti Petri, prope Donatos, & Pazzos. A quo ſucceſſores, relicto nomine Frangipanorum, denominati fuerunt Heliſei: & in Republica diu floruerunt. Inter hos extitit Cacciaguida, cui deſponſata fuit Virgo Ferrarienſis e nobili familia Aldigheria: Quapropter vnum filiorum, qui ex ipſa nati fuerunt, nominauit Aldigherium. Iſte, quia fuit ob ſuas excellentes virtutes in ſumma autoritate & veneratione in Republica, ſicut Heliſeus mutauerat nomen Frangipanorum, ita mutauit nomen Heliſeorum; & ab eo dicti, fuerunt Aldigherij: ſed poſtea ſublata litera d, non Aldigherij, ſed Aligherij nominati fuerunt*. & mox: *E ſucceſſoribus primi Aligherij ortus fuit alter eiuſdem nominis, & ab iſto genitus fuit Danthes noſter poeta Anno Salutis MCCLX.*

Digitized by Google

M CC LX. Pariter Marſilius Ficinus audit, cognomine ſumpto a Patre ſuo, cui nomen Ficinus erat; vt ipſe (*) teſtatur in epiſtola dudum ad Franciſcum Mareſcalcum ſcripta. Non aliter ſane Franciſcus *Petrarcha*, centum circiter annos poſtea, cognominatus eſt, quod ex patre *Petrarcha* natus fuerit, vel *Petrarcho* Parentij filio, qui clariſſimus fuit Reformationum ſcriba. Qua de re, præter ea quæ notaſti dudum in tuo *Petrarcha* (i) *Rediuiuo*, locuples teſtimonium habemus a Squarzaficho, deſcribente Poetæ vitam, dum ait: *Fuit igitur Franciſcus Petrarcha genere Hetruſcus, Florentinus origine, & antiqua, & fortuna mediocri, patre Petrarcho, matre Latha*. Petrarchi vero nomen aſpirare conſueuerunt Etruſci, vt & Græci nomina conſimilia, Plutarchum, Dicæarchum, Nearchum, Polemarchum, Ariſtarchum, & huiuſmodi cuncta; præcipue Florentini, qui ſupra Græcos omnes familiariſſimam habent aſpirationem. Demum & aſpirauit in ſuo teſtamento Fratris Germani *Petrarcha* gentile cognomen, hauſtum ab eodem patre *Petrarcho*, ſiue *Petrarcha*, Franciſcus ipſemet ſcribens manu propria ipſiſſima verba: *Hac iure teſtamenti, ſeu alterius vltima voluntatis, ſeu quocunque alio modo melius valitura, conſcripſi manu propria, Padua in domo Eccleſia, quam habito, Anno Domini M CCC LXX: pridie Nonas Aprilis. Et Nicolaum filium quondam Ser Bertolamei, ac Nicoletum filium Ser Petri, Notarios infraſcriptos rogaui, prout in eorum ſubſcriptionibus infraſcriptis continetur. Vnum addo, quod ſtatim poſt tranſitum meum, hæres meus ſcribat ſuper hoc meo fratri Germano Monacho Chartuſienſi, qui eſt in Conuentu de Matcrino prope Maſſiliam, vt det ſibi optionem, vtrum velit centum Florenos auri, aut ſingulis annis quinque, vel decem, ſicut ſibi placet: & quod ipſe eligeret, illud fiat. &c.*

Ego Franciſcus Petrarcha ſcripſi, qui teſtamentum aliud feciſſem, ſi eſſem diues, vt vulgus inſanum putat.

*l. 1. epiſt.

i cap. 1.

Non eſt autem veriſimile, credibileve, teſtamentum a *Petrarcha* manu propria conſcriptum, inter eius opera non religioſiſſime tranſcriptum fuiſſe, cum eadem prorſus orthographia, potiſſimum proprij cognominis. Itaque mihi tecum, & cum maiori numero doctorum ac eruditorum hominum, aſpirandus eſt PETRARCHA.

Hæc mihi de propoſito Quæſito circa vocabulorum complurium aſpirationem in mentem venere, quæ chartæ committerem, tuoque iudicio ſubijcerem. Tu ea boni conſule, meque amare ne ceſſes. Vale. Dabam Bononiæ, Pridie Idus Nouembris M DC XLIV.

Quomodo corpus agere valeat in ſubſtantiam incorpoream: dum ponitur ignis inferni torquere Dæmones, & animas a corpore ſeparatas: & Sacramentum gratiam ſupernaturalem in anima producere. Cap. XL.

Excellentiſſ. Sapientiſſimoque Fortunio Liceto, omniſcio, ac nouo, non Mundi Miraculo, ſed virtutis Portento, Aurelius Maſinius Caſenas S. P. D.

SI olim ad audiendam Salomonis ſapientiam ex omnibus Mundi partibus Gentes confluebant: (a) quid mirum ſi hodiernis temporibus ad te, tanquam ad veridicum noſtri ſeculi Oraculum, ac verum ſublunarium, Cæleſtium, & ſupranaturalium Dei Arcanorum explanatorem, omnes vndequaque pro Reſponſis anhelantes confugiant? Totum hoc in peruagandis a te vltimo in lucem editis ad Quæſita ſecundo Reſponſionibus, mihi ab Illuſtriſs. Antiſtite per aliquot dies benigne conceſſis, maxima cum animi oblectatione fui expertus: Vnde ea humanitate, ac benignitate, qua Familiam Maſiniam in eruditiſſimo de Annulis Antiquorum opere proſequutus es, innixus, te de Modo conſulere non dubitaui, quo corporalia, ſine implicantia, poſſint agere in ſpiritualia; & conſequenter Qualiter Inferni ignis torqueat Dæmones, & Animas a corpore ſeparatas: Nec non Sacramenta producant diuinam in anima gratiam: Qua de re obſtupuit illud etiam Eccleſiæ lumen Auguſtinus, dum protulit: Quæ tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & Cor abluat? Hic me, o Licete, a tua animi gratitudine excuſatum volo, votisque meis, cum tibi fuerit otium, vt indulgeas, etiam & etiam oro. Interim inter deditiſſimos, atque tibi deuinctiſſimos me cenſeas, precor. Diu Vale, Cæſenæ, III. Nonas Martij M D C X L V I.

(a) 3. Reg. c. 4. f.

(b) tr. 80. in Io. c. 9.

Reſponſ. Liceti de propoſitis Quæſitis. Cap. XLI.

Eximio Viro Aurelio Maſinio Fortunius Licetus B. A.

ABſtine, precor, eximie Vir, ab hiperbolica laudatione: me ſatis ego noui: non ſum dignus quem tot ac tantis titulis ornes ac oneres: quem compares Regi, mortalium omnium vere ſapientiſſimo: non ſum dignus qui ſoluam corrigiam calceamenti Magno literarum Patri: Quid tu me prouocas ad eos nodos extricandos, quos tibi non ſoluit D. Auguſtinus? Tibi tamen vt morem geram, enitar aliqua dicere breuiter in propoſitis, occupatiſſimus in publicis meditationibus. Ad primum, quo quæris, *Quomodo, ſine implicantia, corporalia poſſint agere in ſpiritualia; & conſequenter, Qualiter Ignis* in-

inferni torqueat Dæmones, & animas a corpore ſeparatas: animaduerto, nullam
implicantiam eſſe, ſi ponatur corporale quid agere ſimpliciter in ſpiritua-
le; nam id phyſice fieri poteſt; etenim quum anima noſtra intellectiua de
ſe ſit ſubſtantia ſpiritualis; attamen infuſa, & adiuncta corpori, multa pati-
tur ex contagione corporis; quia quum de ſe, procul a corpore degens aſſi-
due ac ſemper intelligat, intelligendo ſemper veritatem aſſequatur, & re-
rum intellectarum diſtinctam cognitionem habeat, eamque celerem atque
ſubitam, abſque difficultate penitus vlla: Nihilominus in corpore ſita, de-
genſque in nobis, a ſubſtrato ſibi corpore patitur adeo, vt obtineat intelli-
gendi functionem difficilem, atque tardam, plerumque confuſam, non au-
tem diſtinctam ſemper cognitionem habeat; immo vero notionem ſæpiſſi-
me falſam obtineat, raro veritatis participem: nec aſſidue ſemper functio-
nem intelligendi promouere valeat, ſed plurimum illam interrumpere co-
acta ſit: Quæ ſingula docet experimentum quotidianum, & Ariſtoteles ip-
ſe non vno in loco. Primo quidem aſſerens, (a) Homo *ſolus animalium om-* a 4. de par.
nium erectus eſt; quoniam eius natura, atque ſubſtantia diuina eſt: officium au- an. c. 10.
tem diuini eſt intelligere, atque ſapere: quod non facile eſſet, ſi vaſta corporis mo-
les aſſideret: pondus enim tardiorem reddit & mentem, & ſenſum communem.
Dein autem aiens, (b) *Omniquaque autem, & omnino difficillimorum eſt, accipere* b 1. de an.
aliquam fidem de ipſa anima: & alibi, (c) *Speculatio de veritate, partim difficilis,* t. 4.
partim facilis eſt: ſignum autem, quod neque ſatis eam aliquis conſequitur, neque c 2. meta.
aberrant omnes ab ea, ſed quiſque aliquid de natura dicit: & ſinguli quidem nil, t. 1.
aut parum ei addunt; ex omnibus vero collectis aliqua magnitudo fit. Quare, ſi ita
ſe videtur habere, vt in prouerbio dicimus, Quis aberrabit a ianua? hoc modo pro-
fecto facilis eſſet totum autem, & partem habere non poſſe, hoc eius difficultatem
oſtendit. Quum vero difficultas duobus ſit modis, fortaſſis cauſa eius non rebus,
ſed nobis ipſis ineſt; quemadmodum enim veſpertilionum oculi ad lumen diei ſe ha-
bent, ita & intellectus animæ noſtræ ad ea, quæ manifeſtiſſima omnium ſunt.
Deinde vero ſcribens, (d) *Laborioſum autem eſt & commiſtum eſſe corpori, non* d 1. de an.
potens abſolui: & præterea fugiendum; ſiquidem melius eſt intellectui non cum cor- t. 49.
pore eſſe, quemadmodum & conſuetum eſt dici, & multis placet. Inſuper autem
aiens, (e) *Et tamen oportuit ſimul ipſos & de deceptione dicere: magis propria enim* e 2. de an.
eſt animalibus; & plus temporis in hac, permanet anima. Præterea dicens, (f) *Cur* t. 151.
autem non ſemper intelligat, cauſa conſideranda eſt: In habentibus autem mate- f 3. de an.
riam potentia ſolum vnumquodque eſt intelligibilium. Quare illis quidem non in- t. 16.
erit intellectus. ſine materia enim potentia eſt intellectus talium: ille autem intelli-
gibile erit. Vlterius inquiens, (g) *An omne non habens materiam indiuiſibile eſt,* g 12. meta.
quemadmodum humanus intellectus, aut qui compoſitorum in aliquo tempore ſe ha- t. 51.
bet; nam non bene eſſe habet in hoc, aut in hoc; verum in toto quoddam, quod opti- h l. 2. c. 13.
mum eſt, aliud ab eo exiſtens. Sic autem ipſa ſui ipſius intellectio per totum æternum & li. 3. c. 2.
ſe habet. Quem locum a me latius explicatum videre poteris in opere De 3. 25.
(h) Animorum immortalitate. Sic ergo corpus, animæ rationali ſubſtra- i 1. de an.
tum, ſine implicantia poteſt aliquid agere in animæ ſubſtantiam incorpo- t. 12. &
ream, atque ſpiritualem, impediendo, labefactando, & vitiando propriam 3. de an.
ipſius operationem, quæ vocatur intelligere ab (i) Ariſtotele. Quid ni pari- t. 4. 6.

ter abſque implicantia poterit ignis Inferni corporeus agere in Dæmones, & animas hominum ſceleſtorum a ſuo corpore ſeparatas? inſunt enim & Dæmones & animæ nocentes in igne tartareo ſubmerſæ, ſicut anima rationalis in humano corpore demerſa eſt; licet ignem non informent, vt anima ſubiectum ſibi corpus humanum. Immo vero quum anima patiatur a familiari ſibi corpore ſubdito; multo magis Dæmon & anima damnati perpeti cruciarique poterit, atque debebit ab igne corporeo, non familiari, ſed hoſtili, ſibi circumpoſito non ſolum, ſed etiam intrinſecus infixo. Ceterum etſi corporeum agens non haberet phyſice vim excruciandi ſubſtantiam incorpoream Dæmonis & animæ damnatæ; nihilominus omnia quum ſint in obe-
m Rom. 4. dientiali poteſtate Dei, qui vocat ea quæ (*m*) non ſunt tanquam ea quæ ſunt; poteſt ignis corporeus Inferni, tanquam inſtrumentum Diuinæ voluntatis atque iuſtitiæ torquere ſpirituales illas animarum ac Dæmonum ſubſtantias, eleuatus a ſummo Deo ſupra naturales vires ſuas ad iſtam facultatem;
Geneſ. 1. qui pridem eleuauit aquas de ſe ſteriles ad productionem natantium, & volatilium animalium, terramque pariter inanem & vacuam ſeminibus ad germinationem herbarum & arborum, nec non ad productionem reptilium
o de ſecundo Quæſit. & beſtiarum aliarum; vt oſtendi (*o*) latius alibi. Itaque Deus ille, qui poteſt eleuare corpus naturale quoduis ad effectum ſupra ſui vires naturales corporeas efficiendum, nullo negotio poteſt eleuare corporalem ignem Inferni ad cruciandas animas incorporeas, & Dæmones. Non aliter aquam frigidam ſæpe Deus eleuauit ad igneam virtutem amburendi ſceleſtorum peierantium corpora; qui modus probationis olim frequens erat; exem-
p diſ. mag. t.2.l.4.c.4. qu.4. ſe. 4. plumque nobile legitur in vita S. Gangulfi Martyris, propoſitum a (*p*) Delrio ſub his verbis ex autographo citatis: *Interim ad quendam veniunt fontem* (Gangulfus, & vxor) *vbi his vxorem vocibus compellat: Multa quidem de te, coniux, paſſim feruntur fœda & indigna natalibus tuis; & adhuc mihi quidem certo non conſtat, verene an falſo illa dicantur. Tum illa, etiam intrepide iurando, falſos de ſe rumores ſparſos, ait, nec ſe vnquam alieno concubitu pollutam. At Gangulfus, Diuina, inquit, prouidentia, quam nihil fugit, vt ſe res habeat, iam certis declarabit indicijs: En fons hic propoſitus eſt, nec frigidus valde, nec immodice calidus: In hunc igitur immitte manum, & e fundo lapillum extrahe; & ſi quidem a culpa es aliena, nihil mali patieris: ſin autem polluta es, non ſinet Deus latere ſcelus tuum. Illa beati viri, ſicut alios omnes, ita hos quoque ſermones vecordia aſcribens, incunctanter manum iniecit in fontem. Ecce autem, ſimul atque lapillum cum ſe retrahere conata eſt, membris fere omnibus obrigeſcit, & in digitis & brachio, quouſque aqua pertigit, abſtracta cute, nuda caro cernitur: nihilque aliud miſera illa niſi repentinum interitum expectat.* Confirmat idem Sigebertus apud Surium XI. Maij: & ſignificat, hunc illum fuiſſe fontem, quem miraculoſe ex Campania Vvarenas Gan-
" gulfus tranſtulerat, conuictam adulterij vxorem deſeruit: nec diu poſt, vxo-
" ris hortatu ab adultero fuit necatus. Hæc ille. Sicut ergo Deus aquam il-
" lam non impenſe calidam, vt adulteram cruciatu detegeret, eleuauit admirabiliter ad violentiam vrentis aquæ; iam ad fontes animas & Dæmones torquendos ignem corporeum eleuat ad excruciandas incorporeas damnatorum ſubſtantias. Verum enimvero non omittendum videtur animam in

hu-

Digitized by Google

humano corpore degentem, igne comburente membra, quæ viuificat, & animat, cruciari, doloremque perpeti, non ſolum in parte ſenſitiua, quæ dolet; ſed etiam in intellectiua, quæ contriſtatur, angitur, atque mœret: Quidni, naturam & eſſentiam ſuam priſtinam retinens anima ſeparata doleat & contriſtetur ac mœreat in ignibus Inferni ſepulta? ſed forſitan aptior eſt prior explicatio nodi; quod eleuare Deus ad libitum poteſt quamcunque rem corpoream ad operandum ſupra ſui naturalem virtutem in res incorporeas: ac ita corporeum ignem iuſſu Dei extolli ad vim actiuam ſupra naturæ ſuæ conditiones, qua velut inſtrumentum diuinæ iuſtitiæ poteſt animas impias ac Dæmones æternum cruciare; ſicut eleuauit e contra virtutem ignis in fornace Babylonis ad producendum, Angeli miniſterio, ſuſtinendumve quaſi ventum roris flantem; ſiue virtutem carnis, & indumentorum tergemini pueri ad reſiſtendum ignibus, quibus vna tot homines ante fornacem combuſti fuere: necnon ardentis rubi vires ad reſiſtendum *(f)* flammæ conceptæ. Hæc de primo Quæſito dicta ſint. Alterum autem difficilioris eſt enodationis, quod non habeamus in natura corpus vllum aptum natum de ſe mundare ſceleribus animam, & ipſi conferre gratiam diuinam. Sed obſeruo tamen eo loci D. Auguſtino, aquam ſimplicem, ſine verbo Dei, non conferre gratiam, neque mundare animam a crimine: ſed omnia ſacramenta corporea mundare a culpa, gratiāq. conferre, quatenus illa corpora elementaria, vel corporum elementarium ſpecies, adiunctum habent vtcumque verbum Dei, Spiritum Sanctum, ac omnino Deum; quoniam opera Diuinarum Perſonarum, ad extra nuncupata, ſunt indiuiſa, ſicut aiunt Theologi noſtri. Sacramenta igitur producunt Diuinam gratiam in anima, quia illis viſibilibus aſſiſtit, ac eminenter adiungitur inuiſibilis ipſe Deus, qui gratiam ſuam impertit iis, quicunque digne ſuſcipiunt illa ſacramenta ex fide, ac in nomine Domini Dei; ſi quis enim ſimulans impius pietatem, ſacramenta ſuſcipiat indigne; viſibilem quidem creaturam aſſumit in corpore, ſed gratiam Creatoris non aſſumit in anima. Baptiſmatis aqua non mundat Ethnicum, nec Hebræum, qui metu mortis Chriſtianum ſe ſimulat reus maleficij conuictus apud Iudicem, & condemnatus, nihil animo Chriſti fidem exiſtimat: Euchariſtia, vinique conſecrati portio proditori Iudæ per manus Domini porrecta gratiam non contulit; ſed indigne manducans & bibens, iudicium ſibi manducauit, & bibit impius, quo damnatus eſt: Abſolutio Sacerdotis confitenti pœnitentiam ſimulanti, non habet aſſiſtentem Deum, qui conferat indigno gratiam, & remiſſionem culpæ, ſed vltorem ſceleris: & ita de ceteris ſacramentis aſſerendum eſt; in quibus gratiam non confert ſacramenti creatura viſibilis, ſed Creator aſſiſtens illi creaturæ, qui ſuam gratiam in anima digne ſacramentum ſuſcipientis producit, ſuam gratiam exhibet ſolum ſuſcipientibus digne ſacramenta. Secus enim ſi creatura, quæ reperitur in ſacramento, de ſe gratiam conferret; eam etiam indigne ſe recipientibus conferret; quod falſum eſt. Quam quidem doctrinam profert loco propoſito D. Auguſtinus in Euangelium Ioannis inquiens, *(g) Iam vos mundi eſtis propter verbum, quod locutus ſum vobis. Quare non ait, mundi eſtis propter baptiſmum, quo loti eſtis; ſed ait propter verbum, quod locutus ſum vobis? niſi, quia*

Dan. 3.

f Exod. 3.

g tr. 80.

Ii

quia & in aqua verbum mundat: detrahe verbum, & quid aqua, niſi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum, etiam ipſum tanquam viſibile verbum: nam & hoc vtique dixerat, quando pedes diſcipulis lauit: Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus. Vnde iſta tanta virtus aquæ, vt eos tangat, & cor abluat niſi faciente verbo? Non quia dicitur, ſed quia creditur; nam & in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens. Hoc eſt
h Rom. 1. *verbum fidei, quod prædicamus, ait Apoſtolus; (h) quia ſi confeſſus fueris in ore tuo, quia dominus eſt Ieſus; & credideris in corde tuo, quia Deus illum ſuſcitauit a mortuis, ſaluus eris: corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem:*
i 13. *vnde in Actibus Apoſtolorum (i) legimus, fide mundans corda eorum: & in epiſtola*
k 1. c. 2. *(k) ſua beatus Petrus, ſic & vos, inquit, baptiſma ſaluos facit, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio, hoc eſt, verbum fidei, quod prædicamus, quo ſine dubio, vt mundare poſſit, conſecratur & baptiſmus. Chriſtus quippe nobiſcum vitis, cum Patre agricola, dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro eâ. Lege Apoſtolum, & vide quid adiungat: vt eam ſanctificaret, inquit, mundans eam lauacro aquæ in verbo. Mundatio igitur nequaquam fluxo & labili tribueretur elemento, niſi adderetur, in verbo. Hoc verbum fidei tantum valet in Eccleſia Dei, vt per ipſam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum mundet infantem, quamuis nondum valentem corde credere ad iuſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem. Totum hoc fit per verbum, de quo Dominus ait, Iam vos mundi eſtis propter verbum, quod locutus ſum vobis.* Igitur ex D. Auguſtini ſententia, ſacramenta producunt in anima diuinam gratiam, non ratione creaturæ materialis, atque viſibilis, quæ materia eſt ſacramenti; ſed ratione verbi Diuini, quod eſt forma ſacramenti; nam etiam in rebus naturalibus actio non prouenit a
l 1. phyſ. t. 56. materia, quam Ariſtoteles *(l)* ait eſſe principium mere paſſiuum; ſed a forma, quæ ſola principium actiuum eſt *(m)* principale. Nullum autem ſacramen-
m 2. de an. t. 24. tum eſſe ſine Diuino Verbo, ſermoneque, certiſſimum eſt vnicuique: ſermonem autem Dei efficacem eſſe notiſſimum eſt: *(n) Viuus eſt enim ſermo Dei,*
n Hebr. 4. *& efficax*, vt ait D. Paulus. & in Pſalmis, *(o) Verbo Domini cæli firmati ſunt, &*
o pſ. 32. *ſpiritu oris eius omnis ornatus eorum. (p) Quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe man-*
p pſ. 148. *dauit, & creata ſunt* omnia in verbo ſuo. Quinimmo ſacramentum vnumquodque celebratur in nomine Domini, gratiam ſuam per ſingula ſacra-
q Matth. 18 menta conferentis: qui dixit aliquando, *(q) Vbi enim ſunt duo, vel tres congre-*
r Luc. 5. *gati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* & alibi, *(r) Dixit ad Simonem, duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam: & reſpondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete: & quum hæc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam.* &c. Deus itaque, verbumque diuinum, cuique ſacramento neceſſario inſidens, & aſſiſtens, gratiam in anima ſacramentum digne recipientis producit, non autem ipſa materia ſacramenti, quæ creatura corporalis eſt, de ſe diuinam gratiam producere minime valens. Niſi dicamus etiam, Deum verbo ſuo eleuare naturam creaturæ corporalis ad producendam diuinam gratiam in anima: Quod videtur innuere D. Auguſtinus allatis verbis: *Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum tanquam viſibile verbum*, nimirum eleuatum ad virtutem inuiſibilis verbi ſupernaturalem.

Hæc

Digitized by Google

Hæc illa ſunt, Vir eximie, quæ mihi reſpondenda videntur de duobus tuis arduis Quæſitis. Poteris, etſi ſcripta raptim ab occupatiſſimo, ipſa boni conſulere. Vale, & me ama. Dabam Patauij, e meo Sc-lumnæ Muſæo, III. Id. Martij M DC XLVI.

De Succini generatione, atque viribus. Cap. XLII.

Illuſtriß. Viro, Sapientum ſummo, famigeratiß. Fortunio Liceto Io: Baptiſta Ambronus Caſenas S. P. D.

IVcundiſſimum mihi fuit Reſponſum abſte, Vir doctiſs. meo Quæſito de dierum hebdomadis denominatione a Planetis, cuſum in Opere tuo de Secundo-Quæſitis. Quum itaque ſit animi gratiſſimi, Cui multum debetur, ei plurimum velle deberi; ideo rurſus ad ſublimem incomparabilemque ſapientiam tuam, velut ad nouum Salomonem confugere ſum auſus, ea qua decet reuerentia rogans, ne celſitudini Ingenij tui, humillimæ petitioni, in meis infraſcriptis verſiculis contentæ, afferre Reſponſionem ſit moleſtum. Sic tua in me, Tui obſequentiſſimum, aſſidua beneuolentiæ ſigna certiora, & obligationes in Te meas maiores reddes: Quarum, & meritorum erga me tuorum nulla vnquam delebit obliuio: ſic pro certo habeas velim. Vale, meque Excellentiæ Tuæ ſtudioſiſſimum diligere ne ceſſes. Cæſenæ IV. Idus Martij M DC XLVI.

» Succineæ ortum gemmæ, virtutemque requiro
» A Te; obſecro, doce ſin'par'in Orbe SOPHE.
» Sex Ambræ orbiculos Stemma ac tria Sydera cingit
» Ambronæ Gentis, quæ viget ipſa ſatis.

Reſp. Lic. De multiplici generatione Succini, Eboris, Ebeni: & Ligni: deque viribus Electri. Cap. XLIII.

Cl. Viro Io: Baptiſtæ Ambrono Fortunius Licetus B. A.

SI volumina Salomonis, quibus omnium & plantarum, & animalium naturas atque vires explicauit, (a) ad manus haberem, facile mihi foret Quæſito tuo ſatisfacere, mi Ambrone; quanquam id arduum ita ſit, vt omnis Antiquitatis ingenia celebriora multum fatigauerit, & etiam num excruciet æui noſtri ſtudioſorum animos. Quantum ex aliorum ſcriptis & ex rei natura deducere potui, quod veritati mihi litare videtur, Electri, quod appellant Autores & Succinum, & Ambram, & Perſice Karabe, non vniuſmodi, ſed

a 3. Reg. 4.

ſed geminam generationem in Natura video, de terræ finibus alteram, & alteram de finibus arborum reſiniferarum: Quod enim & Ebori, & Ebeno, lignoque cuidam alij commune nouimus, ortu gemino produci, facile perſuadere poteſt, etiam Electro duplicem originem contigiſſe. Porro communis obſeruatio eſt Ebur in Elephanto gigni, cuius eſt aut dens, aut cornu; ſed præterea genus Eboris foſſile de terra educi compertum eſt; etenim Theophraſtus in opere ſuo de lapidibus ait, *Atque in his pene peculiaris praſtantia, & excellentia; quanquam ſunt & alia quædam, vt Ebur foſſile nigricantibus maculis*
a l.36.c.18. *varium, & quæ Sapphyrus dicitur*. Quem locum citans Plinius inſit, (a) *Theophraſtus autor eſt & Ebur foſſile candido & nigro colore inueniri, & oſſa e terra naſci, inuenirique lapides oſſeos*. Niſi forte cenſeamus, Ebur iſtud foſſile nihil aliud eſſe, quam Ebur ab Elephanto defoſſum atque ſub terra prius occultatum; etenim certo ſcimus, Ebur vetuſtate de priſtino candore plurimum amittere, flauitiemque contrahere; nemoque negauerit, Ebur in terra diu ſepultum a tetro telluris humore maculari poſſe notis nigredinis: ab Elephanto vero
b l.8.c.3. deciduos dentes intra terram condi certiſſimum eſt, dicente Plinio (b) de natura Elephantum, *Prædam ipſi in ſe expetendam, ſciunt ſolam eſſe in armis ſuis, quæ Iuba cornua appellat, Herodotus tanto antiquior, & conſuetudo melius, dentes. Quamobrem deciduos caſu aliquo, vel ſenecta, defodiunt. Hoc ſolum Ebur eſt* (in Elephanto, vel ex Elephanto) *cetero, & in his quoque, quæ corpus intexit* Elephas, *vtilitas oſſea*. Verum enimvero quum apertiſſime Theophraſtus aſſerat, oſſa e terra naſci, & Ebur foſſile candido & nigro colore competiri; negandum non eſt, præter occultatum Ebur deciduum ab Elephanto, reperiri natum Ebur in terra foſſile. Conſimilem Ebeni duplicem ortum habemus, alterum foſſile de ſe non egrediens terræ cuniculos, alterum extra terram adoleſcens in arboris naturam: de foſſili Dalechampius in adnotationibus
c ad l.36. c.18. Plinianis ita, (c) *Ebenum foſſilem, qui igne non accenditur, in metallis aluminis ad Hildeſeim reperiri tradit Agricola. Hoc Theophraſtus libello de lapidibus, quem nos emendauimus*. Ebenum autem arborem eſſe ligno ſolidiſſimo, conſtat
d 5.hiſt.pl. c.4.5. omnibus apertiſſime; cuius hiſtoriam late proſequitur Theophraſtus, (d) & (e) Plinius. Ceterum quando Theophraſtus in opere ſuo de lapidibus mihi
e l.12.c.4. & alibi. nunquam videatur egiſſe de Ebeno foſſili, ſed tantum de Ebore foſſili: & quando nunquam inuenire potui mentionem Ebeni foſſilis ab Agricola factam in opere ſuo de re metallica: ſuſpicor Dalechampium pro Ebore foſ-
f l.36.c.18. ſili, de quo Plinius (f) allato loco, ſubſtituiſſe nobis Ebenum foſſilem; ſiue deliquerit ipſe ſimilitudine nominis, ſiue typographus. Ad quem ſcopulum alliſiſſe videtur etiam nouiſſime Stellutus in opere ſuo de Ligno foſſili mine-
g init. rali dicens, (g) *Etſi Theophraſtus, vti ſcribit Plinius lib. 36. c. 18. ſuæ Hiſtoriæ naturalis, dicat inueniri Ebenum foſſilem candidi & nigri coloris; & in terra ſeu ex terra gigni etiam oſſa* &c. Quum certiſſime conſtet eo loci Plinium atque Theophraſtum agere de Ebore foſſili, non de Ebeno foſſili. Si tamen (quod mihi videre non licuit apud Agricolam, aliquot horis inſumptis in eius lectione) Georgius obſeruauit in fodinis aluminis Hildeſeim Ebenum foſſilem, non repugnabo duplicem hanc Ebeno dare generationem, & in arborum ſinu ſupra tellurem, & intra terræ gremium in genere foſſilium. Attamen illud ab-

Digitized by Google

abſolute recipere debemus a Stelluto, præter communem & vulgarem ligni generationem in arborum ſubſtantia, gigni quoque lignum foſſile minerale, nuper inuentum in Italia, ſcilicet in Vmbria Prouincia, Tudertino tractu, Colleſiuum inter & Opidum Roſarum; qua de re luculentiſſimum tractatum nouiſſime Stellutus edidit. Vnde nulli dubium eſſe debet, non vnicam Succini generationem haberi poſſe; vnam quidem vulgarem, ceu lacrymam ex arbore reſiniſera; de qua luculentiſſime (h) Plinius, (i) Tacitus, (k) Solinus cum ſuo Scholiaſte (l) Munſtero, (m) D. Iſidorus, & (n) Anglicus: alteram non ita communem, ceu ſuccum terræ, qui vel exitum non habens concreſcat in foſſile metallum; vel e terra per latentes cuniculos exeat in mare: niſi tertiam deſpiciamus, qua dicitur eſſe quidam humor, ſiue ſperma Ceti. Quando vero de prima Succini generatione veluti lacrymæ defluentis ex arboribus reſiniferis, quarum odorem reddit incenſa Succini ſubſtantia, ſatis apud citatos Autores, omnibus proſtantes, apertam habemus hiſtoriam, ſufficiet afferre propoſitam hiſtoriam apud Garziam ab Horto, apud quem libello de ſimplicibus Indiæ Orientalis, (o) refert Carolus Cluſius inquiens, *In Sibilia nundinis affertur ex America quoddam oleum, colore citrino, de quo mirabilia prædicantur in affectibus matricis. Appellant id oleum Ambra, quum odorem habeat ambræ. Credo defluere ab arbore, quæ deſcribitur in hiſtoria Mexicana ſic: Inter arbores Mexicanas agitur de nuncupata Ocoſort, ſatis magna, pulchra, foliis hederæ ſimilibus: cuius liquor, nomine liquidambra vulnera ſanat; & cum ſuo corti ce miſtus, & in puluerem redactus, odorem ſuauiſſimum reddit.* Olaus Plinio ſubſcribens, & acclamans ait, (p) *Abietes ſeu pineæ arboris natura ſua reſinoſa, excelſa proceritate, ſiue ſuper litora maris, ſiue ſuper riuos, vel altas ſiluarum decliuitates creſcentes, Succinum ſudant, maxime dum maturis frugibus Solis feruor torrentibus ipſis Iunio, Iulioque menſibus incendioſior, Cancri atque Leonis tetigerit metas: tum iſtæ arbores æſtu valido fiſſis corticibus, Succinum ſui liquoris in ſubiectos latices, ſeu fluuios indurandum emittunt: ſicque ſtillando quodcumque obiectum corpus ſui tenacitate tanquam glutinem inuoluit; quo fit vt ranæ, mures, culices, araneæ, muſcæ, ariſtæ, legumina, & his ſimilia, in reſinoſo hoc viſco (vt infra l. 18. c. 12. patebit) rapta inuoluantur, ac indurentur: etiam ſi in arenam ceciderint continuata gutta, quia imbre ſuper effuſo ad riuos, inde flumina, & tandem in mare deferuntur: vbi inſtar aliarum arborum tantum certo tempore indurantur, vt ſaxoſa duritie coctum, dira tempeſtate per mare Gothicum, ſeu Finnonicum, ac Liuonicum euomatur in Pruthenicum litus, ſcilicet Meridionale, directe oppoſitum Septemtrioni: & hoc omni tempore, quo flatibus vnda voluantur ad Pruthenicam terram: in qua ob Principis edictum, nulli niſi deputati, & iurati laboratores, Succinum huiuſmodi colligere poſſunt.* Altera Succini generatio, ſiue ſpecies e terra eſt; nempe ſuccus quidam bituminoſus, qui dum effluxum non habet, intra terram manens concreſcit in lapidem; dum vero reperit effluxum, e terræ latebris exit, vel e fundo maris ad ſummum aquæ: de priori genere Theophraſtus aperte loquitur in opuſculo ſuo de lapidibus inquiens, *Porro lapis, qui in promontorio Erineade multus oritur, perinde atque ille, qui in Benis eſt, combuſtus bituminis odorem mittit: quod autem ex vſtione remanſerit, combuſtæ terræ ſimile fit: quos autem Carbones vocant, qui propter vſum franguntur, terreni ſunt. Vtuntur autem & in-*

h l. 37. c. 3.
i de mor. Germ.
k cap. 33.
l ibid.
m l. 16. c. 8.
n l. 16. c. 38
o cap. 1.
p l. 12. c. 8.

cenduntur vt carbones. Sunt hi in Liguria, vbi etiam Succinum eſt, & in Elide
Olympiam per montes petentibus. & mox: *Quum autem & Succinum lapis ſit; eſt*
enim foſſile, quod in Liguria eſt, hunc etiam trahendi vis conſequatur neceſſe eſt.
Liguriam appellat Græcus autor Narbonenſem prouinciam Liguriæ finiti-
q lib 2. & 4. mam, vt ait ipſe Strabo; (q) quum prope Narbonem inuenerit Electrum foſ-
ſile Dalechampius ita ſcribens in ſuis Plinianis adnotationibus, (r) *Gaga-*
r ad l. 37. c. 3. *tis, qui procul dubio bitumen, in viſceribus terræ multis ſeculis excoctum, glebam*
habui erutam prope Narbonam in eius lapidis fodinis, dimidia parte nigram, altera
flauam, Succini modo; quod argumento certiſſimo eſt, Succinum eo modo gigni, quo
diximus. & paulo antea poſuerit Ambram in bituminum genere dicens, *In*
regione, quæ Succinum mittit reſiniferæ nullæ ſunt arbores (verum id quidem eſt
de Pruſſia, cuius ad litora ventis per mare delatum Electrum appellit, quod
inde collectum ad nos vehitur, ortum primo locis valde magis Borealibus,
vbi multæ ſunt arbores gummiferæ, Plinij, Taciti, Olai, & aliorum teſtimo-
nijs) *At in Septemtrionalium litorum tractu bituminis certe genus flauum eſt, vt*
nigrum apud nos in Aruernis; eiusque Naphtha flaua, qualem e Saxonibus afferunt,
& Petroleum vocant, vt apud nos atra. Quum ergo fonte ſuo ſcaturit bitumen
id, molle adhuc & liquidum, obuia quæque amplectitur, retinet, includit. Fluctu
vero lambente in altum promotum, maris vertigine, ac ſalſugine, temporisque
diuturnitate duriſcit, vt apud nos Piſſaſphaltum; & iam iam Succinum eſt. Sic-
que concretum in litora eius ſcaturigini oppoſita aduerſis ventis eijcitur. Cęſalpi-
ſ 3 de plan. c. 45. ni relatu, (ſ) *Philemon teſtatur Electrum in Scithia duobus locis effodi. Alij qui-*
dam iuxta mare Atlanticum eſſe lacum Cephiſidam, qui Sole excalfactus e limo dat
Electrum fluitans; & Cratim amnem in Sicione e lacu in Oceanum effluentem ea-
dem ratione Succinum ferre: Ideo fuere, qui ſudorem terræ pinguem appellarunt
a Sole excitatum, qui denſatus, & vndis Oceani raptus feratur ad litora Germano-
rum. In eadem ſententia eſt Albertus, & Euax, qui ſub Gagatis nomine de Suc-
cino agunt. An & trahi humorem huiuſmodi pinguem in arbores quaſdam non mi-
rum? vnde fluens lacryma denſetur, & lapideſcat ob maris ſalſedinem? ſic diuer-
ſorum hiſtoria nequaquam neganda: eadem enim terræ pinguedo genera bituminis,
& Naphtha ſub terra gignere poteſt; & a diuerſis arboribus ob quandam affinita-
tem attracta & Camphoram & Electrum reddere, vt ros cæleſtis Mannam. Strabo
t l. 3. vero foſſilis Electri (t) meminit dicens, *Aſſerunt quidem Galli ſua metalla eſſe*
præſtantiora in Cemmeno monte, & ſub ipſam Pyrenen: tamen & hic maior pars
laudatur. Cæterum inter auri ramenta aiunt inuentas aliquando ſelibres glebas,
quas ipſi palas nominant, exigua purgatione indigentes. Ferunt etiam lapidibus
fiſſis inueniri glebulas vberibus ſimiles. Porro auro cocto & purgato aluminoſa
quadam terra, Electrum eſſe id, quod purgando reijcitur: quod quum habeat ar-
genti aurique miſturam; eo cocto, argentum quidem comburi, aurum autem per-
manere; nam forma eſt foſſilis & lapidea. Quibus plane tum confirmatur aſ-
ſertum Dalechampij de Succino foſſili Galliæ: tum reprobatur opinio An-
glici de Succino ex auri & argenti miſtura per artem elaborata. Quam ait
u cap. 1. profiteri D. Gregorium apud Ezechielem. Quia dum Ezechiæ (u) locum
x l. 28. moral. c. 2. non ſemel explicat D. Gregorius inquiens, primum, (x) *Electrum quippe ex au-*
ri argentique metallo miſcetur: in qua permiſtione argentum quidem clarius reddi-
tur.

Digitized by Google

tur, ſed tamen fulgor auri temperatur. Quid ergo in Electro, niſi Mediator Dei, &
hominum demonſtratur? Qui dum ſemetipſum nobis ex Diuina atque humana natu-
ra compoſuit, & humanam per Deitatem clariorem reddidit, & Diuinam per huma-
nitatem noſtram noſtris aſpectibus temperauit. Quia enim virtute diuinitatis eius
tot miraculis humanitas fulſit, ex auro creuit argentum; & quod per carnem Deus
cognoſci potuit, quodque per carnem tot aduerſa tolerauit, quaſi ex argento tempera-
tum eſt aurum. Quod bene & in medio ignis oſtenditur: quia incarnationis eius
myſterium ſubſequentis iudicij flamma comitatur: (y) ſcriptum quippe eſt, Pater y Io.5.
non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit Filio. Vel etiam quia myſte-
rium incarnationis effectus eſt immenſæ ac ardentiſſimæ charitatis, qua
Deus homines amauit; ſcriptum eſt enim, (z) *In hoc apparuit charitas Dei in* z 1.Io.4.
nobis, quoniam Filium ſuum vnigenitum miſit Deus in mundum, vt viuamus per
eum. Eſt autem incarnatio Verbi, non artis opus, ſed Naturæ Diuinæ mirabi-
lis effectus. Quamobrem agens D. Gregorius & hic, & alibi non (a) ſemel a lib. 1. in
de natura Electri ab Ezechiele viſi, non de artificiali miſtura auri & argen- Ezech. ho.
ti tractat, ſed de naturali, de qua Strabonem egiſſe viderat, eam ſemper ad 2.
incarnationem Verbi Diuini referens. Quin & hoc idem a Pauſania di- & hom. 8.
ctum videre potuit in Eliacis (b) aſſerente, *Eſt alioqui Electrum nihil aliud, quam* b Prior.
argento permiſtum in metallis aurum; in metallorum fodinis indicante Ele-
ctrum oriri permiſtione auri, & argenti. De quo foſſili Electro, ex auri &
argenti miſtura concreto, non artis opere, ſed actione naturæ in fodinis Sar-
denſibus egit etiam Sophocles in (c) Antigone, quam introducit, offeren- c v.1153.
tem pretium pro ſepultura cadaueris fratris ſui Polynicis, a Creonte Tyran-
no interdicta,

„ Lucramini, pretium accipite, Sardienſe Electrum
„ Si vultis & Indicum aurum.

Vt enim Indici auri vocabulo, non in India cuſum numiſma ſignificauit, ſed
ex Indiæ fodinis erutum aurum; ita Sardienſis Electri nomine ſignauit effoſ-
ſum e Sardienſibus fodinis; vtriuſque nummi materia, locoque natali propo-
ſitis pro nummi duplici genere. Anglicanus antea de proprietatibus gemma-
rum dixerat, (d) *Electri tria ſunt genera, vnum, quod ex pino arbore fluit, quod* d l.16.c.38.
Succinum dicitur; quando enim primo fluit de arbore, eſt liquidum gummi, ſed poſt
induratur calore vel frigore in duritiem lapidis perſpicui, vt cryſtalli. Alterum ge-
nus metallum dicitur, quod naturaliter inuenitur, & in pretio habetur. Tertium
arte *fit de tribus petijs auri, & vna argenti.* Quam opinionem ex (e) Iſidoro de- e l.15.c.vlt.
ſumpſiſſe ſe fatetur. At de Succino foſſili ſpeciatim Petrus Martyr in ſuo
Indiarum Occidentalium ſummario ſcribit, (f) *Gonzalus Hernandus Ouie-* f Nauig.
dus e naui terram inſcendens, multorum hominum dux, ad mediterranea perrexit: vol.3.pag.
inuenit in quibuſdam montibus nonnullas rupes Calchedonij, Iaſpidis, & fruſtum 29.A
Sapphyri grandius anſeris ouo: reperit etiam fruſta Succini flaui: Quorum lapidum
pretioſorum viderant etiam aliquot in aliquibus domibus appenſos. Auerroes in
hanc ſententiam inquit, (g) *Ambra eſt vna ex ſpeciebus Camphora, qua oritur in* g 5.Collig.
fontibus maris, & natat ſuper aquam maris. Auicennas latius vtramque Succi- c.56.
ni generationem proponit, veluti rei quoquo pacto diuerſæ, dicens primo: h l.2.tr.2.
(h) *Ambra, ſecundum quod exiſtimo, eſt manatio fontis in mari. Illud vero quod* c.63.

Digitized by Google

dicitur, quod eſt de ſpuma maris, aut ſtercore animalis maris, longinquum eſt. Quam
opinionem recipit Symeon Sethi, cum Auerroe ſupra citato, & Cl. Præce-
ptor Coſtæus apud Meſuem in annot. ad Cap. de Elect. Diambra (dicens)
Indi, referente Pigapherta, Palanduræ ſtercus auium quarundam eſſe pu-
tant in mari: alij balenæ ſemen in Venerem acta: quod non placet; quia bi-
tuminum more Ambra diſſoluitur caloris vi; quod non euenit vlli ſtercori,
vel ſpermati, vel fungo; cuiuſmodi Ambram eſſe Serapio putat. Arridet
ergo D. Coſtæo Auicennæ & Symeonis opinio, ſcaturire Ambram veluti bi-
tumen ex maris fontibus. Cuiuſmodi ſcaturiginem alterius bituminis ex
puteis deliteſcentibus in fundo maris mortui nuncupati apud Pentapolim
i Gen. 14. in Syria, docet Sacra pagina, (i) ſtatuens Vallem Silueſtrem, quæ nunc eſt
mare ſalis, habuiſſe multos puteos bituminis. Alteram vero Succini gene-
k l. 2. tr. 2. c. 572. rationem, veluti gummi ex arbore, poſtea ponit Auicennas, inquiens, (k) *De
Karabe, ideſt Electro. Karabe quid eſt? Gummi ſicut Sandaraca tendens ad citri-
nitatem, & albedinem, & peruietatem, & quandoque declinat ad rubedinem; qua
attrahit paleas, & fracturas plantarum ad ſe; & propter hoc nominatur Karabe,
ſcilicet rapiens paleas, Perſice. Et ipſa quidem compoſita eſt ex aqueitate tepida, &
terreſtreitate iam ſubtiliata: & eſt gummi arboris, quæ dicitur Raut Romana, quæ
eſt compoſita ex terreitate ſubtili, & aqueitate tepida*. Quam ſententiam recipit,
& explicat antiquus ille Simon Ianuenſis in ſua Claui Sanationis, inquiens:
*Karabe, vel vt quidam, Kakabre eſt gummi arboris, ſecundum Auicennam, & Sera-
pionem, dicta Haut Romi, & ſecundum Dioſcoridem eſt ſpecies populi arboris iuxta
Rodanum fluuium naſcentis, & ſecundum Ouidium iuxta Eridanum. Hoc gum-
mi vocant Succinum, vt dicitur Cap. de Agiros: dicitur etiam Electrum, ſicut iam
oſtenſum eſt ſupra in Haut*. Sic igitur duplex eſt origo Succini, altera lacry-
ma ſtillans ex arbore quadam; altera defluens e terræ finibus ad inſtar bitu-
minis, aut concreſcens intra tellurem veluti natura foſſilis ſiue ex auro & ar-
gento, ſiue ex alterius ſpeciei materia concreſcat; quum omnium valeat eſſe
communis vna materia prior terræ ſuccus pinguior, vt ex ipſo Cæſalpino
notauimus. Neque mihi generatio diuerſa variat ſemper genitæ rei ſpe-
ciem; qui videam nonnullas animalium ſpecies eaſdem & per coitum ma-
ris cum femina gigni, & ſine parentum coitu putredine procreari ranas, an-
gues, mures, pulices, pediculos, muſcas, & id generis alia. Quin & ſalem
alium ex aqua maris cum dulce mixta, & ad Solem excocta fieri, nec non
multis in regionibus foſſilem haberi. Præterea generis eiuſdem ignem eſſe
qui lignorum affrictu producitur, cum eo tum qui ſpeculo concauo reuerbe-
ratis radijs Solaribus excitatur in ſtipula, tum qui percuſſu ſilicis & chaly-
bis accenditur in eſca, tum qui gignitur alio igne titionis, aut lucernæ in py-
ra. Sic igitur Electrum & ex arbore reſinifera defluit in gummi, & intra
terræ ſinum oritur, ortumque vel illico liquidum confluit ad fontes proprios,
etiam ſub mari deliteſcentes; vel exitum non habens ab originis propriæ lo-
co diuturnitate temporis ibi concreſcit in foſſile naturamque lapideam. Vir-
tutes vero Succini plurimæ ſunt in medicina morborum medicatrices, præ-
ter vulgarem illam palearum, & leuium floccorum attractionem, vnde ſor-
titur harpagi nomen, vt ait Auicennas: & præter odoris eximij communica-
tio-

Digitized by Google

tionem, chirothecis, veſtibus, & alijs quibusque rebus, quibus illinitur: etenim Galenus agens de compoſitione medicamentorum ſecundum locos ait, (*b*) *Paſtillus ex Succino, facit hæmoptoicis, diuturna & recenti tuſſi, phthiſicis ſanguinem reijcientibus, ſuppuratis, cœliacis, dyſentericis, & inflatis*. Verum Auicennas inquit, (*c*) Ambram natura calidam & ſiccam eſſe, conferre decrepitis: conferre cerebro & ſenſibus, & cordi: ac (*d*) Electrum, quod Karabe Perſice dicitur, cohibere fluxum ſanguinis omnem, apoſtematibus opitulari, conferre tremori palpitationique cordis, coercere vomitum, roborare ventriculum, reprimere fluxum ventris, & conferre teneſmoni. Conferre ſimiliter iiſdem morbis Ambram admonet Meſues in electarijs de Granis, & Diambra; quod ait roborare cerebrum, cor, ventriculum, ac ventrem reliquum inferiorem; exhilarare, coctionem iuuare, affectibus vterinis, & omnibus alijs frigidis prodeſſe, ſenibus ob id, ac mulieribus ſalubre. Plinius ait, *Feminas Transpadanas agreſtes monilium vice Succina geſtare, maxime decoris gratia, ſed & medicina: quando tonſillis creditur reſiſtere, & faucium vitijs, vario genere aquarum iuxta illos infeſtante guttura, ac vicinas carnes*. Matthæoli teſtimonio, datur Succinum magno auxilio tritum duorum coclearium menſura, Coli dolore affectis, diebus tribus continuis ante cibum ex tepenti aqua potandum: Idem, & præcipue album, ex aqua frigida potum, ſitim illico ſedat, & ſudorem valentiſſime prouocat. Denique, ne plura referam, ex eodem, Prutheni, in quorum litora fluctus maris, Succini plurimum expuunt, referunt eius genus quoddam reperiri, quod plane cryſtallum repręſentat: Huic vim mirabilem ineſſe teſtantur, quo ſcilicet femina deprehendatur an virgo ſit & incorrupta, necne. Nam ſi vino ieiunæ exhibeatur, efficere aiunt, vt corrupta & vitiata protinus vrinam reddere cogatur: id quod virgini euenire negant. Itaque Succini duplex origo, defluens ex arbore gummi, & oriens intra terram bitumen, ſuccusve concretus; at virtus longe multiplex. Vt optime locum habeant in Ambronæ tuæ gentis, antiquæ nobilitatis, inſigni ſtemmate, cingentes aſtra terna ſex orbiculi Ambræ, deſignantes vetuſtam nobilitatem; etenim primi mortalium Arcades crediti ſunt, quod eſſent e terra nati, cognationemque cum arboribus habere, ſicuti Plutarchus ait in Quæſtionibus Romanis: (*f*) *Prima hæc eſt Arcadum conſuetudo, quibus aliqua eſt cum quercu cognatio: primi enim hominum e terra enati creduntur: ſicut quercus inter ſtirpes prima*. Indicare vero mihi videntur illæ ſtellæ tres, quas ambiunt Ambræ ſeni orbiculi, tria genera virtutum, intellectuales dico, morales, atque Theologicas, vnde ſplendorem ſibi compararunt illuſtres viri Ambronæ proſapiæ. Senarius enim numerus Bungo primus omnium perfectus abſolutam quamque rerum generationem deſignat. Vere priſcam Ambronæ gentis nobilitatem, mihi plurimis documentis publicis, trecentum quinquaginta ferre annos illuſtrem in Vrbe Cæſena, Petrus Gualagninus Notarius apertiſſime demonſtrauit; vnde tantam claritatem inſimulare fruſtra tentarunt apud me quidam Cæſenatium hiſtoriarum & actorum imperiti; diſſimulare nequeunt niſi prorſus inuidi, non ita pridem in Ceſenatium Nobilium ordinem aſſumpti. Sed tu, mi Ambrone, liuidos & ignaros vna mecum deſpice, vel potius illis a ſummo Deo ſanam mentem precare: a quo tibi

b lib. 7. c. 4.
c l. 2. tr. 2. c. 63.
d cap. 372.
l. 37. c. 3.
in Dioſ. c. 93.
f qu. 92.

tibi perennem gloriam opto. Vale, & me, vt ſoles, ama. Dabam Patauij e meo Scalumnæ Muſæo IV. Calend. Aprilis M DC XLVI.

De eo quod eſt a Plinio dictum: pueri, qui celerius fari cœpere, tardius incipiunt ingredi. Cap. XLIV.

Præſtantiſſimo patruo Fortunio Liceto Fr. Io. Antonius de Padua Dominicanus S. P.

IN rebus dubijs conſulendos eſſe peritiores, nihilque determinandum eſſe proprio conſilio, nihil aggrediendum ſine aliorum auxilio, & ſacræ, & profanæ paſſim me docuerunt hiſtoriæ; nam vt Africanum ad egregia facinora feliciter euexerunt optima Lælij conſilia; ſic ex aduerſo Mithridatem, Sextum Tarquinium, & alios inconſultis prudentibus viris a ſemetipſis agentes, nimia proprij iudicij confidentia perdidit, non autem, crimine penitus abſoluta, fortuna, ſicuti recte protulit Aemilius. In Eccleſia quoque non aliunde prouenerunt hæreſes, quam ex neglectu conſilij ſapientum. Cui malo proſpicientes Ethnici nihil arduum aggrediebantur Oraculo non conſulto, & Conſum Deum, qui conſilijs præeſſet, inter ſua numina coluerunt. Quare Tobiam (a) ſenem libenter audio, monentem, A ſapiente ſemper conſilium eſſe perquirendum. Non ab re nunc igitur ad Eminentem Philoſophum accedo, cauſam naturalem mihi penitus occultam perquirens effectus admirandi, quem Plinius nulla ratione prolata propoſuit, aſſerens, (b) *Qui celerius fari cœpere, tardius ingredi incipiunt*. Huius euentus cauſam quum ego non aſſequar, nimium excrucior animo; tantique ſcriptoris reuerentia me comprimit, quin hanc ſententiam reijciam, vt pote Plinianam; quod plerique de multis huius autoris effatis pronunciare ſolent, pro eodem habentes falſum, & Plinij dictum. At vero dum Te paſſim quærentibus obſcuriorum dogmatum explicationem, benigne declarare conſpicio vera ſenſa; quid ni Patruum, qui mihi Patre potior ſemper extitit, non adeam confidenter, non rogem de perardui theorematis explicatione? Tu me naſcentem vlnis vltro ſuſcepiſti, nomen ad ſacrum fontem aui Vincentij dediſti, per omnem fere vitam aluiſti, tandemque me ſumma tua munificentia in Ordinem ſacræ Religionis Dominicanæ recipiendum curauiſti. Age nunc in eruditionis & Veritatis aream me perducere ne graueris, detecta Pliniani dicti vera intelligentia, tenebraſque ignorantiæ diſcute ab intellectu meo cæcutiente in hac Plinij ſententia, qui longe difficiliora viris etiam doctis enodaſti. Vale diu feliciter, & me diligere ne ceſſes. Ex Cænobio Sancti Dominici Cremonæ XIV. Calend. Decembris M DC XLIV.

a cap. 4.

b lib. 11. c. 5.

Reſp.

Reſp. Lic. Pliniani dicti explicatur phyſica ratio, cur pueri tardius ingredi incipiant, qui celerius fari cœperint. Cap. XLV.

Adm. R. P. Fr. Io: Antonio de Padua Dominicano, Nepoti ſuo Fortunius Licetus B. A.

EX tua non leui dubitatione gaudens agnoſco, te Philoſophiæ ſtudijs incumbere
non oſcitanter; qui nanque difficilium & pulchriorum euentuum
naturæ cauſas abditas requirunt in inſignium autorum dictis, ij mihi
videntur operam nauare ſedulam ſapientiæ. Profecto pulchra ſatis eſt obſeruatio
Plinij, quam profert ipſe de pueris, aiens, *Qui celerius fari cœpere, tar-* a l.11.c.51.
dius ingredi incipiunt: & habet ſui rationem phyſicam in alta Naturæ Maieſtate
reconditam. Vnde tamen in dias luminis oras educere poteris, & eductam
agnoſcere facile, ſi tria dogmata Medicinæ Principum, Hippocratis,
& Galeni conſideraueris, propoſitum ſatis explicantia. Primum quidem
dogma Coi ſenis eſt, in opere de Septimeſtri (b) partu, ſcribentis *infantium* b ad f.
vires in muccis plurimum hebetari; quoniam humiditas, excrementitia maxime,
ſuperabundans ineptos reddit ad motum neruos, atque muſculos quarumcunque
partium, quas obſederit; e contra moderata ſiccitas illos vegetiores
reddit, & agiliores. Alterum vero dogma huic adijciendum, proponitur
a Galeno paſſim, ſed ſpeciatim in opere *de curatione per ſanguinis (c) miſ-* c cap.8.
ſionem, afferente partes quaſcumque robuſtiores ab ſe facile propellere cuncta
ſuperfluitatum genera ſemper ad partes imbecilliores; quæ difficiliori
negocio, tardiuſque valent ab ijs excrementis ipſæ ſe liberare; ſcribit enim
verbis ipſiſſimis: *Oſtenſum eſt enim in virtutum naturalium Commentarijs, infirmam
natura partem prompte grauari, ſi vel paulo modo plus aceruetur in ea excrementi:
Quin etiam quod pars qualibet vim poſſideat ſicut familiarium attractricem,
ita quoque alienorum excretricem: tum quod duplex ſit alienum: alterum quantitate,
alterum qualitate. Itaque partem quamuis, qua licet ab humoribus in ſe contentis
non grauetur, tamen excrementa quedam habeat in qualitate præter naturam, ad
eorum excretionem per venas inibi ſitas tanquam per canales inſurgere. Porro ſi quod
propellitur, prauus ſit ſanguis, ſiue alius quiuis ſuccus, ad propinquam primum veniat
partem neceſſe eſt. Vbi rurſum duorum alterum eueniet; aut enim concoctus
corruptuſve in aliam tertiam haud transfluet, aut ſi neutrum aſſequatur, denuo ex
parte ſecunda in aliam labetur, atque iterum ex illa in aliam: neque ceſſabit, quoad
in talem quampiam illabatur, qua amplius ex ſe propellere quod in ipſa redundat, nequeat.
Accidit autem id illis partibus, qua vim excretricem vicinis omnibus imbecilliorem
obtinent. Siquidem haud etiam in illas, qua præ virium robore non admittant,
repellere quod moleſtum eſt valent. Nam & hoc quoque nobis in illis monſtratum
eſt commentarijs, quod non ſolum pars qualibet recrementum in vicinam protrudat,
verum quod & recipiat quidem, ſed contra ſæpe remittat, & contra repellat, in ſe*

ſe

Digitized by Google

ſe haud admittens : quo in certamine victoria potitur validior. Quapropter partes infirmiores omnium primæ excrementitijs morbis corripiuntur. Et alibi, citato lo-
d 3. de nat. facult. c. 13 co, ſcripſerat in hanc ſententiam, (d) *Ergo ſicuti inter ſe particula altera ab altera nutrimentum trahunt, ita altera in alteram quod ſuperuacaneum eſt, a ſe deponit : & ſicut trahentium ea vicit, quæ erat valentior : ſic & a ſe deponentium. Eſtque hæc vocatarum fluxionum cauſa. Habet enim particula quæque natiuum quoddam robur, quo, quod ſuperuacuum eſt, perſequitur. Vbi igitur earum aliqua affectus cuiuſpiam occaſione imbecillior eſt reddita : ex omnibus in illam confluere, quæ ſuperuacua ſunt, eſt neceſſe ; ea nanque, quæcunque pars valentiſſima eſt, in vicinas omnes reponit. Earum rurſus ſingula in alias, quæ ipſis ſunt imbecilliores : dein rurſus illarum ſingula in alias. Idque eatenus longiſſime procedit, quoad ex omnibus fugatum ſuperfluum in vnam quampiam maxime imbecillarum procumbat. Hinc namque in aliam transfluere nequit ; vt pote nec valentiorum aliqua id recipiente, nec laborante ipſa a ſe pellere valente.* Sunt autem inter omnes partes natura pedes imbecillimi, quod procul abſunt a partibus calidiſſimis, atque a fonte caloris; & oſſei, neruei, chartilagineique maxime frigida temperatura donantur; quum virium robur dominante calore nitatur. vnde bene Galenus de
e Progn. com. 2. t. 3. morbo hydropis agens ait, (e) *Sed pedes intumeſcunt primi, quippe qui procul a calidiſſimis abſunt partibus.* Tertium theorema eſt, a capite, partibusq. capitis, lingua præſertim, quæ ſermoni dicata fuit, facile trudi ſuperfluas humiditates ad inferiora membra, proindeque ad crura & pedes etiam, quæ ſunt inſtrumenta inceſſus: Quam ſententiam legimus apud Hippocratem in apho-
f 6. aph. 3. g in com. riſmis, & apud Galenum in commentarijs; ait enim Cous, (f) *Balbi ab alui profluuio maxime capiuntur.* Vbi Galenus, (g) *ſicuti pſellizeſtha, ideſt balbutire, prolationis vitium eſt, non vocis : ſic & traulizein, eiuſdem ſignificationis verbum, non potente lingua exquiſite eas dearticulare voces, quæ per t, & r, proferuntur, qualis eſt hæc ipſa traulus, & ſimiles hæ trepidus, tremit, tradit, trochus, triſtis, & quæcunque alia tales. Hæ ſiquidem omnes exigunt linguam ſe ampliantem, ac prioribus dentibus innitentem. Quum igitur in aliquibus lingua fuerit imbecillior, male innititur, & ſonum t, & r, dearticulare nequit, atque ita ad t, & l, pronunciandum labitur. Hoc autem ei contingere poteſt, quia quoquomodo ſit breuior, quam ipſi conueniat : quod rariſſimum exiſtit ; & quia molliorem atque humidiorem habet temperaturam. quam ob cauſam & pueri balbutiunt, quum tale quiddam ipſis in loquendo contingat, quale etiam in ambulando euenit ; nam & ambulare nonnulli quidem prorſus non poſſunt, nonnulli vero non ſufficienter, quum cruribus nequeant propter mollitiem firmiter inniti. Quibuſdam etiam ætate integra, inter loquendum fatigatis, balbutire contingit : ſicut & illis, qui plurimum tibia cecinerint, & quibus vires ex morbo plurimum ſunt debilitatæ, & quibus demum lingua eſt vehementius exſiccata. Verum ſiccitas tanta nulli ineſſe poteſt, qui habitum ſeruet naturalem ; atque ideo ſolius humiditatis immodicæ in ijs, qui natura balbutiunt, id prolationis detrimentum caſus eſt, quum linguæ muſculi nequeant firmiter ſtabiliri : atque hoc ei poteſt accidere vel propter ſuam, vel propter neruorum imbecillitatem, quos videlicet a cerebro ſuſcipit. Quare & ebrij aliquando balbutiunt, partim quia multa humiditate perfunditur cerebrum, partim quia etiam ob ipſius multitudine prægrauatur. Contingetigitur ijs, qui ſunt balbi natura, vt vel cerebrum humidum*

ha-

habeant, vel linguam, vel vtrumque: Et a cerebro quidem talem temperaturam ſortito, defluere multas par eſt humidas ſuperfluitates, easque inde fluentes in ventrem ſuſcipi: longisque ideo profluuijs hominem capi. Lingua vero admodum humida ex natura exiſtente, & ventriculum talem eſſe par eſt, vt qui alteram ſui tunicam communem habeat ad linguam. Imbecillis autem ex humiditate ventriculi propria paſſio eſt diuturnum profluuium. Quod ſi talis humiditas, non in ventriculum influat, ſed in crura, & pedes, iam iſtas partes imbecillas reddit, & ad gradiendum ineptas. Quibus ita conſtitutis, apertam iam hinc habeas, ex *I. Ratio Quæſiti.* rei natura fluentem, cauſam & ratione obſeruationis Plinianæ; ſiquidem pueri, quibus contigit a natura caput robuſtius, humiditatem ſuperfluam ocyus ex capite, proindeque ſimul & ex lingua, labijs, alijsque partibus locutioni deſeruientibus, expellitur ad inferna membra, maximeque ad crura & pedes; quę propterea redduntur ad progrediendum inepta, quouſque proceſſu temporis exſiccata, ſuperfluam illam humiditatem exuerint; interea vero lingua ſuperfluis humiditatibus libera munus loquendi citius exercet; Quibus e contra caput a natura contigerit imbecillius, ob infarcti phlegmatis & alius humiditatis excrementitiæ nimiam abundantiam; quum tardius linguæ muſculi valeant exſiccari, decenter ad loquelam, quam crura firmari, ſtabilirique pedes ad inceſſum; ij propterea celerius incipiunt ingredi, & eloqui tardius. Verum & alia ſuccurrit propoſiti ratio, ſine tranſmiſſione *II. Ratio.* humiditatis a capite ad crura, & pedes, quæ partes illas imbecillas reddat, & ineptas ad motum ſeu locutionis, ſeu inceſſus: Nempe quum totum corpus recens nati pueli, plurima ſcateat humiditate ſuperflua; quibus caput & cerebrum a natura contigerit calidius atque robuſtius, ij vi proprij caloris abſumpta celeriter humiditate ſuperflua, citius incipiunt eloqui; tardius vero progredi, quia debilis calor crurum, & pedum non ita poteſt in eis humiditatem nimiam abſumere, atque partes iſtas firmare ad motum progreſſionis. Quibus e contra caput imbecillius ab origine conſtiterit, ij non niſi poſt longum tempus excedentem humiditatem ſermoni repugnantem abſumere poſſunt in cerebro, linguęque muſculis; quapropter tardius incipiunt fari, & celerius ingredi, quod minor humiditas in cruribus & pedibus facilius, & citius abſumatur; & hæ partes promptius ad inceſſum roborentur. Sic ergo recte ſcribitur a Plinio, Pueros, qui celeriter fari cœperint, tardius ingredi incipere, quod robuſtiore capite præditi ſuperfluam humiditatem, actionibus vitæ noxiam, vel a cerebro & lingua repellant ad crura, & pedes, vel calore vegetiori prius abſumant, quam valeat infirmior crurum, & pedum calor efficere. Iam ex his agnoſce, Claſſicos autores (& inter eos numera Plinium) vbi difficile captu quidpiam enunciauerint, non eſſe ſtatim temere falſitatis ac erroris inſimulandos; Pliniumque ſpeciatim, qui perperam & iniuſte nimium a vulgo literatorum mendax audire conſueuit, attente legendum eſſe, neque facile reprehendendum; ſed in intellectus proprij debilitatem referendum eſt, quicquid eius dictorum a nobismetipſis non ita prompte valemus intelligere: quod laudo te præſtitiſſe nauiter in præſentia. Ceterum ne te magnifice iactes, aut oſtentes glorioſe, quod ego te nunc inter claros viros enumrauerim, qui propoſitis quæſitis mea Reſponſa

ſa popoſcerunt; nam id actum ea ratione velim accipias, qua cogites hoc honore voluiſſe me tua ſtudia nutrire, promouereque calcaribus adactis te currentem in ſtudio diſciplinarum ad metam ſapientiæ celerius attingendam; quoniam, vt obſeruat Adagiographus ex M. Tullio ſub initio Tuſculanarum, *Honos alit artes; omnesque incenduntur ad ſtudia gloria; iacentque ea ſemper, quæ apud quosque improbantur*. Tuque mihi recenſeris in numero Clarorum Virorum, non quod actu iam clueas inter eos, at ſolum ſpe; ſicut Ariſtoteles pueros ait eſſe ſpe fœlices, qui felices actu nondum eſſe queunt: *Neque puer*, (h) inquit, felix eſt; *nondum enim eſt ad tales res agendas per ætatem idoneus; qui vero dicuntur felices* pueri, *ſpe dicuntur*. Macte virtute iam vt clarus euadas reapſe, ſpemque non exiguam, nec obſcuram quam de te habeo, ne præcidas, neque facias irritam; ſed improbis ſtudiorum laboribus, peſſimaque non animo, ſed ſolum corpori, literarum occupatione, tandem optatum ad finem perducere contende. Vale, precesque ſummo Deo ſecundum mea vota quotidie fundere memineris. Dabam Bononiæ, Prid. Non. Decembr. M DC XLIV.

h 1. ethic. c. 9.

De Sepulchro Bianoris Quæſitum. Cap. XLVI.

Fortunio Liceto in Academia Patauina Profeſſori Medico Phyſico Primario Andreas Taurellus I.C. Eupratttn.

OB grauem de te iacturam, vt mihi & Muſis heic acerbe dolendum video, Cl. Licete, quod hanc noſtram Studiorum Matrem Bononiam reliqueris, vbi te docente Sapientia in conſpicuo erat, quia in ſublimi: ita ſane gratulandum Soſpitatori Patauij Genio, qui modo te habet in illo celebri Lyceo primas Aeſculapij ſedes occupantem. Rapuit, fateor, exceſſus hinc tuus quicquid in re litteraria illuſtre erat: Vadum etenim habebamus Pythagoram, ad quem peregrina ingenia vndique per litteras confluebant, vt Sapientiæ arcanis illuſtrarentur. Iam vereor ne magna illa Dea indignetur a vulgaribus de foro togatulis in Vrbe ſui alumna proſtituta. At inquies, ſunt fortunæ vices, & euenta philoſopho, qui mentis orbes habet Vniuerſo concentricos, præuiſa. Ad hos caſus probe noui te animum aptare, & fortunam cogere, vt tanquam Protheus ad formam redeat. Scio te heroicas poſſidere virtutes, quæ in omni fortuna excellentiam actionis induunt. Nunquam poterit illuſtre nomen tuum, mi Licete, inuidiæ caligine, niſi forte veluti Sol nebulis obumbrari. Macte ideo, vir hoc æuo ſapientum phœnix, vbique tua virtus, ſpreta vulgi ſaliua, veri honoris odorem exhalabit apud omnes & bonos, & magnos, quia tu vere bonus & magnus es. Marcus Antonius Bencius, tui obſeruantiſſimus, mihi nudius tertius & litteras, & libros, quos ad me, V. Cl. tranſmiſiſti, reddidit: ex illo tuo fœcundo amore oriri in dies experior erga me beneuolentiæ frugem, quam nullius mei erga te meriti cultu-

tu-

tura prouocauit. hoc vnum eſt magnificum in viris, quibus abſoluta ſunt ingenia, vt nulla rapiat dies abſque litterariæ rei prouentu. Sunt vere cuſtodes, & æditui maximarum ſcientiarum; & vnum te inter illos agnoſco, mi Licete, cui nihil eſt tam arduum in litteris, quod non contingas: nihil tam implicatum, quod non euoluas: nihil demum tam difficile atque operoſum, quod non perficias. Hoc ſæculo veniſti, vt precioſum naturæ pignus in ſubſidium & tutelam doctrinarum. Sed quo me rapit calamus? Parce ingenio calore tuarum laudum æſtuanti. Ad res meas propius accedo. Habebis heic annexa folia nouiſſime impreſſa, quæ ſpondent Theatro litterario breui me explicaturum Siparium Rerum Bononienſium. Interea ſtudeo reſtituere Ocni Bianoris Sepulchrum, de quo agitur in 11. cap. lib. 1. hac de re mihi ſuppetunt auctoritates, & coniecturæ, quod in agro Bononienſi, octauo ab Vrbe lapide, vbi eſt oppidolum Bianorium, corrupte Pianorium, ab ipſo Bianore, & vulgatiſſima fama eſt, conditum. Eſt enim locupletiſſimus teſtis Maro in Eclog. IX. id ſepulchrum fuiſſe in media pęne via, quæ Mantua Romam ducit: talis eſt Virgilij locus,

„ Hinc adeo nobis media eſt via, namque ſepulchrum
„ Incipit apparere Bianoris. ....

Forte an inſtabis, oppidum illud non eſſe mediam viam inter Mantuam, & Romam: ſed iterum ſubiungo, figuratam eſſe Poetæ locutionem, qui in ſolatium itineris, vt Menalcæ, h. Virgilio, Romam petenti faciat animum, mediam viam appellat illud, licet breuius, acti iam itineris interſtitium: quaſi dicat Mœri Lycidas: iam ſumus erepti ab Arrij inſidijs, medium iter pæne aſſecuti, pergamus animo lætiore, & varijs nos ſubleuemus cantilenis.

„ .... heic vbi denſas
„ Agricolæ ſtringunt frondes; heic Mœri canamus.

Si quid luminis reconditum in hoc vetuſtiſſimo ſepulchro, vnde mihi clarior eluceat eius locus, Vir doctiſſime, ſuppetat, vt eruditionis face veteres illas caligines illuſtres, id mihi per litteras ſuggerere ne grauare. Vale, & æternum in ſplendorem Reipublicæ Litterariæ viue. Bononiæ III. Kal. Februarij M DC XLVI.

Aeternum tui, tuarumque maximarum virtutum cultor Taurellus.

Liceti Reſp. Bianoris Sepulchrum prope Mantuam extitiſſe, non in ditione Bononienſe: Bianorem ab Ocno diuerſum fuiſſe. Cap. XLVII.

Cl. I.C. Andreæ Taurello Fortunius Licetus B. A.

QVod mihi commune fuerit fatum cum Accurſio, Pomponatio, Cardano, Mercuriali, ſummis in literaria Republica viris, mi Taurelle, dolendum non eſt; ſed gaudendum, quod Maſſinij fatum effugerim; qui mœrore confectus interijt, vbi vocatus fuerat ad honorem, ſpe ſua fruſtratus, &

ab ijs male habitus, a quibus venerari diligique debuerat. Optabilius quidem fuiſſet exempla Lipſij, Puteani, & aliorum inſignium virorum imitari, qui velatam ſpecioſiſſimis pollicitationibus infidam fortunam arripere noluerunt, ſed magno animo contempſerunt; at non omnibus adeſt cordatus Velſerus, qui Lipſio dudum Italiam petenti, & Auguſtæ Vindelicorum ad ſe diuertenti cauſa itineris agnita reditum in Belgium perſuaſit. Ceterum mihi litandum eſt Hadriaco Neptuno, qui me ſoſpitem vnum e Palinuris Antenorei Nauigij conſtituerit honorificentiſſimo titulo ſimul & honorario. Nunc iam ad noſtra veniendum. Mihi quidem in ſinu gaudeo, quod meos libellos acceperis, & non improbaueris Cl. Vir; etenim tuum de re literaria iudicium magnifacere ſoleo: tibi vero ſummopere gratulor, quod egregium aggreſſus fueris hiſtorico politico-philologum opus de Vetere, Nouaque Bononia. Seriem librorum, & ordinem capitum laudo. Texturam expecto tua dignam eruditione, tuoque parem ingenio. Quod interim a me poſtulas, ſi quid abditi luminis habeo circa ſepulchrum Virgiliani Bianoris, tibi vt communicem: Doleo ſane me nihil habere, quod tibi perſpectum eſſe nequeat, quodque tuis votis vſui poſſit eſſe. Dicam tamen, vt obtemperem amico viro, quæ mihi nunc occurrunt de propoſito, cuncta tuæ cenſuræ ſubijciens. Porro plures Bianores leguntur apud hiſtoricos, & alios Claſ-
a 9. Gene. c. 32. ſicos Autores: (a) Boccatius vnius meminit inter Centauros: Homerus, antea multo, (b) numerat extra Centaurorum gregem, Paſtorem populorum,
b 11. Iliad. adeoque dynaſtam; quem apud naues in Troiano litore peremit Aga-
c Ecl. 9. memnon: tertium proponit Virgilius in (c) Bucolicis, in Italia ſepulchrum ipſius recenſens; etenim probabile non eſt, auxiliarium Aſiano Regi fuiſſe principem Italum aduerſus Europœos: & conditum in Italia fuiſſe, qui prius occubuerat in Aſia; niſi vel inde fuerit aſportatus a ſuis, vt olim ex Africa buſtum Ageſilai Regis cera conditum Spartiatæ Lacedæmoniam in
d in Ageſilao. terram contumulandum aſportauerunt, referente (d) Plutarcho: vel affines atque ſubditi peregre iacenti Regulo tumulum inanem, veluti ſepul-
e 3. Aeneid. chrum honorarium, poſuerint; quemadmodum olim (e) Virgilij notatu, captiua coniux olim Hectoris Andromache, falſi Simoentis ad vndam in Epiro poſuit Viro peregre ſepulcro, tum iacenti ſub incenſæ Troiæ ruderibus
f ecl. 9. in Aſia. Seruius quidem, & (f) Aſcenſius aſſerunt, illum Bianorem Virgilianum extitiſſe filium Tiberis amnis, & fatidicæ Mantus, cui viro nomen Ocnus; at quod animo pariter & corpore fortiſſimus eſſet, inde cognominatum fuiſſe Bianorem, *apo tis bias ca anoreis*: Quam opinionem videtur am-
g 33. phyſiol. t. plecti (g) Volaterranus inquiens, *Tiberis ex Manto, Tireſia filia, Ocnum genuit, qui & Bianor Virgilio dicitur*,

„ Ille etiam patrijs agmen ciet Ocnus ab oris,
„ Fatidicæ Mantus & Tuſci filius amnis
„ Qui muros, Matriſque dedit tibi, Mantua, nomen.

h 10. Aen. His addit Erithræus in Notis Marginalibus ad iſta (h) Virgilij carmina, *Ocnus, qui & Bianor in Bucolicis: a quo arbitror nominatum oppidum Bianorum prope Bononiam*. Hæc illi: Ceterum, quando non video vetuſtiores his, Ocnum cognominaſſe Bianorem; non poſſum opinionem illam accipere; ſicuti nec

eru-

Digitized by Google

eruditiſſimus La-Cerda in hiſce Commentarijs Virgilianis meminit Ocni in Ecloga, nec Bianoris in Aeneide; nec vnquam indicauit Ocnum fuiſſe Bianorem cognominatum, vir alioqui diligentiſſimus obſeruator antiquitatis. Veteres autem non vnum Ocnum numerauere, ſed multos; quorum nulli cognomen Bianoris vnquam attribuerunt: Vt propterea Seruij, Aſcentij, Volaterrani, & Erythræi ſimplex autoritas eruditiſſimo La-Cerda, mihique perſuadere nequiuerit Ocnum Mantuanum, appellatum a Virgilio fuiſſe Bianorem. Certe Pauſanias in Phocaicis ait, *Poſt hos vir quidam eſt ſedens, titulus indicat eum Ocnum eſſe, texit e iunco reſtim: adeſt aſella, quæ totum id, quod ille iam texuerat, pertinaciter abrodens. Hunc Ocnum aiunt gnauum & induſtrium hominem fuiſſe, qui ſumptuoſam & prodigam vxorem habuerit, quæ quicquid ille opere faciundo per ſummum laborem quæritaſſet, profundere ſolita eſſet.* Plutarchus in libello de animi tranquillitate ſcribit, *Apud Manes pingitur quidam funem torquens, & id quod contexuit, Aſino vorandum permittens.* Plinius item (i) ait, i l.35.c.11.
Pictor *Socrates iure omnibus placet: taleſque ſunt eius picturæ: cum Aeſculapio filia, Hygia, Aeglè, Panacea, Iaſo, & piger qui appellatur Ocnos, ſpartum torquens, quod Aſellus arrodit.* Vt ſatis appareat, neminem Antiquorum Ocno dediſſe cognomen Bianoris. Quare non ita facilè recipere valeo, Bianorem, de cuius ſepulchro loquitur Virgilius, Ocnum extitiſſe Mantus filium. Minuſque poſſum audire, Sepulchrum id Bianoris ab vrbe Mantua procul abfuiſſe ſitum in agro Bononiæ Romam verſus octauo ab vrbe lapide; primo, quia ſi Bianor ille fuit Ocnus Mantuæ dynaſta, cur a ſuis non ſepultus in Mantuana ditione prope ſuam Regiam, ſed ab ea procul in aliena terra? Deinde, quia ſi totius Eclogæ Virgilianæ conſideremus argumentum & œconomiam exactè, vt præſtitit Cl. La-Cerda: Poeta fingit Caprarium olim ſuum, nomine Mœrim, a prædijs proprijs, in Mantuano diſtrictu vi legis Agrariæ poſſeſſis ab iniquo Centurione, deferre munus hædorum Arrio militi fero, tunc Mantuam incolenti, ad eius animum vtcunque demulcendum; & in itinere medio, caſam paſtoriciam inter & vrbem Mantuæ ſitò, rogatum a Lycida, paſtore iuuene, vt quieſcens aliquantiſper caneret, heri Menalcæ (Virgilij nempe) carmina recitans; etenim vix reliquæ perficiendæ tempus eadem die ſuperarat; quando proſpicerent inde ſepulchrum Bianoris, cui locus erat prope ciuitatem Mantuæ; vel etiam intra ciuitatem longe ſuperans vrbis ædificia reliqua, conſpiciebatur eminus, vt altiſſimum turris Aſinellorum cacumen eminus aſpicitur eunti Bononiam multo prius quam ciuitas incipiat apparere: proindeque ſatis aperte conſtat, hoc Bianoris Virgiliani ſepulchrum longe diſtare a Pianoro Bononiam inter & Florentiam ſito, lapidem octauum vltra Bononiam tenente. Deinceps, veriſimile non eſt, neque poſſibile, Mœrim caprarium ſenem ex Mantuano rure viuos hædos Arrio portare Romam, itinere pedeſtri ſupra viginti dies; quo tempore fame perijſſent hædi procul ad vbere matrum: mortuique computruiſſent, anteaquam Romam a Mœri delati fuiſſent. Quin & ipſe Mœris pauper villicus tantum pecuniæ non poterat habere, quantum ſibi neceſſarium erat ad iter Mantua Romam, & iterum Roma Mantuam in reditu perficiendum. Immo non erat ex vſu, munuſculum trium, aut quatuor

ad

ad ſummum hædorum tanto pecuniæ diſpendio Mantuano de rure portare Romam. Vnde luce clarius eſt, Mœrim è Mantuano prædio per oppidulum Pianori Bononienſe Romani hædos hero militi non deferre. Præterea nec ita facile perſuaderi Mœris ille ſenex a Lycida iuuene poterat, mediam viam ſe iam perfeciſſe, qui neque forte quintam itineris illius Romani partem triuerat, ad oppidum illud Boronienſe quum perueniſſet. Amplius ille Bianor Virgiliani Lycidæ, ſi fuit Ocnus, ortus fatidica Manto, qui Muros & Maternum nomen Mantuæ dedit, cur a ſubditis (vt dicebam) in aliena regione tumulatus, non in propria? cur ipſa ſepulchro ſuo propriam non honeſtauit ditionem, ſed procul a ſua longe diſſitam, & alienam? quum e contra, Plutarchi teſtimonio in Ageſilai vita, veteſti Reguli peregre defuncti comportari conſueuerint, magnis etiam itineribus, maioribusque diſpendijs & difficultatibus in propriam terram; quod etiam conſtat e ſacra Pagina, (k) Patriarchæ Iacobi cadauer ex Aegypto, iuſſiore morientis in terram Iſraeliticam comportatum, apud ſuos a filijs cõtumulatum fuiſſe. Præterea vero locorum, & gentium nomina etſi relatu Strabonis, frequentes mutationes acceperint iniuria nimiæ vetuſtatis, non tamen licet nobis nomina iam longo temporis vſu recepta mutare quicquam ad noſtri cuiuſpiam placiti confirmationem. Et certe, quomodo quis oſtendat oppidulum nunc appellatum Pianorum, olim nuncupatum fuiſſe Bianorum? Leander, inſignis autor Bononienſis, aſſerit a Latinis olim dictum Planorū, ſecundum aliquos a planicie, quę inde incipit venienti Florentia Bononiam; vnde Planorium appellatum, quia Bononienſis *plani oram* teneret, foretque limes atq; terminus eius planiciei: principium nempe Florentia Bononiam deſcendentibus, & finis Bononia Florentia petentibus. Quod autem ex Annio refert, Bianora, ab Ocno denominatum, etiam de ſententia Virgilij Leander, totum id ad Annij ſabuloſa commenta referendum, cui nulla ſuffragatur Claſſici ſcriptoris autoritas. Non tamen reticebo, quod Leander ex ipſo Sempronio, ſeu ex Annio refert inquiens: *De quo dicit Annius in 1x. lib. commentariorum ſuper verba Sempronij de Diuiſione Italiæ: A Parma item ad Bononiam Bianora, a Duce, nunc Aurelia: denominatam fuiſſe totam hanc regionem antiquitus Bianoram, ab Ocno Etruſco Larte, etiam a Virgilio cognominato Pianori nomine. Ac ideo nominata fuit iſta regio Bianora, a Victore Duce Coloniarum.* hoc inquam Sempronij dictum ſatis aperte coarguere poſitionem Erythræi de Bononiæ Bianoro, vulgo Pianoro; quia vicus iſte Bononienſis non eſt inter Parmam & Bononiam, inter quas vrbes eſt Mantua, & prope Mantuam olim ædificatum ſepulchrum Bianoris Virgiliani; quum oppidulum, Pianorum dictum, ſit extra terminos illos, inter Bononiam atque Florentiam; etenim Pianorum ſitum eſt inter Bononiam & Florentiam a meridie Bononiæ; quum Parma pariter & Mantua ſint ad occaſum Bononiæ. Quod autem tota regio inter Parmam & Bononiam olim appellaretur Bianora, denominatione ab Ocno deſūpta, velut a Victore Duce Coloniarum, qui dictus fuerit a Virgilio quoque Pianor, id vt eſt voluntarie dictum; ita noſtram poſitionem non tollit, ſed confirmat, euertens Erythræam. Itaque cenſeo ſepulchrum Bianoris Virgiliani nihil omnino pertinere ad Pagum

k Gen. 49. 50.
lib. 12.

Bo-

Digitized by Google

Bononiæ Pianorum. At hoc ſepulchrum Bianoris arbitror extitiſſe vel aliquod eminentius ædificium in vrbe Mantua, vel non multum ab ea diſſitum; ad quam vrbem Mœris, caprarius antiquus Virgilij, munuſculum ferebat Arrio Centurioni, poſſidenti rura Virgiliana beneficio legis Agrariæ, quæ ſpoliauerat inique ruribus incolas, & ea diuiſerat aduenis militibus. Exiſtimandum autem eſt, id extitiſſe magnificæ ſtructuræ ſepulchrum inſignis alicuius heroica virtute præſtantiſſimi viri, nomine Bianoris quod a longe conſpiceretur de medio viæ tritæ, degentis inter agros olim Virgilianos & Vrbem Mantuam. Quod ædificium vetuſtate collapſum nunc non appareat, nec eius nomen ab incolis habeatur. Niſi forte fuerit æuo ſequenti tempore Virgilij conſtructus vicus ille Mantuæ vicinus, qui dicitur hodie Sancti Georgij nomine. Prætermittendum tamen non eſt in propoſito ſepulchri Bianoris, priſcos ædificare conſueuiſſe mortuorum ſepulchra & erigere tumulos extra ciuitates in vijs publicis; quod ſatis oſtendit experientia frequens, & ratio; namque Romanorum quamplurima ſepulchra vetera ſunt extra vrbem in via Appia nuncupata: Quin & aliorum omnium inſcriptiones antiquæ rogare conſueuere Viatores omnes, atque ſingulos, vt quilque gradum ſiſteret, ac titulum monumenti legeret, precareturque tumulo terram leuem, & manes propitios defunctis. Extra ciuitatem autem poni conſueuere ſepulchra iuſſu legum XII. tabularum, vt refert (m) Cicero dicens, *In Vrbe ne ſepelito, neve Vrito*: tum ne cadauera ſine rogo tumulata fœtore qualicumque ſuo ciuitatis aerem, de ſe grauem plurimis cloacarum frequentium fœtoribus adhuc inſalubrius inquinarent, atq; morboſum valde redderent: tum ne in actu combuſtionis ab ignium flammis, vento temere delatis, incendia fierent vrbis, domos ligneas antiquitus exhibentis quamplurimas. Humabant autem defunctos quicunque penuria laborantes pendere pretium non poterant in materiam pyræ ſibi comparandam. Comburebant autem ditiores, & qui metuebant ſuis defunctis iniuriam ab inimicis; vnde Sylla, qui Marij corpus effodi iuſſerat ad ludibrium, ac ſepulchro detrahi, proprium cadauer cremari præcepit, obſeruatu, notatuque Plinij dicentis, (n) *Ipſum cremare apud Romanos non fuit veteris inſtituti: terra condebantur. At poſtquam longinquis bellis obrutos erui cognouere, tunc inſtitutum: & tamen multæ familiæ priſcos ſeruauere ritus, ſicuti in Cornelia nemo ante Syllam dictatorem traditur crematus, idque voluiſſe, veritum talionem, eruto C. Marij cadauere. Sepultus intelligitur quoquomodo conditus: humatus vero humo contectus.* Quum diuites olim ſine rogo condi buſtum integrum in magnificæ ſtructuræ monumentis curarent. In vijs autem potiſſimum, & cum inſcriptione, ponebantur ſepulchra Veterum, triplicem, opinor, ob cauſam; vna quidem fuit, vt mortui memoriam ſui, quamdiu poſſent, apud viuentes alerent; cupidiſſimus enim eſt immortalitatis hominum quilibet, ac æternitatis qualiſcunque, etiam (o) impoſſibilis, vt ait Ariſtoteles, etiam in ſola (p) memoria hominum conſeruatæ, nedum in (q) poſteritate, per continuam prolis generationem. Altera vero eſt, vt alliciant viatores ad precandum ſibi ſtatum felicem, numenque propitium; quod in plurimis antiquis inſcriptionibus apparet euidentiſſime. Vnde conſtat, antiquiſſimi moris eſſe, vel ad Ethni-

cos

m 2. de leg.

n l. 7. c. 54.

o 1. magn. mor. c. 16.

p 1. eth. c. 11
3. ethi. c. 2.

q 2. de an. t. 34.

Digitized by Google

r Geneſ.50 cos etiam a (r) Patriarchis, & a pia gente vetuſtiſſima deriuati, Numen orare pro mortuis. Tertia demum eſt, vt vel ſine titulo, ſui ſolo conſpectu, ſepulchra defunctorum mortales admonerent de vitæ præcipiti lapſu, de mortis incerto ſed neceſſario aduentu, qui quemque manet in omni ætate, quo vitam homines honeſte tranſigant, omnis omnino culpæ ſceleriſque puram; vt propterea Sepulchra Monumenti nomen adepta fuerint. Hæc ea ſunt, Vir eximie, quæ temporis anguſtia preſſus e calamo currente ducere potui, tibique de propoſito reſcribere: Tu boni conſule meum deſiderium amico viro morem gerendi. Vale, ac me ama. Dabam Patauij, e meo Scalumnæ Muſeo, Idib. Febr. M D C X L V I.

De Magnetis & Allij antipathia, num vera ſit, an commentitia. Cap. X L V I I I.

Cl. Viro Fortunio Liceto Baldus Baldus S. P. D.

QVæ ſemper mea fuit erga doctrinarum cultores propenſio & obſeruantia, quæque præſertim in me viguit erga iam prædefunctos clariſſimæ famæ viros, Cornachinum, Caimum, ... & Crucium, ea prorſus quoad ſaltim exiſtimationem tuorum meritorum, ſi non quoad neceſſitudinis vinculum, in me floret hoc tempore, Præſtantiſſime Licete. Agnoſcit id vtriuſque noſtrum amantiſſimus Gabriel Naudæus, cui non raro in Aula Magni Cardinalis a Balneo, ſui meique beneficentiſſimi Domini, inter colloquia de eximijs huius noſtri æui hominibus hanc patefeci meam propenſionem, ac procliuitatem; quam & ab eo tu quoque valebis dignoſcere: Sed multo certius, ſi vllo vnquam tempore vel publicæ demonſtrationis, vel priuati ſtudij, occaſio præbeatur mihi, offeraturq. Vtinam propterea in animum induceres tuum aliquid mihi imperare; videbis enim quam grati non modo fuerint Dialogi tui, vberrima eruditione, ſolidaque doctrina pleni; quos ad me miſit tuo aſſenſu e Reatina Vrbe, vbi nunc totius Reipublicæ litterariæ amplificandæ incumbens cum Eminentiſſimo Antiſtite degit, Naudæus noſter humaniſſimus æque ac doctiſſimus vir: ſed quam inſuper ingenti deſiderio flagrarem tuorum mandatorum honore affici, aliquidque efferendi, quod acceptum tibi, iucundumque fore perſentiam. Interim vero dum gratias tibi ago plurimas de Dialogis, & occaſionem præſtolor tibi inſeruiendi, hanc ne deſpicias epiſtolam, & cum ea adiunctam Prælectionem inter lachrimabiles olim domus meæ ruinas enatam; & ni graue ſit, aperi mihi ſententiam tuam de Magnetis & Allij antipathia, quam Porta demoliri nititur a communi Claſſicorum placito conſtitutam. Vale decus Peripati, & Antenorij Gymnaſij ſplendor. Romæ XVIII. Maij M D C X X X V I.

Digitized by Google

Magnetis & Allij antipathiam aliquando veram eſſe, aliquando non haberi, demonſtratur; aſſignata diuerſorum experimentorum ratione. Cap. XLIX.

Cl. Viro Baldo Baldo Fortunius Licetus B. A.

Bene tibi ſit, optime Balde, qui diſciplinarum cultores amas, & me ſpeciatim eo nomine, quo Philoſophiam colere me noſti: Pro certo habeas me tibi paria facere in te diligendo; cuius iudicium quum magnifaciam, eſt vt meos Dialogos aliquid æſtimem, quos a te video non improbari. Cycnæam Prælectionem tuam ſuauiſſimam legi, veluti cantum oloris; quæ ſi nata tibi fuit inter Domus tuæ ruinas, in quibus neceſſe fuit animum tuum non nihil moueri; quid erit mihi ſperandum de mentis tuæ partubus alijs, quos edes animo plane tranquillo? Macte virtute vir, & nobis alia tua ſenſa pacati iam intellectus imperti. De Magnetis & Allij diſſenſione controuerſa, quod meam ſententiam expoſtulas, libere tibi mentem meam aperiam, tuæ iuſſioni vt pateam. Sane quum Antiquiorum plurimi magnetem allio confricatum ſcripſerint impediri quominus de more ferrum trahat, vt iam in communem ſententiam abierit antipathia magnetis & allij; duo ſcriptores huic opinioni communi repugnare conati ſunt, Porta, & Cardanus; nituntur autem iſti ſola experientia: Porta quidem in ſua Magia Naturali ſcribens, (a) *Vulgata eſt ſententia inter nautas, quod cepe & allia aduerſentur magneti: & qui tali muneri incumbunt, ſcilicet nauigatoria charta & pyxidi, ab eſu caparum alliorumque arcentur, ne index poli inebrietur: ſed quum hæc omnia experirer, falſa reperi: nam non ſolum flatus & ructus alliorum magnetem a ſuo trahendi munere non diſtrahebant: ſed totus allij ſucco perunctus ita priores functiones obibat, ac ſi nunquam perunctus fuiſſet, & fere nulla, ne dicam minima differentia notabatur, ne videremur antiquorum conatus tam irritos reddere. Deinde quum famam percontarer, vtrum ab obſeruatione pixidis, qui capas & allia ederint, expellerentur: reſponderunt, aniles fabellas, & ridicula rilera eſſe: & quod eiuſmodi homines prius fere vita, quam ab eſu allij & cepa poſſent abſtinere.* Cardanus iſti ſententiæ Portæ ſuffragari videtur in Subtilitatibus, inquiens: (b) *Nec ex omni parte magnes trahit, ſed vbi cortice tenui eſt; magiſque vna parte, quam alia; ferrumque nitidum potius, quam rubigine obſitum: Nec, vt fabulantur, allio capisve impeditur: multo minus adamante: Niſi forſan adeo leuiter, vt in minimis ſolum ac debilibus deprehendatur: in reliquis autem ſenſum effugiat.* Hi duo ſcriptores vni tollunt antipathiam inter allium atque magnetem; Porta quidem experimento nixus, at ipſe Cardanus dicto ſimplici ſuo contra veterem & communem ſententiam pugnans. At pro vulgata ſententia Plutarchus contrarium experimentum Portæ retulit aſſerens: (c) *Erant etiam, qui naturales illas rerum diſſenſiones (antipathias vocant) iactarent, & multa huius generis*

a l.7.c.48.

b lib.7.

c 2.ſympoſ. qu.7.

Ee com-

commemorarent: nimirum enim elephantum furentem conſpecto ariete inſania ſolui: viperam ſiſti, ſi fagi termite admoto eam contigeris: taurum agreſtem ſicui alligatum quieſcere: ſuccinum omnia leuia ad ſe trahere, ocimo dempto, & ijs quæ oleo ſunt imbuta: Magnetem allio inunctum ferrum non trahere. Quorum omnium quum manifeſta ſit experientia, cauſam tamen ſi non prorſus nefas, ſaltem difficile eſt ſcire. Cardano reclamant plurimi, Ptolemæus, Caſſianus in Geoponicis Græcis, vt vel ipſe Porta teſtatur non (*d*) ſemel; qui tamen inter hos, veterem opinionem laudantes, non bene Plinium connumerat, ſed Plinij textum corrumpit, pro *alio* ſimplici *l*, ſubſtituens, *allio* geminato *ll*: dicit enim Porta libro (*e*) ſuo de Villa. *Plinius; Ferrum ad ſe trahente lapide, & allio rurſus abigente a ſe*: quum huic omnia prorſus exemplaria reclament; & vbique legatur iſta genuina Plinij ſententia, (*f*) *Atque vt a ſublimioribus recedamus, ferrum ad ſe trahente magnete lapide, & alio rurſus abigente a ſe ſe*: Ad quem ſcopulum cum Porta videntur impegiſſe (*g*) Maiolus, atque (*h*) Cæſius, autores alioquin eximij, ſiquidem Plinius his comparat inter ſe vel duos magnetes, vel eiuſdem magnetis duas partes oppoſitas, vel magnetem cum alio lapide contrariæ poteſtatis; nimirum Plinij ſenſus eſt, vel vno quopiam magnete lapide ferrum ad ſe trahente, alio magnete diuitem eſſe Naturam, qui contrarijs omnino viribus ferrum ab ſe propellat: vel eodem magnete quopiam ſui corporis membro ferrum ad ſe trahente, alio ferrum ab ſe abigente: vel potius, magnete lapide ferrum ad ſe trahente, alio lapide contrariæ virtutis ferrum abigente a ſe ſe; nam lapis Theamedes ferrum repellit, quod magnes attrahit; quin & idem magnes vna parte ſui ferrum attrahit, & altera ferrum abijcit: immo vero quidam magnes eſt, qui ferrum allicit, & alius qui totus ferrum expellit a ſe ſe. De primo poſt (*i*) Plinium, ac DD. (*k*) Hieronymum, & (*l*) Au-
1 guſtinum, Matthæolus (*m*) ita: *Trahit itaque magnes propria vi ferrum, excepto eo, quod rubiginem contraxerit, vel vbi lapis is allio fuerit confricatus: aut vbi adamas prope adferatur. Magnetis vim ſane contrariam habet Theamedes lapis in Aethiopia montibus naſcens, non procul a monte magnetis: quippe quod appoſitum ſibi ferrum confeſtim abigat, reſpuatque.* De ſecundo M. Albertus infit, (*n*) *Ego vidi magnetem inueniri in partibus Theutoniæ, in ea prouincia, quæ Francia orientalis vocatur, vnum magnæ quantitatis & maximæ efficaciæ; & fuit valde niger, ac ſi eſſet ferrum rubiginoſum & combuſtum cum pice. Virtus autem eius eſt mirabilis in attractione ferri, ita quod virtutem eius tranſmittat in ferrum, vt illud etiam attrahat: & aliquando multa acus hoc modo ſuſpenſa ad ſeinuicem videntur. Vnctus autem lapis allio non trahit: &, ſi ſupponitur ei adamas, iterum non attrahit, ita quod paruus adamas magnum ligat magnetem. Inuentus autem eſt noſtris temporibus*
2 *magnes, qui ab vno angulo traxit ferrum, & ab alio fugauit. Et hunc Ariſtoteles ponit aliud genus eſſe magnetis. Narrauit mihi vnus ex noſtris ſocijs, curioſus experimentator, quod vidit Fridericum Imperatorem habere magnetem, qui non traxit*
3 *ferrum, ſed ferrum viceuerſa traxit lapidem. Ariſtoteles dicit, quod eſt quoddam ge-*
4 *nus aliud magnetis, quod trahit carnes hominis*: Quæ comprobantur etiam a Cardano, & alijs certo experimento, vt videbimus. De tertio teſtimonium
5 perhibet (*o*) poſt Iſidorum, & (*p*) Anglicum, Fracaſtorius aiens, (*q*) *Eſt & magnetis genus, quod ferrum abigit, ex quo cultelli ita præparari ſolent, vt alter fer-*

rum

d l. 10. villę c. 86. & *r* Mag. nat. c. 54.
e l. 10. c. 86.
f l. 20. proœm. 5
g Coll. Lapid.
h 4. mineral. l. 1. c. 6. n. 12.
i l. 36. 16.
k Matt. 9
l. de ciu. 21. c. 4.
m Dioſc. l. 5. cap. 105
n 2. de miner. tr. 2. c. 11.
o Orig. 16. c. 13.
p l. 18. c 64.
q de ſymp. & ant. c. 9.

rum ad ſe trahat, alter pellat; quanquam nos quum hoc experimentum in medium
olim inductum eſſet, monſtrauimus non id accidere, quod ferrum abigeretur, quamuis
perpendiculum in latere, vbi erat magnes, pelli videretur: cauſam autem eſſe, quod
magnes ille eorum eſſet, qui magis ferrum, quam magnetem trahit. Applicitus ergo 6
perpendiculo trahebat latus, in quo magnes non erat commiſtus: ex quo fiebat, vt la-
tus alterum magnete temperatum neceſſario abſcederet; propter quod videbatur
pelli ab applicito magnete. Verum nihil prohibet, etiam talem inueniri magnetem,
qui ferrum pellat, propter latens in eo principium, quod ferro contrarium ſit.
At vero præterea Fracaſtorius etiam alias magnetum ſpecies obſeruatas
a ſe memorat inquiens paulo antea, (r) *Nos etiam præſentibus multis e no-* r cap. 7.
ſtris Medicis experientiam multorum fecimus, perpendiculo bene & concinne ap-
tato, quale eſt in nauigatoria pyxide; at manifeſte vidimus magnetem trahere 7
magnetem, ferrum ferrum: tum magnetem trahere ferrum, ferrum magne-
tem: porro electrum parua electri fruſtula rapere, argentum attrahere argen-
tum; &, quod valde mirati fuimus, magnetem vidimus argentum trahere. 8
& mox: *Vidimus quoque idem fruſtum magnetis per vnam faciem magnetem*
trahere, non ferrum; per aliam ferrum, non magnetem; per aliam vtrumque;
quod indicium eſt, in vna parte plus eſſe magnetis, in alia plus ferri, in alia vtrum-
que æqualiter; vnde fiat diuerſitas illa tractionis. Quam ſane Fracaſtorij prio-
rem experientiam non agnouit Photius, dum in ſua Gemmarum & lapi-
dum Hiſtoria ſcribit ad verbum: (*) *ſcribunt nonnulli magnetis genus eſſe, quod* *l.2.c.257.
argentum trahat, vt vulgaris magnes ferrum. Quos Cardanus falli putat: quia
ſi argentum trahitur a magnete, id propter ferrum, quod in ſe continet, fieri arbi-
tratur. Ego hactenus lapidem non vidi, neque quiſpiam eſt, qui ſe vidiſſe ſcribat.
Neque vero Cardanus Fracaſtorium hac de re falſum fuiſſe dicit, eiuſve ne-
gat experimentum; ſed ait hoc non eſſe cuicunque magneti commune, quod
argentum attrahat, vt aperte conſtat: Cardanus admonet alium eſſe ma-
gnetem, qui chalybem trahat, inquiens; (ſ) *Ergo iam vires denuo ferruginei* 9 ſ l.7.de
magnetis aggrediamur, inde rationes explicemus, initio ab experimento facto. Ma- ſubtil.
gnes igitur ferrum trahit, trahit & chalybem. Refert & Hieronymus Fracaſtorius
vidiſſe, quod argentum traheret; generaliter autem argentum haudquaquam trahit.
Nec omittam Plinium ſcribere: (*) *Magnes lapis in ſe liquorem vitri quoque, vt* *l.36.c.26
ferrum, trahere creditur, quam ſententiam collaudat Maiolus in Colloquio
de Metallis. Sed & antea Plinius aſſeruerat: (*) *Aethiopico Magneti laus ſum-* *l.36.c.16
ma datur, pondusque argento rependitur. Inuenitur hic in Aethiopia Zimiri; ita
vocatur regio harenoſa. Ibi & hæmatites magnes ſanguinei coloris, ſanguinemque
reddens ſi teratur, ſed & crocum. In attrahendo ferro non eadem, quæ magneti,
hæmatitæ natura. Aethiopici argumentum eſt, quod magnetem quoque alium ad ſe
trahat. Quod autem illico ſubdit Cardanus: *Cauſa cur ferrum trahat eſt,* 10
quoniam illius eſt alimentum; nam, vt dixi, lapides viuunt: ob id etiam optime in
ſcobe ferri ſeruatur: Quid mirum eſt igitur chalybem, in quo maxima pars ferrum
eſt, trahi? Sed & ferrum ſi a magnete tangatur prius, facilius trahitur: argen-
tum vero vel ferri aliquid continuit, vel genus aliud erat magnetis, de quo, vt re
mihi incognita, verba facere non decreui. Attamen hoc noſtris ſatisfacit principijs,
argentum & reliqua metalla a valido lapide, ſi ferri quicquam contineant, trahi poſ-

ſe. Nec ex omni parte magnes trahit, ſed vbi cortice tenui eſt, magiſque vna parte, quam alia: hoc inquam dictum recipere non poſſum omnino; primo quia nititur falſo ſuppoſito, lapidem magnetem viuere, ferrumque trahere, quia ferro nutritur: nam lapides generatim animatos non eſſe, ſatis aperte conſtat in Peripato, cuius non eſt vt hic rationes afferam. Deinde magnes tum aliquis totus ferrum abigit a ſe ſe, tum fruſtuli trahentis aliqua pars ferrum expellit; nihil autem viuens alimenta reſpuit. Deinceps magnes eſt, qui magnetem attrahit, non ferrum; quare ſemetipſo, vel indiuiduo ſuæ ſpeciei nutrietur, crudelior omni alio viuente, quorum mos eſt in propriam ſpeciem non debacchari. Poſthæc ferrum adhæreſcens magneti non abſumitur, neque magnes attracto ferro quicquam augetur; at alimentum vbique concedit in ſubſtantiam nutriti, quod augetur ex alimenti ſui conſumptione. Præterea nutriti quæcumque pars attrahit ſibi nutrimentum, non aliqua ſolum; at hic ponitur magnes non omni ex parte ſibi ferrum attrahere. Quod autem ferrum facilius attrahatur, ſi prius a magnete tactum fuerit, id eo contingere poteſt, quia in primo contactu nonnihil alteratum, effectum fuit vtcunque magneti ſimilius, quam prius eſſet; ſimilia vero trahi facilius a ſimilibus notiſſimum eſt. Inſuper Cardanus infra dicturus eſt, *Succedit ferrugineo magneti Candidus, & creagus, quaſi carnem ducens: experimentum eſt, quod labijs hæret leuis, & venis quibuſdam diſtinctus; rarus etſi, tamen etiam nunc inuenitur; quum nihil voluit nobis Natura occultum eſſe. Trahitur forſan ſiccus ab humido; hæretque leuis, non alia ratione, quam feſtuca ſuccino.* Num aletur iſte magnes anthropophagus humana carne? nihil minus hac ratione carnem ducit attrahitque; quare nec alius attrahit ferrum in alimentum ſibi. Sed ſi trahitur iſte ſiccus lapis ab humido labio; non igitur carnem ducit, ſed e contra caro lapidem ducit. Et quum in carne nihil ferri ſit; iam qui trahit argentum magnes, non ideo trahit quia ſit in argento quidpiam ferri. Ac vt alij multas rationes attractionis ferri comminiſcuntur in magnete, alij cum
s l.1.inir. Alexandro(s) problematum autore cenſent eſſe penitus occultas, & huma-
2. ſympoſ. nam mentem ſuperantes; alij cum Plutarcho difficillimas cognitu: Ego cen-
qu.7. ſeo proprietates iſtas duas eſſe ſpecificas magnetis cuiuſdam generis, ad polum conuerti, & attrahere ferrum, quæ conſequuntur immediate propriam formam ſubſtantialem, & eſſentiale temperamentum magnetis; non aliter ac attrahere bilem proprietas eſt immediate conſequens formam atque temperaturam rhabarbari; & cuiuſque naturalis facultatis proprium eſt
x 1. de nat. ſuas operationes exercere; ſicut optime Galenus inquit, tum *(x) Non ea modo,*
fac.c.14. *quæ purgant medicamenta, proprias ſibi qualitates attrahere; ſed etiam, quæ ſurculos euellunt, & telorum cuſpides, quæ prealte nonnunquam in carne ſunt infixæ. Iam vero quæcunque vel ſerpentum venena, vel quæ telis ſunt illita, educunt; hæc quoque eandem, quam magnes lapis, facultatem oſtendunt. Sane ipſe aliquando noui infixum iuuenis pedi ſurculum, qui hominis digitos violenter vellentis minime ſequebatur, eundem medicamento impoſito celeriter, & ſine offenſa euulſum.* tum mox:
y l.2.c.3. *(y) Vtque quemadmodum magneti lapidi, trahendi ferri: ſic ſemini, trahendi ſan-*
z 1. de loc. *guinis facultatem ineſſe dicemus.* tum alibi: (z) *Atque in hac re plurimum diffe-*
aff.c.7. *runt naturalia ab animalibus inſtrumentis, ſiquidem naturalibus cognatam vim eſſe.*

eſſe, animalibus vero inſtrumentis a principio (veluti lumen a Sole) ipſam defluere iam oſtenſum eſt. Ergo, vt magneti lapidi vis ineſt, qua ferrum attrahere poteſt, ita naturalia quoque inſtrumenta omnia facultatem habent, qua actionem ſuam perficiunt. tum alio loco, (*a*) *Nos autem quum antedicta fieri videamus, & rationem ſecuti cognoſcamus, poſſe nos vere naturalis cuiuſque medicamenti vires fateri, prædictas quoque medicinas ingenita quadam facultate proprios humores extrahere plane ſcimus, quemadmodum & in magnete lapide virtutem quandam inſitam, qua ferrum ad ſe rapit, bona ratione credimus. Deus enim eſt illa, ſicut in hominibus, natura (prout ſentit Homerus) qua ſimilibus ſimilia adducendo diuinas eo pacto ſuas virtutes oſtendit.* Quum igitur facultates agendi rebus quibusque naturalibus immediate inſint ab earum eſſentia, forma ſpecifica, ſubſtantialique temperamento; ſicuti quærenti cur homo riſibilis ſit, & admiratiuus, nihil aliud reſponderi debet, niſi quia rationalis eſt: cur in medicamentorum genere bilem attrahat rhabarbarum, pituitam agaricus, melancholiam elleborus, niſi quia formam atque temperaturam horum quilibet obtinuit affinem humori ſuo: cur maſculi ſemen in vtero femineum ſanguinem ad ſe trahit, vltroque ſanguis ad ſemen accurrat, a quo perficiatur (menſtrua namq. ſunt ſemen (*b*) impurum ac imperfectum Ariſt. doctore) niſi quia ſeminis forma trahit ad ſe materiā, in quam vires propriç naturç valeat exercere; ſanguinisq. natura gliſcit a ſemine promoueri in ſubſtantiam embryonis: cur demum ignis proprietatem obtinet aſcendendi, quæ leuitas eſt; & vrendi, quam caliditatem dicimus; quia vtraque facultas iſta ſequitur immediate formam, & eſſentialem naturam ignis; eadem plane ratione quærenti cur magnes ad polum conuertatur, & ferrum attrahat, reſpōdendum eſt, has eſſe duas proprietates magnetis illius formam, atque temperiem immediate ſequentes. Atque vt in animalium genere ſpecies hominis eſt riſibilis, Leonis rugibilis, canis latrabilis: & in medicamentorum genere ſpecies alia bilem attrahit, alia pituitam, alia melancholiam, alia ſpinas infixas partibus, alia venena: ſic in genere magnetum alius magnes ferrū ſolum trahit, alius & argētum, alius carnem, alius magnetem alterum, alius ferrum abigit; quas ſpecies antea memorauimus. Et vt inter metalla ſolum aurum ignis vim eludit, cetera conſumuntur igne; ſic mirum non eſt, in genere magnetum ſpeciem quandam inueniri, quæ virus allij pariter & adamantis virtutem ſuperet: cuiuſmodi fortaſſis habuere Cardanus, & Porta ſuis in experimentis; & aliā magnetis eſſe ſpeciem, cuius vis attractiua ferri labefactetur ab allij virulentia, & eneruetur ab adamantis præſentia; cuiuſmodi magnetem Plutarchus obſeruauit. Quin & quemadmodum idem homo iuuentute validus generat prolem, & laborioſas artes exercet; qui ſenio deficiens elanguet, neque proli gignendæ, neque laborioſis artibus exercendis amplius aptus eſt; ita magnes idem, qui prius virium robore pollens allij virulentijs, & adamantis occultioribus poteſtatibus eluſis, ijs inuitis inuictus ipſe præſens ferrum attrahere, complectique potuit arctius; quem forte Porta, Cardanusque potuit experiri; tandem veluti ſenio confectus infractas vires ac debiles habet, quas allium & adamas facile reddit ad attrahendum, & retinendum attractum ferrum ineptas. Et certe vetuſtate temporis ab aere labefactari vim tracto-

a ad Piſonem, c. 3 f.

b 2. de gen. an. c. 3.

c 7. mag. nat. c.49. d 7.ſubtili. e exercit. 102.5.

tiam in magnete norunt omnes, & vel ipſe Cardanus, (c) atque Porta, (d) ſimul & Scaliger, qui dudum (e) expertus eſt, magnetem non amplius attrahentem, diffractum habuiſſe partes interiores attractrice facultate mire pollentes, vt pote non hebetatas ab ambientis diuturna alteratione: ſic obſeruamus etiam medicamēta diuturnitate temporis inefficacia reddi ſuccis humorum attrahendis ex ægrotantium corpore. Ceterum huiuſmodi magnetem, qui ſucco cæparum & allij perunctus, odoreque tetro perfuſus vel ſenio languens amiſerit vim attractricem ferri, præter Plutarchum, Matthæolum, Albertum, Caſſianum, Ptolemæum, vel a Porta relatos antea; plures alij ſcriptores inſignes agnouerunt, ac experti ſunt; etenim Georgius Agricola de re metallica non niſi per obſeruationes experimentorum dicta proferens ait, (f) *Allium magnetis vires infirmat, & excludit: etenim allij ſucco magnes oblitus ferrum ad ſe non trahit.* Ferrantes Imperatus item diligentiſſimus obſeruator mineralium, inquit: (g) *Euaneſcit dicta virtus communicata a magnete ferro, tractu temporis ab aere, ſique conturbetur ab odoribus aduerſis, vt maniſeſtiſſime conſpicitur id ſibi contingere ab allio, & ſimilibus.* Itaque non obſtantibus experimentis Portæ ſimul, atque Cardani de ſuis magnetum fruſtulis, quæ vim attrahendi ferrum non amittebant allij ſucco peruncta: veræ ſunt experientiæ contrariæ Plutarchi, Agricolæ, Imperati, Ptolemæi, Caſſiani, Alberti, Matthæoli, & aliorum, communiſque famæ de magnete vim tractoriam ferri amittente, ſi ſucco, vel odore tetro allij perfundatur; tum quia multæ ſpecies magnetis exiſtunt, quarum aliæ virus allij negligunt ac ſuperant inuictæ, aliæ ſuccumbunt eius halitui fætido: tum quia iuuenis ac robuſtus magnes allium impune tolerat, e contra ſenio languidus allij virulentiam non ſuſtinet; tum quia non minoris æſtimandæ ſunt autoritates, ac experientiæ tot inſignium Claſſicorum, quam vnius Portæ, atque Cardani: tum demum quia fama publica duorum dictis eſt anteferenda, doctore Ariſtotele alicubi ſcribente: (h) *De Diuinatione vero, quæ in ſomnis fit, & dicitur accidere a ſomnijs, neque contempſiſſe facile, neque ſuaſum eſſe. Nam quod omnes quidem, vel plures exiſtimant habere aliquam ſignificationem ſomnia, præſtat fidem, tanquam ab experientia dictum. Et quod de quibuſdam fit diuinatio in ſomnijs, non eſt incredibile: habet enim aliquam rationem. Ideo & de alijs ſomnijs ſimiliter vtique quis arbitrabitur. Nullam vero rationabilem cauſam videre, ſecundum quam vtique fiat, hoc non credere facit.* Qua ergo ratione non licet ex eo quod inſomnia multa vera non ſint, diuinatoria non ſint, abſolute colligere nulla prorſus inſomnia vera eſſe, nullaque diuinationem continere; ſimiliter aſſerere non debemus nullum magnetem allij ſuccum pertimeſcere, ſed vel eo prorſus oblitum attrahere ferrum, eo quod Cardanus, & Porta magnetem habuerit, qui perunctus allio vires trahendi ſibi conſeruauerit: tum demum quia Porta referens experientiam de magnete, nautis ad vſum cedente in pyxide nautica, nihil ad noſtram quæſtionem facere videtur; quia duæ quum ſint omnino inter ſe diuerſæ functiones, proprietateſque magnetis; quarum altera ſe ſponte conuertit magnes ad cæli polum Borealem; quam ſolam in ſua pyxide nautæ conſiderant & obſeruant: altera magnes ad ſe ferrum attrahit; quam attractionem nihil curant, nihil obſeruant vlli nautarum: Si qui-

f lib. 2.

g l.26.c.8.

h de diu. p ſomn. init.

Digitized by Google

quidem allij ſucco perunctus magnes non impeditur quominus ad cynoſuram ſe conuertat; quod nautæ vel allio fætentes obſeruare poſſunt; ille tamen ſuccus impedire poteſt magnetem ne ferramenta trahat ad ſe ſe; quod Plutarchus & alij Claſſici comprobatum habent experimento. Quare non obſtat experientia Portæ Plutarchi experientiæ, quum ſint de diuerſis magnetis operationibus. Addo magneticam acum in pyxide nautica ſub vitro conditam eſſe, per quod medium imperuium omnino, nullis poris vel inſenſibilibus perforatum halitus allij teter, ex ore nautarum eructantium halans, non poteſt ad magneticam cuſpidem deferri; quocirca nautarum effatum a Porta relatum veritatem habere valet, incolumi ſententia communi, & Plutarchi, & aliorum inſignium Autorum experimentis euidentiſſimis confirmata, qua dicitur allium antipathia prohibere quo minus a magnete ferrum attrahatur. Etſi non minus ego cenſeo ferrum ad magnetem accurrere, quam a magnete trahi; ſicuti ſanguis maternus ad maſculeum ſemen in vtero fuſum accurrit, vt ab eo perficiatur in fœtum; & a ſemine (i) trahitur, vt habeat materiam circa quam vires exerceat ſuas, & operationem ſuam edat, qua perficitur; non ſecus atque Statuarius lapidem ad ſe trahit, circa quem operetur: Ita ſane magnes, qui more ceterorum agentium, operatione ſua perficitur (eſt enim operatio quælibet actus ſecundus, adeoque perfectio operantis (k) Ariſtoteli) trahit ſponte ferrum ad ſe, circa quod operetur, vt ipſum a rubigine tueatur; quod alibi (l) dicebamus; immo vt a ferro perficiatur; nam obſeruatur armatum ferro magnetem vires habere pollentiores in ſuis operationibus obeundis, quam habeat inermis abſque ferro: quod etiam, vt heliotropij planta ſemper ad Solem inhiat, ad proximum magnetem inſtinctu naturæ cæco fertur, & inhiat.

i Gal. 2. nat.fac.c.3

k 2. de an. t.2.

l 1. de ſpōt. viu. ortu c.116.117.

Iſta ſunt, optime Balde, quæ mihi nunc de tuo difficili Quæſito dicenda ſuccurrunt: Tu boni conſule meos conatus, & me ama. Dabam Patauij e meo Scalumnæ Muſæo Nonis Iunij M DC XXXVI.

De Apologetico: De Magnete, num ſit vena ferri præcellens: De puella, quæ poſt caſum, ſine læſione oculorum cuncta ſingularia videbat duplicata: De ſaxo magno in corpore piſcis: Deque ſaccharo in tenebris micante, Quæſita propoſita. Cap. L.

Viro Maximo Fortunio Liceto Gabriel Naudæus S. P. D.

NOn poſſunt illi, quos recta ſtudia delectant, vere atque ex animo non dolere, quoties eruditiſſimorum virorum præclaros conatus (cuiuſmodi, Fortuni Licete, tuos præſertim eſſe, mihi notum eſt) eorum opera interturbari vident, qui in id potius conniti totis viribus deberent, vt communis illa Sparta, quam ſimul excolunt, propria cuiusque induſtria cultior, ornata-

na-

natiorque redderetur. Quamobrem non poſſum eius viri apologeticon laudare, qui nuper ſub. . . . . nomine tibi . . . . . . irrogauit; multoque minus librum hunc, quem offerri mihi ſuo nomine per N. noſtrum curauit, in manus ſumere debui, vt conuitia quæ ipſum audio in N. tanquam e plauſtro libera prorſus & effrenatiori lingua conieciſſe, cuius tandem generis eſſent, & num iure, vel iniuria prolata, diſcuterem. Nam quum illi plurimum me debere profitear, ob officium illud, quo me peramanter, & honorifice proſequutus eſt; tibi vero tam arcta neceſſitudine ſum deuinctus, vt ferre non poſſim æquo animo, famam tuam ab inuidorum aut obtrectatorum aculeis lacerari, quam omnes boni toto orbe non diffuſam modo, ſed celeberrimam eſſe fatentur. Satius propterea duxi, ab hac ſcriptione oculos temperare, quæ multorum iudicio, cum dentata, peracerba, & virulenta ſit, non poſſet quidem me aut in bonam de ſuo autore, aut in malam de tua cauſa opinionem inducere. Et ſane tum officio erga te meo ſatisfactum eſſe hunc in modum intelligam, nec puto propterea. . . . . illum N. moleſte laturum eſſe, quod ego qui ipſum antea in alia lucubratione ſua præclare compoſitum, multaque ex ſe, & ex ſchola tua depromentem, omnino digna commendatione poſterorum, libenter videbam; eundem nunc, ſed ira percitum, & furentem, nec tam neruos, quam aculeos in te ſtringentem, aſpicere nolim; ne, quod antea de eius eruditione iudicium feci, totum corruat, ſi cum illis fluctibus quos nunc miſcet, & excitat velut in ſimpulo, atque cum immani calumnia, quam in te dum vibrat, ſibi potius intulit, a me conferatur.

Quæſ. 2. Tu vero, Licete, ſi. . . . . illam videris, ſi legeris, mone me, ſed ſedatus, num vera ſint quæ de ea communes amici referunt, quæque ego non prorſus eſſe falſa, ex ipſo ſtatim illius limine mihi perſuaſi; quum omnia in eo non tam ad . . . . vt ille dicit, quam ad vim internecionemque parata, offenderim. Verum oro te, obteſtorque, vt, quemadmodum antea dicebam, ſedatus id facias; nam licet aduerſarij tui, quos pro gloriæ tuæ immenſitate, multos etiam habes, aut odio, aut inuidiæ liuore obcæcati, tibi, tuisque honoribus, quantum ipſi per ſe poſſunt, detrahant; nihil tamen ab illis tam infandum ſuſtinere potes, quod non item alij, qui te in bene de hominibus merendo, præceſſerunt, experti ſint. Atque vt illos ætas poſtera, quæ ſine cuiuſquam odio, vel ſtudio iudicat, diuinis immortalibusque viris accenſere non dubitauit; ſic tua virtus quæ procul dubio rara, & inuſitata eſt, ſuosque etiam te præſente laudatores habet, numeroſiores adhuc illos obtinebit, quum gloriæ tuæ amplius adeſſe non poteris.

Vrit enim, quod inquit ille, *fulgore ſuo, qui prægrauat arteis*
Infra ſe poſitas, extinctus amabitur idem.

Et hac de cauſa futurum ſpero, vt Bononia, quæ te Patauio eripuit, multum ex decore tuo ſuum augeat, tantique deinceps ab omnibus fieri debeat, quanti ipſa te, non modo vera Ariſtotelis effata docentem, ſed de rebus difficillimis, & hactenus ignotis æterna volumina quotidie ſcribentem, fecerit: ob quæ ſicuti non immerito laudis Aram tibi poſuit inclytus Lanouius; ita locum in ijs habere cupit Cl. alumnus illius Niceron ad me ſcribens epiſtolam hiſce meis litteris adnectendam. Vale, Romæ Kal. Auguſti.

Cl.

Digitized by Google

Cl. & Eruditiſſimo Viro Gabrieli Naudæo amico ſuo Colendiſſimo Io. Franciſcus Niceron S. P. D.

EX quo mihi contigit, Cl. Naudæe, præclara Liceti opera euoluere, etiam ante peregrinationem meam in Vrbem, quum adhuc Pariſijs, commorans, & Philoſophiæ ſtudijs incumbens animaduerterem tot & tanta ab eruditiſſimo viro conſcripta volumina, quæ celeberrimas bibliothecas adornant, magnum Autori inter Litteratos nomen feciſſe; non leui ſane ipſius videndi affectus ſum deſiderio: vt quem ſingulari eruditione præditum in ſcriptis admirabar, hunc omni diſciplinarum genere inſtructiſſimum, & ad quæuis difficillima etiam in ijs problemata diſſoluenda promptũ in familiari & erudito colloquio ſuſpicerem. Peruaſit enim iam totas Europæ noſtræ Vrbes, nec poteſt neſciri ab ijs qui vel minimo in litteras amore ſunt affecti, quam ſubtili, quam præcellenti, quam ad omnem quæſtionem diluendam comparato Intellectu valeat Licetus ille poligraphos & encyclopædiæ coryphæos. Et certe quam multos doctrinæ illius fama in remotiſſimis orbis partibus ſuſcitauit eruditos viros, qui in illius venire amicitiam, & e puriſſimis ſapientiæ riuis, ſublimioris philoſophiæ placita haurire geſtierint, ſatis teſtantur innumeræ ab eis conſcriptæ ad eum epiſtolæ; at quam laudabili & iuſto tenerentur deſiderio, & quam ſpe ſua non exciderint, indubitatum apud omnes relinquunt egregia ipſius reſponſa ad claros viros, paucis ab hinc annis ad Reipublicæ Litterariæ decus & ornamentum in lucem edita; quorum tu me aliquando Romæ pro tua comitate participem eſſe voluiſti. Ego vero ſummam Autoris eruditionem admiratus, optaui iam tunc vt me tanto viro, & tibi peramico velles conciliare; quo poſſem & ego pro meo in litteras amore, obſeruantiaque in Litteratos, ipſius amicitiam ſecurius ambire, & quibus poſſem officijs excolere; immo & in mentem venit aliqua ei proponere, quæ difficultatis nonnihil in ſe habebant, nec videbantur a quolibet facile expedienda. Sperabam quippe fore, vt gratas per te haberet noſtras litteras, & reſponſo aliquo ſubtili & erudito nos dignaretur; cuius enim gratia id præſtaret potius quam tui? quem vt eruditione & virtute nouit inſignem, ſic habet inter amicos præcipuum. Verum enimvero nondum potuit votis ſuccedere quod optabam, nec fas fuit huic deſiderio meo ſatisfacere: Haud ignoras tu ipſe quam varijs diſtrictum curis & occupationibus me totum id quod iſtinc effluxit temporis habuit, ita vt mihi ipſi copia mei non fuerit, nec potuerim per quatuor aut quinque annos opus meum opticum de Perſpectiua curioſa, vt cupiebam inſtaurare, cuius ſpecimen vernacula editum lingua iam multi anni ſunt quod publici iuris feci; quum ad id operis quatuor menſes aut quinque mihi ſatis eſſe arbitrarer. Sed ij, quorum nutibus obtemperare debeo, me ſecundo iam ab Vrbe regreſſum & Patriæ redditum in domo noſtra Pariſienſi Theologicis ſtudijs præfecere; e quibus paulo poſt auocatus, & ad domus noſtræ Niuernenſis regimen aſſumptus. Ecce nondum integrum prouinciæ huiuſce meæ annum impleo, quum abducor in aliam, & in obeunda Prouinciarum totius Galliæ,

nec non & Cataloniæ Viſitatione Generali Reu. Adm. P. Franciſco Lanouio Vicario & Viſitatori Generali Collega iubeor aſſiſtere. In quo ſane etſi doleo totum id tempus, quod Philoſophiæ & diſciplinarum ſtudio deſtinabam, ita mihi abripi; non leui tamen ſolatium eſt erudititiſſimi viri conſortium in tam diuturnæ peregrinationis laboribus, & moleſtiis: Scis enim quam ſuauis moribus, quam omni bonarum litterarum ſupellectile, & quanta polleat dicendi copia & facilitate Lanouius ille noſter, ita vt illius conſuetudo non poſſit non eſſe admodum vtilis & periucunda. Sed hæc obiter. Vides interim quomodo hactenus mihi vacuum non fuit ad Licetum ſcribere, & ea proponere quæ volebam; maxime quum ad id experimenta quædam phyſico mathematica præmittere decreuiſſem, quæ adoriri vt non licuit, ita ſcribere dilatum eſt. Attamen dum hic Lanouium noſtrum Pedemontanæ Viſitationi incumbentem per paucos adhuc dies opperior, pauca quæ ſuccurrunt Liceto proponenda ad te mittere decreui, de quibus etiam quid tu ipſe ſentias ediſcere cupio, quandoquidem & tu nouiſſime apud nos tranſiens & in Italiam pro comparandis Bibliothecæ Eminentiſs. Card. Mazarini patroni tui libris proficiſcens, antiquum illud meum deſiderium denuo ſuſcitaſti;
Quæſ. 11. cui vt faciam ſatis, Primum propono ex philoſophia Magnetica, circa naturam ipſius magnetis, quem vt plurimum aiunt Scriptores eſſe venam ferri præcellentem: ita enim peramicus tibi Kircherius cap. 3. part. 1. lib. 1. de arte Magnetica, *Si halitus dicti in telluris veriorem, & magis homogeneam, qualem magneticam diximus, ſubſtantiam per dictas fibras ſeſe inſinuauerint, ibique cum materijs ſibi appropriatis coaluerint, vena ferri cauſabitur; fiet etiam magnes, quem nihil aliud eſſe dicimus, quam venam ferri præcellentem*: Quod vt crederem, adduci nunquam potui; nec tu credes, opinor, audiens me, dum Niuerni agerem, vbi ſunt quamplurimæ ferri fodinæ, fornaces etiam vbi gleba decoquitur, ferrum fit, & funditur, audiens inquam repetito ſæpius experimento me probaſſe nullam eſſe ferri glebæ cum magnete ſympathiam. Haud ignoras quanta polleat virtute magnes ille ſingularis, quem ex Italia mecum detuli, quem tu ipſe multoties contrectaſti, cuius & nobiles effectus admiratus es; illum igitur in Syluis Niuernenſibus, vbi multæ ſunt ferrariæ, ſæpiſſime magno ferri glebæ cumulo admotum & immiſſum, nuſquam viſa eſt vlla particula ſentire: immo nec minimum fuit ſignum virtutis attractiuæ, quam poſſet circa prædictam ferri venam exercere. Quum tamen alias meminerim, me, dum circa vrbis mœnia ſpatiarer, calcare nigram quandam arenam, ſeu ferrugineam, quæ admoto magneti ita adhærebat, vt ferrum purum & a natura perfecte elaboratum credere non dubitem. Et contra ferri glebam, quam e noſtris ferrarijs communiter haurimus, naturam ferri non habere penitus arbitror, niſi prius cum terra quadam, quam vulgo *Caſtinam* vocant, admiſta & in fornace excocta fuerit; haud ſecus ac recte dici poteſt, ipſam arenam albam, ſeu ſaxa pellucida, quæ conficiendo vitro adhibentur, ipſam vitri naturam non habere priuſquam in fornace cum vitro, vt ait Plinius, ſeu cum materia qua recentiores vtuntur artifices igne liquata fundantur, & vitri naturam induant. Quod vt ita ſit, nonne generalis eſt ferri cum magnete conſenſio ita vt (quod de arena illa ferruginea ſuperius aduertebam) fer-

ferrum quodcunq; virtuti magneris attractiuæ cõſentiat? Ferrum igitur non eſt, quod nullam habet cum magnete ſympathiam. Deinde neq; magnes ipſe, meo iudicio, ferri vena dici poteſt, ſi quidem in venis ferri præcellentibus, de quibus agebã ſuperius, nullus magnes inuenitur. Immo nihil prorſus virtutis magneticæ in glebis, quæ nec ferrum, nec magnetem, nec ſe inuicẽ trahũt, nec a magnete mouentur, vt iterata ſæpius experientia nos edocuit. Vnde mihi verius & aptius videtur ſenſiſſe Carteſius, nobiliſſimus & acutiſſimus noſtri temporis philoſophus in ſuis philoſophiæ principijs, vbi ſane mirum eſt inter alia præclariſſima ingenij ſui inuenta, quam belle, quam ſubtiliter, quam acute phęnomena magnetica explicet, & eorum cauſas inueſtiget; melius inquam ille, meo iudicio, dũ ait, par. 4. principiorũ Philoſophiæ: *Vix vlla eſt ferri gleba, quæ non aliquo modo ad magnetis naturã accedat: & nullus omnino eſt magnes, in quo non aliquid ferri contineatur; etſi forte aliquando iſtud ferrũ aliquibus alijs corporibus tam arcte adhæreat, vt facilius igne corrumpi quam ab ijs educi poſſit.*

Alteri Quæſito præbet argumentum caſus ſingularis puellæ cuiuſdam, quæ dum in hypogæum hauriendo vino forte deſcenderet, præcipiti lapſu per ſaxeos gradus ruens, caput alliſit, & oculis nihil læſis poſtmodum ſurgens, ſingula nihilominus quæque obiecta duplicia videre ſibi videbatur: Inauditum ſane effectum, & ei qui cauſam neſcierit, penitus ſtupendum. Illam igitur & a te, & a Liceto ediſcere vehementer optarim. Ego vero ab Illuſtriſſima, ſcientiarumque amantiſſima femina, Domina Magdalena de Souuray, Marchioniſſa de Sablè, cui puella ancillabatur, ſuper tali euentu aliquando conſultus fui; ſciebat quippe illa me in Opticis aliquoties verſatum eſſe; & *ophthalmicu pathus* cauſam ignorare me non debere ſentiebat. Et certe conſiderata organi fabrica, & ſingularum illius partium vſu, defectum hunc aliunde prouenire non poſſe exiſtimaui, quam ex immutato pupillæ ſitu; vt enim obiectum aliquod duobus viſum oculis, vnicum appareat, facit æqualis, ſeu ſimilis pupillarum motus & contorſio, ita vt in vtrumque cryſtallinum ſimiliter poſitum radij ſpecierum allapſi imaginem pingant in eadem ſeu potius ſimili retinarum parte: E contra vero docet nos experientia, quod ſi admoto digito naturalis alterius pupillæ ſitus mutetur in alium, conſpecta obiecta ſingularia, nobis apparent duplicia; quia nimirum in cryſtallinum vtrumque diſſimiliter ſitum ſpecierum incidentes radij diſſimiliter refringantur, & in diuerſas retinarum partes incumbant; ſicque duas quaſi ſenſationes efficiant, dum duabus organi ſenſus communis partibus, conſentientes partes eodem momento ſimili imagine afficiunt. Quomodo vero oculis nihil læſis, vt videbatur, immutatus fuerit pupillæ ſitus, non eſt difficile æſtimare, quum dicemus temporalem muſculum in caſu læſum fuiſſe; vnde forte ex doloris ſenſu contractus muſculum ocularem violentius affecerit; qui propter viciniam, & ſympathiam contractus & ipſe pupillam a ſuo naturali ſitu dimotam reliquerit. *Quæſ.* III.

Tertium erit de ſaxo ponderis quatuor aut quinque librarum, quod duobus ab hinc annis, dum Pariſijs agerem, vidi e corpore Rayæ piſcis extrahi, & quia memini me in operibus Liceti aliqua legere de generatione lapidum etiam in animalibus, dubitaui an illud ſaxum genitum creuiſſet in piſcis *Quæſ.* IV.

Ff 2 cor-

Digitized by Google

corpore, an vero caſu, aut appetitu aliquo naturali piſcis illud deglutiſſet.

Quæſ.v. Quarti demum Quęſiti cauſa eſt experimentum nuper a me factum, micare videlicet in tenebris lucidasque & ignitas ſcintillas emittere saccharum, dum frangitur; vnde & igneæ valde naturę illud eſſe conijcio: Sed cauſam ſcintillationis eiuſmodi non penitus intelligo, niſi forte ex pręparatione, quę per ignem fit, talem contrahat proprietatem; haud ſecus ac virtutem lucis concipiendæ lapis ille Bononienſis accipit a calcinatione, vt fuſe docet Licetus in Litheoſphoro. De quo quia nobis incidit ſermo, velim ſcias donatum me eſſe aliquo fragmento huius lapidis optimę notę; illiusq. pręparationem adamuſſim, vt in Litheoſphoro præſcribitur, inſtituiſſe; ineptum tamen poſt iteratam calcinationem concipiendę luci reperiſſe; quo fit, vt credam aliquid in iſta præparatione latere ſecreti, quod Licetus non expoſuit. Tu de eo, Cl. Naudęe, ſicut & de alijs, quę a me proponuntur, tuum nobis ſenſum aperi, & erudita aliqua reſponſa ab inſigni Philoſopho Liceto ad me mittenda, quum tibi & ipſi vacuum fuerit, impetra: & ſi Bononiam nondum teris Caualleriũ Mathematicum eximiũ nomine meo plurimum ſaluta; & quid noui in diſciplinis moliatur vterq. ad nos ſcribe; & bene vale, vt quamprimum te reducem ſaluum & ſanum Gallia noſtra ſuſcipiat, ne bonarum litterarum ſtudioſi longiori tui deſiderio teneantur. Scribebam raptim, & dabam ad muros Lugdunenſes in Monte Sancto, ipſis Idibus Maij Anno ærę Chriſtianæ MDCXLV.

Viro Clariſſimo Peripateticorum Coryphæo atque Sincerioris Philoſophiæ Profeſſori eximio D.D.Fortunio Liceto F.Franciſcus Lanouius ex Ordine Minimorum Aram D. D.D.

Aram damus Fortunio
Qui tot alijs poſuit
Non ignoto Aram Deo ſed patri Philoſophiæ
Artis Naturæ præpotenti Genio
Viuenti rurſum Ariſtoteli
Hunc enixa felicitas
Nomen fert Fortunij
Partu glorietur Licet
Pluſquam aureo Genua
Ciue ſuo Patauium
Viro ſuo Italia
Orbis totus Philoſopho
Qualem non vno ſæculo
Vis naturæ formauerit
Mente & opere parem.
Hunc conſecrauit Mineraa memoriæ
Suo ſublatum curru Phœbus commendauit gloriæ
Ipſumque in templum Aeternitatis dexter induxit Mercurius
Supina cęlũ contuens ſtupet Academia ſtupẽt & omnes Scholę Sapientium
Peripatus Liceti Libris famam prouocat Fortunij nomine noſtra ſignat tempora.

Reſp. Lic. De nupero libello famoſo iudicium: deque proxima magnetis, & ferri materia: de viſione deprauata illæſis oculis: de lapide magno in corpore Rayæ: deque ſcintillante ſaccharo in tenebris confracto. Cap. LI.

Præclariſſ. Viro Gabrieli Naudæo Fortunius Licetus B. A.

QVod a me primum poſtulas, optime Vir, an apologeticum libellum *Reſp. ad 1.*
nuperum viderim, & quid de illo ſentiam, breuibus accipe. Vidi, vltra *Quæſ.*
duas primas pagellas legere non potui, totum neglexi; nam ex vngula feram
furore percitam agnoui, ſicut & ipſe tu. Legiſſet olim quum quis opus He-
racliti, percunctantibus de iudicio, reſpondiſſe ferunt: *Quæ intellexi, bona;*
puto & quæ non intellexi. Viceuerſa ſciſcitanti tibi de meo ſenſu circa recens
emiſſum libellum famoſum, quid ego dicam, niſi quæ tu ſatis inſinuas? Quæ
legi, mala ſcommata ſcurrilitatibus omnium generum infarcta: puto & quæ
ſtomachum mouentia legere non potui. Sed mittamus iſta, damnemusque
ſilentio, quæ recte cenſes indigna lectu, conſideratuque. Pulchra ſpectemus
myſteria ſapientiæ. Quod ergo iucundioris, atque ſapientioris meditatio- *Reſp. ad 2.*
nis mihi proponis dein ex erudito Nicerone Quæſitum de materia proxima *Quæſ.*
magnetis & ferri, controuerſa inter ipſum & inclytum Kircherum & Cl.
Niceronem eruditi Carteſij laudatorem, næ perarduum eſt, & delicatioris
ingenij cogitatum: non ita facile me iudicem exhibere ſoleo de ſententijs
diſcordibus inſignium virorum; ſed quando tibi nihil omnino negare poſ-
ſum, mea ſenſa de propoſito libere proferam. Accipio quidem ex inclito
Kirchero, Magnetem & ferrum fieri ex halitibus quibuſdam ſubterraneis; at-
tamen accipere nequeo, pace tanti viri, magnetem & ferrum ex eiuſdem ge-
neris halitibus exoriri, proindeque nec magnetem eſſe venam ferri præcel-
lentem: multoq. minus accipere valeo Cl. Carteſij placitum, vix vllam eſſe
ferri glebam, quæ nō aliquo modo ad magnetis naturam accedat, & nullum
omnino eſſe magnetem, in quo non aliquid ferri contineatur; nam vt vtriuſ-
que diuerſi generis eſt forma ſpecifica; ſiquidem ferrum in metallorum ge-
nere continetur, magnes autem in genere lapidum; ita diuerſi generis vtriuſ-
que proxima materies eſt; etenim ad aliam formam alia materies eſſe dicitur
(a) ab Ariſtotele: Quo doctore quoque nouimus duo reperiri halituum ge- *a 2. phyſ.*
nera; quorum alter halitus eſt a prædominio ſiccus, vt pote medius inter *t. 26.*
ignem atque terram, proprio nomine dictus fumus, & exhalatio: & alter eſt
humidus a prædominio, nempe medius inter aerem & aquam, qui peculiari
vocabulo vapor appellatur: verba Philoſophi clara ſunt, *(b) Eſt enim vaporis* *b 1. meteo.*
natura, humidum & calidum: exhalationis autem, calidum & ſiccum. Et eſt va- *ſu. 1. c. 4.*
por quidem potentia, velut aqua: exhalatio autem potentia, velut ignis. & mox:
(c) Calefacta enim terra a Sole, exhalationem neceſſarium eſt fieri; non ſimplicem, vt *c ſum. 2. c. 4.*
quidam putant, ſed duplicem; hanc quidem magis vaporoſam, illam autem magis ſpi-

ri-

virtuoſam; illam quidem, quæ eius, quod in terra, & ſuper terram eſt humidi, vaporem: hanc autem, quæ ipſius terræ exiſtentis ſiccæ, fumoſam. & adhuc infra: (d) *ſunt enim duæ ſpecies exhalationis, vt dicimus; hæc quidem humida, illa autem ſicca: vocatur autem hæc quidem vapor, illa autem ſecundum totum quidem innominata eſt: eo autem, quod in parte vtentes neceſſe eſt vniuerſaliter appellare ipſam, velut fumum. Eſt autem neque humidum ſine ſicco, neque ſiccum ſine humido; ſed omnia hæc dicuntur ſecundum exceſſum.* Qui quidem halitus duum generum non ſolum in aere ſublimi, ac omnino ſupra terram fiunt a calore Solis aquã terræ circumfuſam in vapores vertente, nec non & ipſam terram in exhalationes fumidas; verum etiam a calore ſubterraneo, potiſſimum ignis, quin & Solis illuc concentrato, fiunt in terræ viſceribus tum ex aqua ibidem contenta vapores, tum ex terra exhalationes fumoſæ, ſiccæque. Qua ratione vero ſupra terram in ſublimi fiunt ex vapore concreto nubes, niues, grandines, pluuiæ, rores, pruinæ, ceteraque miſta id generis calore liquabilia: & ex halitu ſicco fiunt fulmina, fulgura, venti, nebulæ, cometæ, trabes, & alia ignita meteora: pari de cauſa gignuntur intra terram ex humido vapore metalla cuiuſq. generis: ex halitu vero ſicco lapides; quam doctrinam apertam habemus apud Ariſtotelem hæc afferentem: (e) *Quæcunque autem in ipſa terra, incluſa terræ partibus operatur, dicendum. Facit enim duas differentias corporum, propterea quod duplex natura eſt & hæc, quemadmodum & in ſublimi. Duæ enim ſunt exhalationes, illa quidem vaporoſa, hæc autem fumoſa, vt diximus; duæ autem & ſpecies eorum, quæ in terra fiunt; nam hæc quidem foſſibilia, illa autem metallica. Sicca igitur exhalatio, ignìens facit foſſibilia omnia, vt lapidum genera ineliquabilia, & Sandaracam, & Ochram, & Minium, & Sulfur, & alia talia. Plurima autem foſſibilium ſunt hæc quidem puluis coloratus, illa autem lapis ex tali conſiſtentia factus, velut Cinnabari. Exhalationis autem vaporoſæ, quæcunque metallica ſunt, & ſunt aut fuſibia, aut ductilia, vt ferrum, aurum, æs.* Quum igitur magnes in lapidum eorum genere ſit, qui non liquantur igne, ſed calcinãtur; ferrum autem ſit metallum ductile, ac igne liquabile; non autem calcinabile: ſicuti conſtat experimentis euidentiſſimis; iam certo certius eſt, magnetem in foſſilium genere contineri, materiam proximam habere ſiccam exhalationem a prædominio terream; ferrum autem eſſe metallum ex aqueo vapore concreto genitum: proptereaq. nec magnetem eſſe venam ferri præcellentem; nec omnem magnetem aliquid in ſe ferri continere, nec viciſſim omnem ferri glebam ad naturam ferri accedere. Quinimmo raro reperitur magnes in ferri fodinis, etiam præſtantiſſimis, vt obſeruauit Niceron inueniri nullum magnetem in Niuernenſibus: Etſi vero Tuſci maris inſula, Græcis Aethalia nuncupata, nunc Ilua (f) terram habeat magnetis & ferri feracem; nõ tamen ideo ſit vt ferri ſit & magnetis eadem materia proxima; nam vt in eadem aeris regione fiunt ex humido vapore nubes & pluuiæ, ac ex fumida exhalatione fulmina tonitruaque; ſic in eadem terræ regione poteſt inueniri vapore humidus, ex quo ferrum gignatur; & exhalatio ſicca, ex qua magnes oriatur. Nec ex eo, quod magnes ad ſe ferrum attrahat, aut viciſſim ad magnetem ferrũ accurrat, colligere fas eſt homogeneam, & eiuſdem eſſe ſpeciei, generiſque proximi materiam vtriuſque; nam & electrum attrahit pa-

d 2. meteo. ſu. 2. c. 1.

e 3. meteo. ſu. 3. c. 1.

f Plin. l. 3. c. 6.

Digitized by Google

paleas, & adamas; cum quibus nec adamas, nec electrum obtinet materiam
naturamque congenerem. Quinimmo magnetes aliqui reperiuntur, qui fer-
rum non attrahant, ſed abigant ab ſe ſe. Poſt allata noſtram ſententiam con-
firmans Ariſtoteles immediate ſubdit: *Facit autem hæc omnia* (ferrum, aurum,
æs, & alia metalla, de quibus proxime dixerat) *exhalatio vaporoſa, quum in-
cluditur, & maxime in lapidibus propter ſiccitatem in vnum coarctatur, & concre-
ſcit, velut ros, aut pruina, quum excreta fuerit, hic autem antequam excreta fue-
rit, generantur hæc.* nimirum exhalatio vaporoſa, quum includitur intra ter-
ram, & maxime lapidibus affluentem, ab horum ſiccitate quam vapor hu-
midus vt ſibi contrariam refugit, in vnum coarctatur, & concreſcit a frigore
loci, ſicuti ros & pruina ſupra terram in aere ſublimi gignitur item a frigidi-
tate loci ex vaporoſa exhalatione humida, quum excreta fuerit in altum de
terra; ſed metalla generantur hic intra terram ex eadem exhalatione vaporo-
ſa, priuſquam excreta fuerit ex humo ſurſum in aerem. Addit Ariſtoteles:
Quapropter hæc (metalla ſcilicet) *ſunt quidem vt aqua, ſunt autem vt non; poten-
tia enim, materia aqua erat; eſt autem non amplius*; quia materia, quæ fuerat in
potentia proxima ad induendam naturam metallorum quorumlibet, erat
vapor humidus & aqueus; vbi vero concreuerit in metalli ſubſtantiam, non
eſt amplius humidus vapor aqueus, ſed conſiſtens atque ſicca metalli corpu-
lentia. Statimque proferens horum generationem adijcit Ariſtoteles: *Ne-
que ex aqua facta propter quandam paſſionem, ſicut humores; neque enim ſic fit, hoc
quidem æs, illud autem aurum: ſed antequam fiant, concreta exhalatione, ſingula
horum ſunt.* Videlicet alia longe ratione fit ex aqua generatio humorum, &
metallorum; quia fiunt humores tam in humano corpore, quam corpori-
bus plantarum, ex aquæ quapiam ſpecie; nam infra dicturus eſt Ariſtoteles,
(g) *Aquæ autem ſpecies talia, vinum, vrina, ſerum, & omnino quæcumque nul-* g 4. meteo.
lam, aut paruam habent ſubſidentiam: ex vino igitur, lacte, ſanguine potulen- ſu. 2. c. 2.
tiſque ceteris hauſtis in animalium corpore fiunt humores per puram fere
alterationem paſſionemque a naturali calore, non per condenſationem ſo-
lam aut præcipue; ſic humores vini in vite ac vuis, & lacrymarum ex alijs
plantis peculiaribus effluentium, vt balſamum, electrum, & id generis fiunt
ex aqua ſeu liquore aqueo de terris hauſto, & in corporibus plantarum non
concreto & incraſſato, ſed alterationem & paſſionem quandam ab interna
ſtirpium caliditate ſortito: viceuerſa ſicuti vapor aqueus in altum delatus
fere ſola concretione mutatur in rorem, pruinam, nubes, niues, aquam, &
grandines; ita vapor aqueus intra terræ ſinum concreſcit & condenſatur, ad
cuius concretionem præcedentem illico ſequitur generatio metallorum, æris,
& auri, & aliorum, pro diuerſitate naturæ vaporis illius aquei. Subnectit
Ariſtoteles: (h) *Quapropter & igniuntur omnia, & terram habent: ſiccam enim* h 3. meteo.
habent exhalationem. Aurum autem ſolum non ignitur. Quæ ſententia diffici- ſu. 3. c. 1.
lis hanc habet explicationem: Quia vapor humidus in metallorum gene-
ratione non eſt alteratus vi caloris, at ſolum concretus vigore frigoris ter-
reni; quumque frigidi ſit actione ſua congregare quoque heterogenea ad
calidi differentiam, quod ſolum congregat homogenea, diſgregans hetero- i 2. de gen.
genea, ſicuti docuerat alibi Philoſophus: (i) Quum igitur intra terræ gre- t. 8.

mium

nium vapor aqueus, ex quo concretione a frigore telluris, lapidoſæque materiæ circumambientis effici metalla debent, impurus plerumque fit, ob admiſtionem terrenarum partium; propterea fit, vt generatrix illa metallorum cauſa, quæ frigiditas eſt, dum addenſat eorum materiam, & vaporem cogit, ſimul cum eo congregat admiſtas partes terreas; quæ ſicuti plures in alijs metallis inſunt, ita nullæ fere ſunt in auri ſubſtantia, quod eſt puriſſimum omnium metallorum; quapropter ob iſtam impuritatem, ac heterogeneam naturam omnia metalla, præter aurum, igniuntur, hoc eſt ignis actione patiuntur aliquid detrimenti; quoniam ignis, cuius proprium eſt, heterogenea ſegregare, ſeparat ab alijs metallis exhalationem ſiccam terream illorum humidæ vaporoſæ permiſtam: quum auro non inſit illa ſicca terreſtris impura exhalatio. Sic ergo magnes lapis non habet proximam ſui materiam in generatione cum ferro communem, cuius materies eſt exhalatio vaporoſa aquea; quum magnetis, & aliorum lapidum materia proxima ſit exhalatio
k lib. 13. ſicca terreſtris. Nec obſtat obſeruatio Strabonis aſſerentis, (k) *Lapis eſt apud Andeira, qui vſtus in ferrum tranſit. deinde cum quadam terra in camino excoctus, pſeudargyrum, ſeu falſum argentum ſtillat; cui vbi eſt æs additum, temperamentum fit quod vocant, & nonnulli orichalcum dicunt*. Etenim lapis ille ſimplicem non habet naturam, ſed miſtam ex foſſili, & metallica; quę duo heterogenea ſeparantur per aduſtionem; potenti calore lapideam ſubſtantiam, vt pote ſicca exhalatione terreſtri nixam, facilius in ignem terræ cognatiorem conuertente; relicta ſubſtantia metallica, quæ vapore aqueo nixa magis reſiſtit vrenti igni; nam ex Ariſtotele nouimus in ignem facilius tranſmutari ter-
l 2. de gen. t. 26. ram, quam aquam; (l) quoniam igni facilius eſt vnam qualitatem frigiditatis in terra ſibi contrariam ſuperare, quam duas hoſtiles in aqua frigiditatem ſimul & humiditatem. Quæ dicenda mihi videntur pro reſponſione de primo Quæſito Cl. Viri.

Reſp. ad Quæſ. 232. Alterum vero Quæſitum de cauſa, cur puellæ mox e caſu ſurgenti cuncta viderentur geminata citra læſionem oculorum, difficilem quoque ſolutionem habet. Profecto verum experimentum profert Opticus quilibet, Oculo vno preſſo, & a naturali ſitus æqualitate ad alterum mutato, ſingula conſpici geminata; ſed quomodo nullum tale vitium in oculorum ſtructura puella poſt caſum habens, duplicia cuncta perſpiciat, dum Niceron noſter explicare nititur, mentem non omnino dubitatione liberat. In primis enim obiecta ſingularia preſſo vno ſolum oculorum apparere gemina, quia mutetur alterius pupillæ ſitus in alium, adeoque quia in cryſtallinum vtrumque diſſimiliter ſitum ſpecies obiectorum incidentes diſſimiliter refringantur; & in diuerſas, ſi placet, retinarum partes incumbant; ſeu potius, vt ego cenſeo,
m de ſec. Quæſ. c. 24 & ſeqq. fuſiusque probaui dudum (m) in alijs Quæſitis, quia diſſimiliter ab inæqualibus retinarum partibus in diſſimiliter ſitos cryſtallinos reflectuntur; non poſſum tamen accipere duas quaſi ſenſationes fieri; quia ſingularis & vnica ſenſatio fit, ſed vnius obiecti ſub imagine duorum: Quod etiam notabat
n 1. opt. prop. 80. Clariſs. Aguilonius inquiens, (n) *Quod vero res vna preſſo oculo gemina appareat, hoc inter deceptiones erroreſque viſus cenſeri debet. Non enim tum duæ notiones a ſenſu formantur; ſed vna eiuſdem rei, quæ gemina putatur, quod luminum ſo-*

cietate

Digitized by Google

cietate diſtracta, duobus illa locis exiſtere videatur: ſicut dum res vna & intra & extra ſpeculum ſimul conſpicitur (ego quidem potius afferrem exempla duorum ſpeculorum, in quibus duæ præſentis vnius hominis imagines aſpiciuntur, quaſi duos homines conſimiles repræſentare natæ) *eadem quidem res eſt, quæ cernitur; ſed propter repercuſſionem, diuerſis in locis apparet; quæ proinde gemina falſo exiſtimatur.* Nec illud accipere poſſum in hoc errore viſionis habere locum partes vllas organi ſenſus communis; tum quia viſio tota celebratur in oculis; quum organum ſenſus communis in oculis non ſit, ſed procul ab oculis in intimo cerebri meditullio: tum quia ſenſus communis actio non eſt videre, ſed alia gemina longe diuerſa, nimirum animaduerſio functionis aliorum ſenſuum; & perceptio diſcriminis intercedentis inter obiecta diuerſi generis; nam oculis videmus, lingua guſtamus; at ſenſu communi neque videmus, neque guſtamus; at ſolum vigilantes & intuentes aliquid, ſentimus nos videre; ſimiliter in vigilia guſtantes, ſentimus nos guſtare, guſtamus autem organo proprio guſtatus, & videmus organo proprio viſus; non ſenſu communi; quo præterea diſcernimus viſibile non eſſe guſtabile, viciſſimque ſaporem a colore differre; quæ cuncta late docuit (*i*) Ariſtoteles: tum etiam quia ſenſus communis in ſomno nihil operari poteſt; quippe ſomnus eſt ocium ſenſus (*k*) communis, cuius organum in vigilia ſolum eſt expeditum; alij vero ſenſus, & viſus ipſe ſpeciatim, operari poſſunt ſine deceptione, vt noctambulis accidit non raro; de quibus Ariſtoteles ita, (*l*) *Mouentur autem quidam dum dormiunt, & faciunt multa quæ vigilantium ſunt.* & alibi clarius; (*m*) *Accidit enim dormientibus etiam animalibus ſenſus; non modo quæ ſomnia vocantur, ſed etiam præter ſomnia; vt ijs, qui dormientes reſurgunt, & quidem pleraque agunt ſine ſomnio. Sunt enim qui dormientes reſurgant & ambulent, videntes eo modo, quo qui vigilant; ijs enim ſenſus accidentium contingit, quamquam non vigilantibus, tamen non vt ſomnium.* Itaque ſenſus communis ad eliciendum actum viſionis non concurrit. Sed hac de re fuſius alio (*n*) loco peregi. Quod autem affertur illæſis oculis in caſu puellæ muſculum temporalem fuiſſe læſum, qui forte contractus ex doloris ſenſu muſculum ocularem violentius affecerit; qui propter viciniam & ſympathiam contractus & ipſe pupillam a ſuo naturali ſitu dimotam retinuerit: id non ita facile mihi recipitur; tum quia læſio, contractioque muſculi temporalis perículoſa nimium eſt, afferente Galeno de muſculis temporalibus, deque muſculis oculorum: (*o*) *Nam inter omnes muſculos potiſſimum hi, ſi læſi fuerint, conuulſiones, febres, ſoporem, & deliria inferunt;* quorum nihil illi puellæ poſt caſum accidiſſe dicitur. tum quia contractio muſculi temporalis, & ocularij diſtortionem, malamque conformationem oculorum ingerit; quæ nulla penitus in puella proponitur ex illo caſu; quin ea dicitur oculis illæſis læſam habere viſionem. Quare putauerim in illo caſu per alliſionem capitis factam fuiſſe magnam opticorum neruorum commotionem; ad quos confluxerit humor, qui potius vnum quam alterum illorum neruorum obſidens, ibique condenſatus alterum neruum parum contraxerit; & quia neruorum illorum finis expanditur atque dilatatur conſtituens tunicam retinam, quæ continet humorem cryſtallinum, vt late

i 2. de an. t. 136. & ſequentib.
k de ſomn. & vig. c. 2.
l de ſom. & vig. c. 3. f.
m 5. de gen. an. c. 1.
n 3. de viſ. ta, c. 5.
o 11. de vſ. part. c. 3.

Gg di-

p cap.24. & ſeqq. diſputatum eſt in opere de ſecundo (p) Quæſitis; iſta leuis immutatio ſitus naturalis alterius cryſtallini, ſenſui quidem a nobis inadſpectabilis eſt; aſt in puella viſionem deprauare poteſt, cogens ea cernere duplicia, quæ ſecundum ſe ſimplicia ſunt, & vnica.

Reſp. ad Qu. IV. Ad Quæſitum de ſaxo quatuor vel quinque librarum, quod e corpore Rayæ piſcis extrahi vidit Cl. Niceron, non ita facilis eſt reſponſio mihi neſcienti quanam in parte corporis illius piſcis extiterit; etenim ſi fuerit in alui, aut inteſtinorum cauitate; nullo negocio potuit deuoratum eo incidiſſe; ſed ſi fuerit in alia corporis parte, in quam irrepſiſſe non potuerit ex ore voraci; nec difficilis erit explicatio generationis adeo magni lapidis in corpore Rayæ piſcis; de quo leguntur apud Autorem Horti Sanitatis verba
* tr. de piſcib. c. 75. ipſiſſima, (*) *Habet Rayte quandoque in capite lapidem: nec credimus, quod natura creauerit eum inutilem*. quum enim pluribus indubitatis experimentis oſten-
q cap.7. derimus in (q) Litheoſphoro lapides gigni paſſim in animalium corporibus; quidni dicamus in corpore piſcis exortum lapidem? nec obſtat amplitudo ſaxi, quia magnæ molis eſſe debuit illa Raya, quæ tantum lapidem contineret. Comperti ſunt in humana veſica lapides & multi & magni, quorum pondus non ita deficeret a prædicto ſaxi de corpore Rayæ eruti. Quinimmo ſi totus fœtus in vtero matris aliquando riguit in lapidem apud Agendicos Galliæ Senonenſis; de qua re plurima retulimus olim teſtimo-
r l.2.c.45. nia omni fide maiora, dum de (r) Monſtris ageremus; cur non valeat in corpore Rayæ magnæ magnus lapis exoriri? vt igitur in veſica lapides creſcunt in dies per appoſitionem nouæ materiæ viſcidæ prægenito lapillo; quidni fieri tale quid potuit in corpore Raya?

Reſp. ad Qu. V. Ceterum multo difficilior eſt ille nodus, quem proponis de ſaccharo, quod inter tenebras emittebat ignium ſcintillas; cui tamen ſoluendo non parum conferet experimentum, quo quotidie videmus ex percuſſu duorum lapidum, ex confrictu duorum lignorum, emicare ſcintillas igneas etiam in
ſ 3. de vita c.39. clara luce diei; quas quidem fauillas ignitas olim non (ſ) ſemel, ſed fuſius (t) agens *De Luminis natura & efficientia* memini me retuliſſe in aerem inter-
t 2. de no. aſtr.c.65. ceptum a duobus corporibus duris vehementi colliſione attritum in partes minimas, & attritione tali verſum in igneam ſubſtantiam tenuem. Quum
u 5. de no. aſtr.c.61. enim aer natura ſua ſit (u) humidus atque calidus; habeatque qualitates has vtraſque remiſſas admodum, ac fere (x) inſenſibiles; facile poteſt in
y l.2.c.31. ignem conuerti ſolam amittens (y) humiditatem: quumque conſtet experi-
u 2.de gen. t.16. mento, calorem ſiccitate acui, & humiditate retundi; quicquid poteſt aerem propria humiditate ſubſtantifica priuare, ſiccitate in locum eius in-
x 1.phyſ. t.54. ducta, iam aerem in ignem conuertet, (z) Ariſtotele doctore. Quum itaque motus atterens aerem in partes minutiſſimas, ipſum exuat humiditate
y 2.de gen. t.25. natiua, quæ ceu gluten illas iungebat in molem continuam; iam motus aerem atterens ipſum conuertit in ignem, ſi fuerit concitatior duorum corpo-
z 2.de gen. rum ſolidiorum, vel etiam vnius in aere vehementior; quo nomine ſagittas in aere celerrime motas, ab eo per attritionem in ignem mutato accendi
a 2. cal. t.42. atque comburi notiſſimis experimentis obſeruauit etiam (a) Ariſtoteles. Quia ergo ſacchari corpus intrinſecus porolum eſt, & in illis etſi ſatis anguſtis

Digitized by Google

ſtis meatibus aerem continet; dum frangitur, vt neceſſario ſuarum partium duriorum colliſionem, motumque celerem in eis admittit; ita concluſus aer in illis, interceptus atteritur, quaſi inter duo ligna mutuo violento motu confricata; talique attritione mutatur in ignium ſcintillas, quæ quidem in tenebris emicant, non in clariori lumine, propter eius ignis recens exorti raritatem, atque tenuitatem: nouimus enim rariorem ignem atque tenuiorem emicare ſolum in tenebris; qui vero denſiori ſubſtantia craſſiorique nititur, etiam in lumine fulgere. Neque vero putarim igneas huiuſmodi ſcintillas ineſſe ſaccharo ex præparatione ſui per ignem olim habita; quia quæcunque qualitas ignea ſacchari partibus inſidet ex illius præparatione, conſimiliter omnibus illius portionibus, totique competit, non ſolum in diffractione diuiſionem patientibus, at etiam quieſcentibus, & ante fracturam & poſtea; iiſque tam externis, quam interioribus; ac iſtæ ſcintillæ micant in actu contractionis ex internis tantummodo ſacchari partibus. Neque vero par eſt ratio lapidis Bononienſis præparatione præmiſſa lucem in tenebris concipientis, & ſacchari ſcintillas ignis emittentis; tum quia lapis ex tali præparatione ſolum acquirit facultatem concipiendi lucem in ſe ab externa claritate; ſaccharum vero de ſuis partibus intimis ignium ſcintillas emittit: tum quia lapis ille lucem ſolam concipit, quæ non eſt ignea, neque calida; ſaccharum lucidas, calidas, & ignitas in diffractione ſcintillas euibrare dicitur: tum quia lapis ille quieſcens abſque ſui diffractione ſplendet in tenebris; at in tenebris quietum ſaccharum & integrum minime ſcintillas eiaculatur: tum quia lapis ille diutule conceptam lucem retinet in tenebris; at vero ſaccharum in actu momentaneo diffractionis emittit a ſe ſcintillas igneas lucidas. Quare ſcintillarum ignitarum originem referre lubet in tranſmutationem aeris inter illas partes, quæ franguntur intercepti ad igneam ſubſtantiam, ſola contritione illius aeris comparatam. Quid ſi dicamus, etiam exiguum aerem, qui, ne detur vacuum, ſubito deforis ingreditur inter illas partes, quæ franguntur in ſaccharo, conteri & in ignis lucidi ſcintillas commutari, vt aer inter chalybem & ſilicem percuſſos medius in ignitas ſcintillas emicare ſolet? Igneæ valde natura ſecundum ſe ſaccharum eſſe, non exiſtimo; qui video concetta ſaccharo multa, ſyruposque dari febricitantibus cum emolumento, quorum corpora ſunt & refrigeranda, & humectanda, ad ignei caloris febrilis extinctionem. Quod vltimo loco pertinet ad præparationem lapidis Bononienſis pro luce concipienda, & retinenda in tenebris, ingenue fateor me nihil in Litheoſphoro prætermiſiſſe, quod ad eam perficiendam neceſſarium ſit; quod ſi Cl. Niceron adamuſſim a me præſcriptam calcinationem in ſuo fragmento molitus eſt incaſſum; pro certo habeat, illud fragmentum vere non fuiſſe optimæ notæ, quamuis pro tali ſibi traditum fuerit.

Hæc ea ſunt, optime Naudæ, quæ mihi nunc tibi reſpondenda videntur de quinque propoſitis Quæſitis; tu ea boni conſule, ac in iis corrige ſphalmata; nam omnia tuæ cenſuræ ſubiicio. Vale, meoque nomine Cll. Lanouium, & Niceronem plurimum ſaluere iube. Dabam Patauij.

Peroratio. Cap. Vltimum.

TErminum hic habeat volumen de Tertio-Quæſitis per Epiſtolas a Claris Viris: Deo ſummo bene fauente propediem prælo ſubijciemus Tomum Quartum eiuſdem argumenti, quem compaginamus in dies.

Digitized by Google

Omiſſa pag. 216. poſt lineam 10.

Caſu factum eſt, vt ad manus Impreſſoris non venerit, quod imprimi debuerat in fine Cap. Quadrageſimi tertij, nimirum Epiſtolium Cl. Taurelli, cuius exemplar huc afferre libuit.

Quibus literis ita reſpondit vir ingenuus verbis ipſiſſimis.

Fortunio Liceto Viro Clariſſimo, Primario Medicinæ Profeſſori, & Apollonos ca Athinajs chtirron andri dedidagmeno

Andreas Taurellus I. C.
Eupratten.

EFfata tua, mi Licete, quibus hactenus præ ſarcina domeſticarum occupationum, reſpondere non licuit, iam ea mihi liceat a te, vt ab oraculo Sapientiæ reddita venerari. Quæ tamen licet a te, quam aggredior, aliena ſint, docta fateor, & gratiſſima excipio, vt quæcunque alia, quibus vacauit ingenium tuum omnis reconditæ eruditionis promptuarium. Quid vero mirum? (vir doctiſſime) qui hoc æuo iure audis *peri pandon andron anjr polyidris*. Nos e longinquo reſpicimus *orgia Muſon*: neque nobis conceſſum eſt, quam ab infimis ſubſellijs magnos illos doctrinarum Antiſtites ſuſpicere. *tauta men peri tuton*. Interim (mi Licete) vide lubens, & lege, quæ heic repono tributi iure pro tuis doctiſſimis vigilijs, ab Illuſtriſſimo Lauredano tranſmittenda curaui. Ille te nobiſcumque, tuaque magnifacit, vti par eſt. Ego plurimum a te amari aueo, & quid iſtic inter literatos melioris notæ agatur certiorem reddi. Naudæi literas anxie expectamus; ſi quid *habeas* de illo, lubens audiam. Vale millies *ſophijs omma*.

Bononiæ VI. Kal. April. M DC XLVI.

Digitized by Google

Erratorum correctio.

Pag.15.3.*in margine*,cap.4.-cap.5. 18.13.ſe-ſi. 24.5.&-vt. 33.40.alienum-alienus.46.5. tradit-trahit. 48.28 & ex.61.29. ab-ad. 63.3. induere-*addatur*. Niſi dicamus cum Viro docto, Pythagoram eo dogmate veram immortalitatis animæ ſententiam coluiſſe, cenſuiſſeque mortalium animos, qui poſt vitam caducam a corpore ſeparati, purgatique cælos conſcenderint, immortales in æternum futuros, atque diuinam ſortem acquiſituros, & nunquam poſtea mortalem vitam vltra ſubituros. At hoc videtur ex toto tollere Pythagoricam animarum tranſmigrationem ad aliam vitam mortalem in noua corpora. Quare ſuperior explicatio magis eſt ad mentem Pythagoræ; licet iſta ſit magis veritati conſentanea: noſtri vero nunc eſt inſtituti ſententiam Hippocratis, ex Pythagoræ doctrina philoſophantis, aperire; qui non intellexit iſtam veritatem Chriſtianam. 72.35. poſterius habituri ſumus in peculiari Quæſito - prius habuimus in Opere de Secundo-Quæſitis cap.v & ix. 85 33.de propoſito-in propoſito.86.13. an. a.89 43. dubius-dubium.102.34.dictis-Dictys.107.16.voloces-veloces.108.34.propoſui-præpoſui.111.10.ab-ob.112.31. peſtilentia-peſtilentiam. *ibid*.36. irrita-*adde*, ſed contra Celſi placitum Hipp.lib.de vet.med. ſtatuit antiquiſſimam medicinæ partem fuiſſe diæteticam, non autem Chirurgicam.120.34. opere:de-opere de.126.37.mollificari-mollificare.129.11.partim-partem. 143.12.præſtantiſſimam-præſtantiſſimarum. 149.38. quam-quum.157.10. ad-ab.160.42.numerica-numericam.169.26. Phoſphoros-Eoſphoros. 178. ſuus-ſuaſu.180.12.Iacobo-Cl.Viro Iacobo. *ibid*. Præſuli-Præſuli Illuſtriſs. & Reuerendiſs.182 6.viriū virum.183.30.at-ac.185.24.Veſæus-Veſæuus. 186.34.Neptunus-Naptunus.*ibid*. Penetes-Penites.194.42.ſic-ſi.209.9.ratione-rationem.209.12.expellitur-expellunt. 209.39.inſimulandas inſimulandos.214.25. Florentia-Florentiam.*ibid*.26.referet-refert.228.36.Italia-ITALIA.230.35.naturam ferri-naturam magnetis. ibid.42.vapore-vapor.